BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 D
10

14-10.G.21

M. MANTVAE

BENAVIDII, PATAVINI,

Iuriſcon. Comitis Palatini, & Legum interpretis Clariſs.

Polymathia,

HOC EST DISCIPLINA MVLTIiuga, nunc primum in ſtudioſorum gratiam ædita.

Cum gratia & Priuilegio.



VENETIIS, Apud Io. Franciſcum Camocium,
M D L V I I I.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMAN.

ANTISTITI REVERENDISS.
à Ruſticis D. & Patrono ſuo obſeruantiſſimo ſemper M. Mantua Benauidius Patauinus Iuriſcon. Comes & Leg. Interpres minimus, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

QVANQVAM multa à me ædita fuerint alias, & nunc maxime, omninoq́; pedem referre ſtatuiſſem, atque tandem (ut eſt in prouerbio) receptui canere, præcipue cum ingraueſcat ætas, ſintq́; labores recuſandi potius quàm appetendi, & deligendum ocium, non negocium, noua tamen mihi ſcribendi quædam cupiditas inceſſit, ut nec me, nec calamum continere potuerim unquam, quò minus librum hunc, (Polymathia enim inſcribitur, hoc eſt diſciplina multiu-

*ga) tibi ſcriberem, tuoq; nomini di-
carem, ampliſſime & Reuerendiſſi-
me præſul, animi mei erga te pro-
penſiſſimi, & obſeruantiæ in te meæ
argumentum planè maximum, aper-
tiſſimumq;: te igitur oro & obſecro,
læto animo ipſum ſuſcipias, atque ſi
quando tibi per ocium licebit, perle-
gas; nec dedigneris, quandoquidem
forte malus non ſit, ſin minus; quia
non adeo malus tibi uidebitur; quin
poſſit aliqua ex parte etiam bonus
eſſe. Quod ſi feceris, rem ſanè te,
humanitateq; tua dignam facies;
meq; tibi iam obſtrictum, cui tot &
tanta antehac beneficia contuliſti,
& confers in dies, lõge magis deuin-
cies & alligabis. Supereſt ſolum ut
me tua beneuolentia dignum exiſti-
mes, & rationem aliquam habeas,*

eius, qui toto animo, ſe tuæ uirtuti, præſtantiæq́ tuæ, ſe inquam in omnem uitam dedicauit. Vale huius ſæculi decus & ornamentum, meq́ iterum in tuo ære computa. Kl. Septemb. M D LVIII. Patauij.

IN POLYMATHIAM

Excel. Man. Pet. Carrarius.

Hic eſt quem legis, ille legis unus
Vindex Mantua, Clarus orbe toto,
Qui cum dogmata pulchra Sanctionum,
Multis indiderit prius libellis,
Hoc uno reſerat uias, ad artes
Omnes, omnia ferre dicere auſim:
O quem te memorem, uirum, deum ue?
Nil mortale ſonas, genus deorum es.
Vitiſq; ambroſios ferens racemos,
Vitis Nectareo fluens odore.

FINIS.

1 De adoleſcentum officio quales eſſe debeant, quæq; eiſdem neceſſaria ſint ut ingenua educatio dicatur, grata, chara, acceptaq; omnibus.

2 De cupiditate, malorum omnium arce ut dicebat Diogenes, & quàm deteſtabilis ſit auaritia.

3 De diuitibus, deq; ipſorum opibus, an à ſapientibus ut peſtes malorũ omnium ſpernendæ fugiendæq; ſint, an uero parandæ, & ſummo ſtudio ut multi faciunt, cuſtodiendæ.

4 De arrogantiæ crimine, quod omnium maximum eſt, qui arrogantes fuerint, & quod ij hominum inuidiam, odiumq; uehementer incurrunt.

5 De multiplici amicitiæ ſpecie, deq; Symbolo ipſius, & qui uere amici denique uocandi ſint.

6 De paupertate quod uitium non ſit, ſed uirtutis potius teſtimonium, & decus probitatis, quammaxime laudanda opum deteſtatione.

7 De ſacrilegio quid ſit, quot modis cõmittatur, quàm deteſtabile crimen fuerit ſemper, deq; ſacrilegis multa.

8 De curioſitate quomodo ipſa quoq; graue eſt uitium, non quæ ſua ſunt ſcrutari ſitiẽs ſemper ſed aliena.

9 De clementia iudicantium pote, præcipua & maxime principum, quomodo eſt animi tempe rantia in pœnis conſtituendis, & quale ipſius ſymbolum.

10 De crudelitatis uitio, deq; animi atrocitate, quomodo omnem humanitatem Crudelis excedit, nec homo ſed Bellua potius appellandus eſt.

11 Omnia cum conſilio fieri debere oſtenditur, pluſq; negocij nobis afferri conſilio, quàm uiribus, & quomodo conſilium malum conſultori eſt peßimum.

12 De concilio quòd à conſilio differat, qui ſint ad concilium uocandi, quis in eo præſideat, & quibus caſibus ſit ſupra papam, aliaq; plura conciliorum materiam breui compendio concernentia.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

1 Quid ſit ciuitas, à quibus conſtituatur, quæ requirantur, ut dicatur ciuitas, & quot ciuitatum genera ſint denique.

2 Quòd Ciues ſunt ciuitatũ nerui, quòd ad ciuitatem & patriam ordinantur, quam longe magis quàm ſe ipſos diligere debent, & quod denique ciuitates non lapidibus & lignis ſed hominum animis & uirtute bene habitantur.

3 *Confeßio in quo contractu cadat, qualis eſſe debeat, quid operetur, deq; multiplici ipſius ſpecie, & aliis quampluribus, quæ ad praxim cum ſint paulo obſcuriora, ceteris, non poterunt niſi ſtudioſis multum lucis afferre.*

4 *De ſanctißima Cruce, qua fides noſtra chriſtianaq; religio ſublimata eſt plurimum, quomodo Coſtantinus primus omnium Imperator omnia Crucis charactere ſanctißimo ſignabat, operabatur & uincebat, & quomodo hoc munimine ſepti omnes uincunt pariter nec uinci ab aliquo poßint.*

5 *De cauſis, efficienti, formali, materiali, & finali, an ex effectibus cognoſcantur, & quo modo non omnes ſemper præcedunt cauſatum.*

6 *Quo modo grata omnibus eſt Concordia, à Romanis hominibus etiam culta, imò & dijs iucunda, quale ipſius ſymbolum ſit, & quomodo uictoriam parat, exitium uero diſcordia quam maxime præbeat.*

7 *De diſcordia quomodo eſt Concordiæ oppoſita, Monſtrumq; infeſtans humanam gentem, & unde omnia proueniunt mala, ueneficia & peſtes.*

8 *De ſeditione quo modo ea intereunt Vrbes, & domos priuate & (ut Iſocrates dicebat) funditus euertuntur, ex quibus oriatur cauſis, & quæ pœna ſit denique ſeditioſis conſtituta.*

Quo modo Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, quid ſibi uelit hoc ſanctiſsimum nomē, quæ de Chriſto prædicentur, ipſiusq; ſymbolum multiplex & uarium, quo nullum tamen aliud ſit in uita pulchrius dulcius ac iucundius.

10 Quòd à Chriſto chriſtianus dictus eſt, qui uere chriſtianus ſit, quo modo chriſtiani appellarentur ante Chriſtum, quare non Ieſuani à Ieſu, deq; multiplici Chriſtianorum perſecutione.

11 Quid ſit Cælum. Vnde dicatur, quare ſic appellatum fuerit, ex quibus conſtet, & que denique in eo eſſe reperiantur, breui rerum, ac uerborum compendio declaratur.

12 Pluribus modis clamauit Chriſtus, & clamat, quod clamor plerunque etiam eſt nequitiæ manifeſtatio, quid ſit clamare, & quotuplex denique ſit clamor.

CAPITA TERTI LIBRI.

1 Qui conſtantes eſſe dicantur, in quibus rebus conſtantia uirorum fortium, uirtus præcipua conſiſtat, quid ſit & qualis, quale ipſius Symbolum, & quibus caſibus denique neceſſaria ſit rurſum quammaxime.

2 Quo modo confidentia in ſe ipſum uana eſt & ſtulta, ſtultior in homine, ſtultiſsima in opi-

bus,& uitæ diuturnitate,quodq; ſola laudabilis eſt in deum.

3 De *continentia quid ſit.*V*nde dicatur,qui continentes,& quæ maior denique fuerit uel* Sci*pionis uel* A*lexandri* M*acedoniæ regis.*

4 De *conſuetudine quod ſit origo* I*urisdictionum, quod æquipolleat ueritati, quod pro lege habeatur,quomodo probetur quid ſit deſuetudo ad idem aſſuetudoq;,& an ab uſu ,ſtylo,& ſtatuto differat,aliaq; multo plura , ad propoſitum conſuetudinis facientia,cum ſcitu tum memoratu digna.*

5 Q*uomodo in pace omnia florent, in bello uero collabuntur.*Q*uotuplex ſit,quo* I*ure inuentũ, quæ præmia* B*ellum promittat .* Q*uibus prohibitum permiſſumque ſit,& quæ requirantur denique ut* I*uſtum dici poſſit.*

6 Q*uod pax* B*ello ſit potior,quodque in ea publica uerſatur utilitas , & cum ſit uinculum charitatis,quod humanum genus* P*acem maxime appetit,de ſymbolo ipſius quale ſit,& quod pro bono pacis denique,à* I*uris communis diſpoſitione,recedere licet.*

7 De *beneficio latiſſime interpretando , quomodo indultum à* I*ure, nemini eſt auferendum,* I*mo præclarum quiddam , ſi in hominem collocetur, & denuo quoque , licet in ingratum ſemel inciderimus,& quod liberum eſſe debet,*

atque etiam cum honeſtate coniunctum.

8 De *canũ ſolertia. quomodo memoria maxima polleant, quòd cuſtodes noſtri ſunt, ac ſocij, & quod ratio denique nec non pietatis notæ quædam eis ineſſe creduntur.*

9 De *lupo multa, cuius* Symbolum *ſit, prouerbia ex ipſius nomine deſumpta, quod nullum animal eo ſit damnoſius, deque commodis etiam quæ ex ipſo conſequi poſſumus.*

10 *Quod cautio idem ſonat quod cautela & ſecuritas, quodque unum pro alio ponitur.* De *cautelis multis multa. & quomodo caute denique ſeu cautelis homines uiuant ſecuriores.*

11 De *clauſulis quæ nihil aliud quàm breues ſententiæ eſſe uidentur, nonnulla, de effectibus ipſarum, quod multæ & uariæ ſunt fere tot quot in orbe figuræ, & quomodo uſui ac emolumento hominibus ſunt etiam quammaxime neceſſariæ.*

12 *Quid ſit certamen,* V*nde dicatur, quotuplex ſit, & an* V*nus alteri ad emendam condemnetur, an uero principi potius. deque* Duello *ad propoſitum aliqua.*

CAPITA QVARTI LIBRI.

1 De *Caſtello ſeu Caſtro quod idem eſt, quid ſit,* V*nde dicatur, an dominus ſtatuta condere*

poßit, & alia multa ſcitu digna, quæ maxime ad praxim facere uidentur, nec minus pulchra ſtudioſis quàm utilia.

2 Quid ſit Cõditio, *quotuplex, an ſit de ſubſtantia probationis, an ſufficiat ſemel extitiſſe, an poßit impleri per hæredem, deq; alijs quam pluribus ad materiam facientibus cum ſcitu tum auditu dignis.*

3 De Corona Imperatoris, *& in genere cui conueniat, qua triumphantes ornarentur, quaq; Sapientes olim, & quæ ſit denique illa quæ Corona dignitatis appellatur.*

4 De Crocodili *natura, quomodo eſt lacerta* Nili *immenſæ magnitudinis, & animal hominibus infeſtum, quod puerorum more plorat, ſi quem eſt uoraturus, et quod denique perſequentes fugit, & fugientes perſequitur.*

5 De Ciconia *quod caret lingua & hoſte, quomodo eſt pietatis & iuſtitiæ ſymbolum, deque legibus* Ciconiarijs *alijsque multis egregijs, & ad propoſitum ſingularibus, ac perpetua annotatione dignis.*

6 De Gelphis & Gibellinis, *ſeditioſis hominibus, unde ortum habuerint, quid ſonent nomina iſta, an poßint habere ſtatuta, an ſit qualitas innata, &* Partialitates *licite nec ne.*

7 De Comitibus Palatinis, *an ſint proprie Comites, an poſſint in alieno territorio, ea facere*

quæ ſibi priuilegio cõceſſa ſunt, an hoc nomine alij etiam uocentur, & qui denique Comites regionum eſſe dicantur.

8 *Quid ſit conſiſtorium, quidque fiat in eo, an ſolennitatem iuris deſideret, an uero meram ueritatem, & quare denique etiam in conſiſtorio Signaturæ expediantur.*

9 *Quid ſit curia, & unde dicatur, quomodo hinc Curiales deriuantur, & non nihil denique etiã de Romana.*

10 *Quibus cuſtodia ſit maxime neceſſaria, cuſtodiæ ſignum quale, & quo in loco poni ſoleat, ſi filius in cuſtodia matris relinquatur an uideatur facta tutrix, & ſi iubeat denique iudex aliquem poni ſub cuſtodia an in carcerem mitti debeat.*

11 *Quod Cor eſt principium uitæ, an ſit paruũ uel magnum, quo modo ſe habeat in homine, an ſit rurſus uenarum, & arteriarum fons, & quid denique ſibi uelit Symbolum illud Pythagoricum, Cor edendum non eſſe.*

12 *Credulum eſſe ſeu credulitas, an ſit error uel culpa uel potius leuitas quædam, quæ reprehenſionem habeat, qui facile credant, deq; huius uerbi ſignificatione multiplici.*

13 *De his qui non ſecus ac ſi pedibus habuiſſent alas, uelociter currebant, quæ præter cetera uelocia ſint, quotuplex ſit curſus, & quomodo*

eiuſdem celeritas,non modo utilitati in re Bellica laudabilis eſt,uerum etiam ſaluti.

CAPITA QVINTI LIBRI.

1 De concluſione in cauſa quid ſit,deque eius effectu,an poſtea aliquid iuris uel facti produci poßit,quibus uerbis uterentur ueteres,et an in criminalibus iudicijs concluſio,in qua tota libelli uis conſiſtit,eſſet neceſſaria.

2 Defenſio naturaliter ineſt omnibus,nec tolli poteſt niſi in caſibus: Quid ſit, quotuplex ſit, & an aliquis alium defendere teneatur.

3 Quid ſit dialectica,quomodo abſque ea non facile pateat aditus ad ceteras diſciplinas, qualis ſit eiuſdem lex, & qualiter eius officium diuidatur.

4 Qui proprie doctor dicatur,unde dicatur,quæ docenda ſint,quomodo probet quis ſe eſſe doctorem,an doctoratus ſit dignitas,an dicta doctorum poßint citari, & an probabilia ſint uel neceſſaria,an ſit Iudex, & cuius ſeu in quem iurisdictionem habeat, aliaq; in materia pulchra & non contemnenda.

5 Non eſt Vicus qui detractoribus non abundet, quiſque ſuos detractores habuit, quod quidam putant obtrectatione alienæ ſcientiæ ſibi famam poſſe aucupari, & quomodo hoc genus

hominum ab omnibus ſtudioſis bonarum artium atque diſciplinarum contemni debeat.

6 *Qualis debeat eſſe præceptor, quale ipſius officium, quod non minus præceptoribus debeamus, quàm parentibus, an ſint neceſſarij, & an in pueros iurisditionem habeant ut doctor in ſcholares, quod ſupra loco ſuo declaratum eſt ſatis.*

7 *Quod diſcipuli utilia diſcere debent, & inutilia declinare, quod nulla ætas ad diſcendum eſt ſera, quòd addiſcentem credere oportet, & quod denique multa diſcit, qui cupiditate diſcendi flagrat.*

8 *Quæ dicatur dignitas à quo creetur, quo modo cognoſcatur, an dignitas à perſonatu & officio differat, & quomodo etiam una res altera dignior eſſe poßit.*

9 *Deum eſſe omnes fatentur, quid ſit, an nomen habeat, eiusq; notio apud nos an eſſe poßit, unde dicatur, quare optimus maximus, quo modo colendus ſit, & quibus uerbis Turcæ ipſum inuocent.*

10 *Quid ſibi uelit hoc uerbum Dæmon, an Dæmonibus dicantur aliqui prognati, quæ ſit eorum natura, & quibus in locis uerſentur denique ultra dicta alias copioſe.*

11 *Edictum quotupliciter capiatur, quid differat ab interdicto, quod proprie prætorũ eſt, in quo*

in quo ordine eſſet prætor, & quare peremptorium ultimum dicatur.

11 De *æmulatione quomodo eſt inter pares, qui præcipue fuerint aliorũ æmulatores, et quod ex imitatione quadam potius prouenire debet, quàm à ſimultate & inuidia, ne ſecum reprehenſionem adferat.*

CAPITA SEXTI LIBRI.

1 De *homine quid ſit, quot hominum genera, quis uere ſit homo appellandus, & alia ad idem multa, quæ breui argumento comprehendi, deſcribiq́; minime poſſunt, & ſanè non ignoranda.*

2 Q*uod uirtus præcedit, honor uero ſequitur, quomodo hinc multi, multaq́; honorarij & honoraria dicta fuerunt, nec ad honores pateat aditus niſi per uirtutem, an à dignitate differat, an honores appetendi ſint, & quale ſit honoris ſymbolum.*

3 Q*uod nobilitatis uirtus præcipua eſt humilitas, quod excelſa* Iuppiter *humiliat, humiliaq́; extollit, quod ingreſſus eſt* Chriſtus Ieſus *hac uia in præſenti uita, & conſequenter quod eius actio noſtra inſtructio eſſe debet, & ad idem ſanè exemplum omni alio pulchrius.*

4 Q*uid ſit hiſtoria, quod hiſtorias ignorantes*

ſemper ſunt pueri, quod res præclare geſtas nobis quaſi in tabula quadam ſpectandas repræſentant, & multa denique, quæ ſub hoc uerbo includi poſſunt propemodum infinita.

5 *An alio nomine elephas etiam appelletur, Quid ſibi uelit pœnorum lingua hoc uerbum, quomodo incedant, queq́; ſit eorum, & cum quibus naturalis pugna, & alia ſcitu digna.*

6 *Quod hæreſi laborãtes, ex conſuetudine ſunt comburendi, unde ortum hoc habuerit, quiq́; cõbuſti fuerint, & quæ requirantur denique, ne quis ut hæreticus pœna mortis puniatur.*

7 *Quomodo humanitas maxime popularẽ gratiam fauoremq́; conciliat, quot homo ab humanitate dictus eſt, quot modis oſtendatur, & quod humanitate multa fiunt, quæ alias de iure non procederent neque admitterẽtur.*

8 *Hoſpitalitas maximam habet laudem, hoſpes qualis eſſe debeat, quod iura hoſpitij non ſunt uiolanda, & quod denique regum ac diuitum proprium eſt, hoſpitem admittere.*

9 *Epitaphium Syllæ quale fuerit. Quale Africani, Darij, Demoſthenis & aliorum plurium, ex quibus multa ſanè & quidem pulchra, ac utilia elici poſſunt.*

10 *De iureiurando multa, quomodo eſt quid perſonale, nec indiſcrete deferendum, quod eſt de iure naturali, quod obligat ex præce-*

pto, quod ſpectat ad eccleſiam, quale græcorum et militare, quot comites habere debeat, & adeo multa hinc ut plura eſſe non poſſint.

11 Qualia eſſe debeant indicia, quæ quæſtionem, & (ut nos dicimus) torturam præcedere debent, an ſufficiat ſi cadauer emittat ſanguinem præſentia interfectoris, ſi cum gladio uiſus ſit exire domum interfecti, & quid denique ſi minæ præcedant homicidium.

12 Quod ira multa mala parit, quales ſint irati, quod ſæpe ſui obliuiſcuntur, quod ira inſaniæ principium eſt, et breuiter quod animum impedit, ne poſſis cernere uerum.

CAPITA SEPTIMI LIBRI.

1 Quod inuidia ut plurimum eſt inter uicinos, Felicitatis comes & cæca, an ab odio differat, quæ ſit ipſius natura, & quomodo contrahatur denique.

2 Innocentiæ fides maximam habet ſecuritatem, quod defendenda eſt ut pote priuiligiatã, & cuius ſymbolũ eſt uultus, q; neminem lædit, uel iniuriam alteri facit, & quod denique inter ſummas hominis uirtutes numeranda eſt.

3 A quo dicta ſit Italia, an alio nomine fuerit uel ſit appellata, quæ ſint in ea compræhenſa, quæq; ſeparata, quod prouinciarum domina

olim fuit, quomodo pingatur, & quot latera habeat denique.

4 De *iuriſdictione quid ſit in genere & in ſpecie, in quo prædicamento conſiderata perſona magiſtratus partis et etiam territorio eſſe dicatur, quod iuriſdictioni ſemper cohæret, quomodo ſe habeat in ipſo, an cōſiſtat in iure ut hæreditas & peculiū, et an ſit hodie ultra alia multa exſcribenda in patrimonio noſtro.*

5 Q*uòd olim fuerint* Orbis Imperia, *& quo modo ruerunt funditus, qui ſint ad* Imperium *promouendi, quòd imperare difficillimum eſt, & quod magna imperia magnis, ſummisq; moleſtijs deniq; obruuntur.*

6 Q*uod difficillimum eſt iniurias tolerare, quodq; iniuriæ uulnus altius penetrat quàm beneficij gratia, an iniuria facta patri cenſeatur facta filio, & ſic de ſingulis, & ſi fiat in domo alicuius quomodo ſeu quot modis fiat, & quot modis regulariter ſumatur, & quomodo cauſam permanentem & inſtantaneam habeat.*

7 Q*uod nullum uitium pugnat cum natura magis & ſocietate generis humani, quàm ingratitudo, quale ſit ingrati ſymbolū, qualis* Athe*nienſium lex, & quod non recedit denique malum ab ingrati domo.*

8 Q*uod iocus tempeſtiuus eſſe debet, nemini no*

cens, quodq; iocando ſæpe exprimitur ueritas, deque his multa, quod iocus iocum, & riſus denique riſum illudit.

9 *Quod nemo poteſt facilè uirtutis laudem aſſequi, niſi imitatione, quod* Deus *primum imitandus eſt, cognoſcendus & amandus, proponendique nobis poſtea uiri qui ſint præcipua reipublicæ ornamenta, quos imitemur pariter, eoſque tanquam exemplaria quædam præ oculis habeamus ſemper.*

10 *Inuocatio neceſſaria eſt, opusq; diuino auxilio ſi uolumus* Anchoram *in tuto firmare, locuturi maxime grandia, quodque fundamentum omnium eſt* Deus, *& quod ubi ad idem fundamentum non eſt, ibi ſuperædificari non poteſt.*

11 *Quod labor optat præmiũ, quod nihil mortalibus abſque labore permiſſum eſt, quod à labore pendent omnia quod nulla eſt iuſtior acquirendi ratio, quàm ex honeſtiſſimo labore, quales militum labores eſſe debeant, & quale denique præter alia multa ſit laboris condimentum ſeu ſymbolum.*

12 *Quod lanificium fuit in uſu nobilium matronarum apud* Romanos, Quid *ſibi uelit* Thalaſſi *nomen in nuptijs, quo uocarentur lanificij textores, & grece lana, & quare* Cererem μηλοφόρον *appellarint.*

1 *Legitimatus an à legitimis & naturalibus diſferat, an excludat ſubſtitutum, an differat ab adoptiuo, an poſſit inuitus filius legitimari, & ſi mulier naturalis nubat legitimo & naturali, an efficiatur legitima.*

2 *Longobardi quare ſic dicti fuerint, quo in loco ſuas habuerint ſedes, quanto tempore durauerint in Italia, à quibus fuerint extincti, de lege Salica, deque Lõgobardis ſeu ipſorum iure ad propoſitum multa.*

3 *Quod ludus eſt crimen, malorum dæmonum inuentum, niſi ſit literarius, & pilæ; quot ludorum genera ſint, deq; aleatoribus multa.*

4 *In quo conſiſtat liberalitas, quo modo differant auarus & prodigus, ac liberalis, quod liberalitas & donatio ſunt idem, & quod denique homo nunquam accedit ad ſimilitudinem Dei niſi cum eſt liberalis.*

5 *Quod leo tametſi omnium animalium atrox, eſt tamen gratus etiam & generoſus, quid deſignet in ſacris literis, quod capite operto facile uincitur, quod gallum timet, & ignem odit, deq; eo alia longe plura.*

6 *De legibus, deq; legumlatoribus, quæ requirantur ut ualeat lex, & quomodo iuſta ſit, ſeu dici poſſit, & quod denique longe pul-*

ebrius eſt uiuere legibus in omni uita, quàm doctrina excellere.

7 De lingua Latina & Græca, ad quid lingua ſit nobis data, de linguis & idiomate multa, quibus loquendum ſit, & quomodo, & in concilio denique, quis debeat loqui prius.

8 De lacu Benaci, Larij, Verbani, Sauini, Curtij, Regili, Paliſci, Thraſimeni, Veneti, & quare iſte ſic appelletur, deq; palude Mæotida nonnihil.

9 Nuſſum uenenum eſt tam mortiferum ingenio quàm luxuria, De luxuria Luculli, quod quandoque plus habet quàm caſtitas, de luxu, luxatiſq; hominibus & membris, & quomodo eſt denique mater omnis impudicitiæ, & laſciuiarum.

10 Quod licentia ex diuturno ocio contrahitur, quodque ſic ingenia torpent, qui ſint qui ocio dent operam, quique laboribus, & quomodo breuiter ocioſi a ciuium omniumq; hominum cœtu cohibendi ſunt penitus.

11 De Modeſtia Ceſaris, Octauij Auguſti, Q. Fabij Maximi, Helij pertinacis, Catonis, Claudij, Metelli Macedonici, Numidici, Scipionis, Socratis, Ageſilai, Ciceronis, & aliorũ cõplurium, & quod eſt quaſi quidam ornatus uitæ.

12 Quod Magiſtratus ſunt honorandi, quot genera Magiſtratuũ ſint, qui ſummi et qui deni

que promeriti uideantur & ſint.

13 Quod in medico eſſe debet multarum rerum uſus, quo modo ſeu quot modis ægritudinem cognoſcat, Quot Medicinæ ſpecies inueniantur, & an denique ſit ars uel dignitas.

CAPITA NONI LIBRI.

1 Quid ſit mendacium, an ſit ſufficiens indicium ad torturam, an teſtis mentiendo committat falſum, cui ſimilis ſit mēdax, quale ſymbolum mendacij aliaq; in materia multa.

2 Mori neceſſe eſt, igitur mors minime eſt timenda, quando immatura, matura, & acerba dicatur, quot ſint nuncij mortis, quo modo probetur, & quando denique quis in articulo mortis conſtitutus dicatur.

3 Mare Adriaticum & Tyrrhenū unde dicantur, Quod mare Italia habeat à dextra, quod ue à læua, De mari inter Angliam & Hircaniam neſcio quid, Quare Mare mortuum dicatur, & hodie quomodo uocetur, & quod intrans mare denique conſtitutus dicitur in articulo mortis.

4 Quod memoria eſt Theſaurus, & cuſtos omnium rerum, cui aßimiletur, quod obliuio non nunquam aliquibus fuit gratior, quod aliqua plerunque in memoriam uirorum for-

tium inſtituuntur, & qui animi dote maxime polluerint.

5 *Qui montes altiſſimi ſint, qui laudabiles, de pyreneis nõ nihil, De Palatino, Cælio, Lyciæ, Argeo, & alijs, & quomodo nobiles ſolebant etiam olim in hiſce locis ſepeliri.*

6 *Quod Muſica nihil eſt laudabilius, quodque nulla ſine muſica diſciplina perfecta eſſe poteſt, imò quod animalia etiam hac arte delectantur, quæ triplex eſt, & quod multi denique ſenio confecti muſicæ operam dederunt.*

7 *Quod Muſa mulieris eſt nomen & fructus, Quot ſint Muſæ, Quot ipſarum nomina, unde dictæ ſint, quomodo pingantur, quod nõ ſunt prouocandæ, & quæ denique pars diei muſis ſit gratior.*

8 *Quot Sybillæ eſſe dicantur, an participes diuinorum conſiliorum & præſciæ fuerint, quæ ipſarum nomina, quæque uaticinia & de libris Sybillinis aliqua.*

9 *Quod omnia ſub ſole fluctuant, mutantur, nec ſtatum perpetuo retinent eundem, præſertim mores Italici qui ſepius quàm faciat Chamæleon uariantur, Deq; multiplici hominum in feras Metamorphoſi.*

10 *Quod neceſſitas legem nõ habet, quotuplex ſit, quale Symbolum ipſius, Quod ne deus quidem neceſſitati reluctatur, & quod denique*

(ut noſtri dicunt) lex ſuccurrit magis faciẽti actum ex neceſsitate quàm ex uoluntate.

11 *Quid ſit nobilitas, an ex genere paterno uel materno procedat, Quæ ſolida & uera ſit, Quotuplex, & an nobiles ueniant appellatione populi.*

12 *Quomodo multi ignobiles, obſcuroq; loco nati, ad ſummos maximosq; honores euecti fuerunt, inq; ampliſsimum gradum dignitatis collocati, Quis terræ filius dicatur, Quique de lapide emptus.*

13 *De numeri præſtantia, quomodo nihil eſt in rerum natura quod ſit abſque numero, De unitate, Binario, Ternario, deque alijs omnibus, uſque ad denarium incluſiue ſcitu dignis, & breuiter quod noſcit omnia (ut dixit Aben zoar) qui numerare non ignorat.*

CAPITA DECIMI LIBRI.

1 *Quod nihil ſit ſine ordine, quid ſit, quotuplex ſit, & quomodo breuiter ſecundum ordinem eſt finis.*

2 *Quod ſenſus in oculis uicinus eſt animæ, quid ſit oculus, unde dicatur, quot in homine eſſe reperiantur, quod eſt aure certior, & quid denique in Hieroglyphicis ægyptiorum ſignificaret.*

3 Quod hominis ingenium non tam in uulta reluceat quàm in oratione, Quot ſunt orationis genera, quæ eidem admiſcēda ſint, quæque in ea fugienda, & quomodo etiam in quinque diſtribuitur partes.

4 Quod peſtilentiæ furor nemini parcit, quod eſt regina ægritudinum, & omnium inſolentisſima, ſeruis ſtipata ſuperbis, Quot ſint eius ſpecies, & quomodo olim ſedaretur, Quiq; ſaluti fuerint multis Ciuitatibus peſte laborantibus.

5 Quod Patria eſt nobis dulcisſima, eaque priuari graue admodū, quod patria parentibus & amicis, imò ſaluti proprie eſt anteponenda, unde dicta, quotuplex, & quod nanque Symbolum ſit pugnantis pro patria.

6 Quod parlamentum de quo nunc locuturi ſumus, uerbum uulgare eſt potius quam iuridicum, à quo fuerit inſtitutum, an ſint plura, Cum quibus affinitatem habeat, ex quibus conſtet, et an à parlamento ſeu Curia ipſius, uel areſto posſit appellari.

7 Quod præmia optime meritis ſunt debita, & alliciendi homines ad diſciplinarum optimarumque artium ſtudia muneribus & beneficentia, & quomodo hac de re olim triumphantes honorarentur.

8 Quod pertinacia in muliere eſt peculiaris,

qui pertinax dicatur, & quomodo ſeu in quo differat pertinacia à perſeuerantia.

9 *Philoſophiæ laus, quod philoſophi ſunt amici dei, cui aſſimiletur philoſophia, & à quibus originem traxit, Quid ſit, Quibus conſtet rebus, & quot denique partes habeat, ſintq; ipſius ſpecies.*

10 *Quæ dotes deſiderentur in principe, quæque conſiderari debeant in ipſius electione, Quomodo appelletur, An ipſius adminiſtrationi adſit Deus, An reuocari in dubium poſſit eiuſdem poteſtas, quæ bona habeat, & alia de principe longe plura quàm aliàs, ſi alicubi forte ad aliud tamen dictum fuiſſet.*

11 *Quid ſit pictura, unde originem duxerit, Qui primus picturam perpolierit, et an in ea aliquid præcipuum ſit, quod pictori neceſſariũ maxime uideatur, ut laudibus efferri, et egregij Artificis manu etiã facta dici poſſit.*

12 *Virtute nihil ſplendidius eſſe oſtenditur, Quot uirtutis ſint partes, qui uirtute præditus, & quomodo ſapiens nunquam à uirtute ſeparari poteſt.*

13 *Quod puteus reputatur ſacer, De aqua eiuſdem quadruplici, An corrumpens aquam putei, teneatur, & an Collecta imponi poſſit, pro puteo reparando, & quod breuiter Scientiæ Symbolum eſt.*

CAPITA VNDECIMI LIBRI.

1 *Quod uoluptas eſt maxime inimica uirtuti, inſatiabilis, malorum eſca abiecta et imbecillium animos corrumpens, & breuiter quod eidem imperandum eſt, non ſeruiendum.*

2 *Quod rex ſanctus dicitur, Quodque uiolari nõ debet, Quo anno ungẽdus ſit & coronandus, Quam auctoritatẽ habeat in regno, quæ præcepta ei neceſſaria ſint, deq́; regno Franciæ multa.*

3 *Silentio laudatur deus. Quod ornat mulieres, & longe magis Pueritiam, Quando gratum ſit, Quod eſt tutum ſemper, & prudentia homini impudenti, & quale denique ſymbolum olim ipſius eſt.*

4 *Quod teſtamentum formaliter unum eſt, materialiter plura, an ſicut coram teſtibus fit, ita poſſit etiam reuocari, eſto quod aliud nõ fiat, & an ſint caſus in quibus ſine dicta ſolennitate ordinari ualeat, An indiuiduum dicatur, Quotuplex ſit, & quomodo manu teſtatoris factum appelletur.*

5 *Quod uulgi iudicium contemnendum eſt, & inter malas beſtias connumerandum, Quod fex plebis eſt, Quod bonos ſemper odit, & ſui ſimiles amat, Deq́; uulgo ut ſucurrerit multa.*

6 *Licet (ut uulgo dicitur) uinum letificet cor hominis, ab eo tamen eſt abſtinendum, quod audaces facit bibentes, A quo inuentum eſt, Qui mos olim euntium cubitum, Deq́; uin multa.*

7 *Veſtis indumentum eſt utile, quod excogitauit neceſsitas, quod talis quis præſumitur, qualem indicat ueſtis, Quot ueſtium genera ſint, Deq́; toga & prætexta non nihil.*

8 *Græci facete dicta,* σκώμματα *uocant, & eſt dicacitas, ſiue ſermo, qui cum riſu aliquos prouocat & laceſsit, quique plerunque auaritiam, nonnunquam luxuriam ſcpe adulationem & ſimilia ioco potius quàm ſerio taxat.*

9 *Quod ſtatuæ nulle antiquitus erant in Templis, Quod uiris Clariſsimis deq́; repub. optime meritis in roſtris collocari ſolebant, ad quas confugientes erant tuti, An fuerint aliqui qui ſibi erigi uetuerint, et quod inania denique ſimulacra ſunt, ſcriptorum comparatione.*

10 *Quod ſuperbia de cœlo eiectus fuit Lucifer, Quod ambitionis eſt c omes, Quomodo cum ſit uitium in primis exoſum Deo, elui poſsit, Quod ſecundas res quoque aliquando comitatur, & breuiter quod omne malum à malo naſcitur, & ſuperbia etiam à bonis operationibus.*

11 *Quis ſit ſtultus, unde dicatur, et quale ſymbolum eius, An ſententia à ſtulto lata ualeat aliquo caſu. Quod plerunque ſtultitia ſimulatur, ut ſit ſapientia, Quod lex ſtulta nonnunquam ſtultam ſequitur rationem, Deque ſtultitia & ſtultis multa.*

12 *Quid ſit ueritas, Quotuplex, cuius filia & comes, Quod odium parit, & quod denique tametſi difficulter inueniatur, eſt Dux cum dijs tum hominibus omnium bonorum.*

CAPITA DVODECIMI LIBRI.

1 *Aqua eſt elementum de ſubſtantia baptiſmi, Quod exiuit de ſanctiſſimo latere Chriſti, Quod ea mundamur, Quod ceteris elementis imperat, & quod quandoque pro pœnitentia ponitur, licet etiam copiæ Symbolum ſit.*

2 *Quod epiſcopus qui neſciat canones, repellendus eſt, Quod duos epiſcopatus communiter tenere non poteſt, An epiſcopatus ſit ordo uel dignitas, Qalis eſſe debeat epiſcopus, quid hoc uerbum ſignificet, et quoad iuriſdictionem, quid olim & hodie denique ſit dicendum.*

3 *Quod in diſciplinis exercitatio eſt maxime neceſſaria, Quod Milonẽ Crotoniatem imitari debemus, Quod militũ etiam laudal ilis eſt,*

imo quod exercitus ab exercitatione dicitur et quod denique hoc modo cõſeruatur ſanitas.

4 *Exilium tolerandum eſſe, tametſi magna ſit pœna, ratione probatur, Quod longe miſerius eſt ſeni, quàm iuueni, Quod plerique uoluntarium elegerunt, Qua de cauſa, Qui exilio ſint multandi, & quare Græci Bouem ſerua re dicerent, qui in exilium mittebantur.*

5 *Fama an probet, ſi concurrat bona & mala, quæ preualeat, An poſſit probari per teſtes ſingulares, Quid ſit, & à quibus denique originem habere debeat.*

6 *Quod Caduca et fragilis eſt felicitas, Ex quibus conſtet bonis, Quæ ipſius diuiſio, Quis felix, in quibus conſiſtat felicitas, Quod ſumma omnino timenda eſt, & quale ſit adhuc felicitatis ſymbolum.*

7 *Quando finis debeat attendi, Qualis ultimus hominis, Quod mouet agentem, principium demonſtrat, & quod eſt breuiter Cauſa cauſarum.*

8 *Fame nihil eſt inſolentius, quod non minus quàm enſis uulnerat, Moriq; fame miſerimum, & quomodo hac neceſſitate multa licent, quæ non permitterentur alias de iure.*

Fletus prima naſcentium uox, olim matronis tantum permiſſus, Quod exemplo multorum peccatores flere debent peccata, & ad idem

eſt

de fletu Chriſti,deq; luctu aliqua.

10 *Quod magna erat ueterum frugalitas.unde dicta, Quas uirtutes complectatur, Amica Socratis olim, et quod Ciuem peruitioſum putabant ſi à frugalitate fuiſſet alienus.*

11 *Quod fides eſt omnium uirtutum præclariſſima, Nullum crimen grauius perfidia. Qui fideles, Quiq; perfidi, Quare Cana dicatur. Deque fide noſtra chriſtiana ſanctisſima multa.*

12 *Qualis peroratio eſſe debeat, quod ea apud Areopagitas opus non erat, & quod denique nil aliud eſt quàm Concluſio, & epilogus eorum quæ dicta fuerunt.*

13 *Quod riſu nonnunquã licet animum relaxare, Quis ſtatuam riſus erexerit Quod inepto nihil eſt ineptius, imò quod tribuitur ſtultis, Deq; riſu ſardonio, & herba nonnihil.*

14 *Quid ſibi uelit uerbum hoc* βαλαντιοτόμος. *Qui ſint illi qui ſacculariĳ uocantur. Quiq; directariĳ.et quod delicta denique ſicut prouinciarum mos eſt puniri debent.*

15 *Quod exordio opus non erat apud Areopagitas, Quod tamen eſt orationis principium & quammaxime neceſſarium, Quod uerboſum eſſe non debet, Quare fiat communiter. Deque multiplici exordiendi forma.*

τέλος.

LIBER I.

Aduleſcens. 1
Auaritia. 2
Diuitiæ. 3
Arrogantia. 4
Amicitia. 5
Paupertas. 6
Sacrilegium. 7
Curioſitas. 8
Clementia. 9
Crudelitas. 10
Conſilium. 11
Concilium. 12

LIBER II.

Ciuitas. 1
Ciues. 2
Confeſsio. 3
Crux. 4
Cauſa. 5
Concordia. 6
Diſcordia. 7
Seditio. 8
Chriſtus. 9
Chriſtianus. 10
Cælum. 11
Clamor. 12

LIBER III.

Conſtantia. 1
Confidentia. 2
Continentia. 3
Conſuetudo. 4
Bellum. 5
Pax. 6
Beneficium. 7
Canis. 8
Lupus. 9
Cautela. 10
Clauſula. 11
Certamen. 12

LIBER IIII.

Caſtellum. 1
Conditio. 2
Corona. 3
Crocodilus. 4
Ciconia. 5
Gelphus Gibellinus. 6
Comes. 7

Conſiſtorium.	8	Hiſtoria.	4
Curia.	9	Elephas.	5
Cuſtodia.	10	Hæreticus.	6
Cor	11	Humanitas.	7
Credulus ſeu creduli-tas.	12	Hoſpitalitas.	8
Curſus.	13	Epitaphium.	9
		Iuſturandum.	10
LIBER V.		Indicium.	11
		Ira.	12
Concluſio.	1	LIBER VII.	
Defenſio.	2		
Dialectica.	3	Inuidia.	1
Doctor.	4	Innocentia.	2
Detractio.	5	Italia.	3
Præceptor.	6	Iuriſdictio.	4
Diſcipulus.	7	Imperium.	5
Dignitas.	8	Iniuria.	6
Deus.	9	Ingratitudo.	7
Dæmon.	10	Iocus.	8
Edictum.	11	Imitatio.	9
Æmulatio.	12	Inuocatio.	10
		Labor.	11
LIBER VI.		Lanificium.	12
Homo.	1	LIBER VIII.	
Honor.	2		
Humilitas.	3	Legitimatio.	1

Longobardi. 2
Ludus. 3
Liberalitas. 4
Leo. 5
Lex. 6
Lingua. 7
Lacus. 8
Luxuria. 9
Ocium. 10
Modeſtia. 11
Magiſtratus. 12
Medicus. 13

LIBER IX.

Mendacium. 1
Mors. 2
Mare. 3
Memoria. 4
Mons. 5
Morſlca. 6
Muſica. 7
Sibylla. 8
Metamorphoſis. 9
Neceſsſitas. 10
Nobilitas. 11
Ignobilis. 12
Numerus. 13

LIBER X.

Ordo. 1
Oculus. 2
Oratio. 3
Peſtis. 4
Patria. 5
Parlamentum. 6
Præmium. 7
Pertinacia. 8
Philoſophia. 9
Princeps. 10
Pictura. 11
Virtus. 12
Puteus. 13

LIBER XI.

Voluptas. 1
Rex. 2
Silentium. 3
Teſtamentum. 4
Vulgus. 5
Vinum. 6
Veſtis. 7
Scomma. 8
Statua. 9

Superbia.	10	*Felicitas.*	6
Stultitia.	11	*Finis.*	7
Veritas.	12	*Fames.*	8
		Fletus.	9
LIBER XII.		*Frugalitas.*	10
		Fides.	11
Aqua.	1	*Peroratio.*	12
Epiſcopus.	2	*Riſus.*	13
Exercitatio.	3	*βαλαρτιοτόμος.*	14
Exilium.	4	*Exordium.*	15
Fama.	5		

τέλος.

A

Aduleſcens. 1 lib.1
Amicitia.5 lib.1
Aqua.1 lib.12
Arrogantia.4 lib.1
Auaritia.2 lib.1

B

Bellum.5 lib.3
Beneficium.7 lib.3
βαλαντιοτόμος.14 li.12

C

Cauſa.5 lib.2
Canis.8 lib.3
Cautela.10 lib.3
Caſtellum.1 lib.4
Cælum.11 lib.2
Certamen.12 lib.3
Ciuitas.1 lib.2
Ciues.2 lib.2
Ciconia.5 lib.4
Clementia.9 lib.1
Clamor.12 lib.2
Clauſula.11 lib.3
Conſilium.11 lib.1
Concilium.12 lib.1
Confeſſio.3 lib.2
Concordia.6 lib.2
Conſtantia.1 lib.3
Confidentia.2 lib.3
Continentia.3 lib.3
Conſuetudo.4 lib.3
Conditio.2 lib.4
Corona.3 lib.4
Comes.7 lib.4
Conſiſtorium.8 lib.4
Cor.11 lib.4
Concluſio.1 lib.5
Credulus, Credulitas. 12 lib.4
Chriſtus.9 lib.2
Chriſtianus.10 lib.2
Crocodilus.4 lib.4
Crudelitas.10 lib.1
Crux.4 lib.2
Curioſitas.8 lib.1
Curia.9 lib.4

Cuſtodia.10 lib.4
Curſus.13 lib.4

D

Defenſio.2 lib.5
Detractio.5 lib.5
Deus.9 lib.5
Dæmon.10 lib.5
Diuitiæ.3 lib.1
Diſcordia.7 lib.2
Dialectica.3 lib.5
Diſcipulus.7 lib.5
Dignitas.8 lib.5
Doctor.4 lib.5

E

Edictum.12 lib.5
Elephas.5 lib.6
Æmulatio.12 lib.5
Epitaphium.9 lib.6
Epiſcopus.2 lib.12
Exercitatio.3 lib.12
Exilium.4 lib.12
Exordium.15 lib.12

F

Fama.5 lib.12
Fames.8 lib.12
Felicitas.6 lib.12
Finis.7 lib.12
Fides.11 lib.12
Fletus.9 lib.12
Frugalitas.10 lib.12

G

Gelphus.6 lib.4
Gibellinus.6 li.4

H

Hæreticus.6 lib.6
Hiſtoria.4 lib.6
Homo.1 lib.6
Honor.2. lib.6
Hoſpitalitas.8 lib.6
Humilitas.3. lib.6
Humanitas.7. lib.6

I

Ignobilis.12. lib.9
Imperium.5. lib.7
Imitatio.9. lib.7
Indicium.11. lib.6

Inuidia.1 lib.7
Innocentia.2 lib.7
Iniuria.6 lib.7
Ingratitudo.7 lib.7
Inuocatio.10 lib.7
Iocus.8 lib.7
Ira.12 lib.6
Italia.3 lib.7
Iuriſdictio.4 lib.7
Iuſiurandum.10 lib.6.

L

Labor.11 lib.7
Lanificium.12 lib.7
Lacus.8 lib.8
Legitimatio.1 lib.8
Leo.5 lib.8
Lex.6 lib.8
Liberalitas.4 lib.8
Lingua.7 lib.8
Longobardi.2 lib.8
Lupus.9 lib.3
Ludus.3 lib.8
Luxuria.9 lib.8

M

Magiſtratus.12 lib.8
Mare.3 lib.9
Medicus.13 lib.8
Mendacium.1 lib.9
Memoria.9 li.4
Metamorphoſis.9 li.9
Modeſtia.11 lib.8
Mors.2 lib.9
Mons.5 lib.9
Muſica.6 li.9
Muſa.7 lib.9

N

Neceſſitas.10 lib.9
Nobilitas.11 lib.9
Numerus.12 lib.9

O

Ocium.10 lib.8
Oculus.2 lib.10
Ordo.1 lib.10
Oratio.3 lib.10

P

Paupertas.6 lib.1
Pax.6 lib.3

Patria.5. lib.10
Parlamentum.6 lib.10
Peroratio.12 lib.12.
Peſtis.4 lib.10
Pertinacia.8 lib.10
Pictura.11 lib.10
Præceptor.6 lib.5
Præmium.7 lib.10
Princeps.10 lib.10
Philoſophia.9 lib.10
Puteus.13 li.10

R

Rex.2 lib.11
Riſus.13 lib.12

S

Sacrilegium.7 lib.1
Scomma.8 lib.11
Seditio.8 lib.2
Sibylla.8 lib.9
Silentium.3 lib.11
Statua.9 lib.11
Stultitia.11 lib.11
Superbia.10 lib.11

T

Teſtamentum.4 lib.11

V

Veſtis.7 lib.11
Veritas.12 lib.11
Virtus.12 lib.10
Vinum.6 lib.11
Voluptas.1 lib.11
Vulgus.5 lib.11

τέλλος.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi POLYMATHIAE, id eſt diſciplinæ multiiugæ, in gratiam ſtudioſorum nunc primũ editæ,

LIBER PRIMVS.

DE ADVLESCENTVM OFFIcio quales eſſe debeant, quæq́; eiſdem neceſſaria ſint, ut ingenua educatio dicatur, grata, chara acceptaq́; omnibus. Cap. I.

ADVLESCENTES honeſtis parentibus orti, cogitare debent nihil in uita expetendum eße, niſi quod laudabile ſit, atque præclarum uideatur, & ad uirtutem non tantum præceptionibus, ſed etiam actionibus, & exemplo cohortandi, uerum eſt tamen, quod non aliud inquirere debent, niſi quæ ſuæ ætati conueniant. Diogenes enim (ut in uita ipſius Laer. grauisſimus auctor inquit) aduleſcentem inſtantius, quàm per ætatem conueniret quiddam inquirentem, admoto ſpeculo iusſit inſpicere, rogauit deinde, num ſibi uideretur ei fa

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cici congruere tales quæſtiones. Amet inſuper ſtudia, præceptorem reuereatur, ſenes non irrideat, nec ſubſannet calamitoſos, quoniam perditi animi argumentum euidentiſſimum eſt. Mos erat olim etiam Romæ, in epulis conuiuas canere ad tibicinem clarorum hominum uirtutes, ut iuuentutem prouocarent ad imitationem. Quæ omnimodo in uita mihi ſemper neceſſaria uiſa eſt ut ſuo loco dicemus. interim hortandi ſunt & rurſum, ut laudatiſſimorum parentum uotis reſpondeant, clariſſimis maiorum ſuorum imaginibus digni euadant, Politicas diſciplinas cordi habeant, & ditioni denique cui nati deſtinatiq́; ſunt, pares eſſe queant. Laudãda enim cum Plutarcho ad idem eſt ingenua ambitione ardens Demoſthenis & Themiſtoclis indoles, qui adoleſcentes admodum, forenſis togæ decus lucemq́; fori quãdam ſuſpirabant, nõ ſecus quàm Gadibus Cæſar in templo Herculis uiſa Alexandri Macedoniæ regis ſtatua, qui ingemuit & ad ſummam rerum etiam accenſus eſt. ambulareq́; debent cum his cum quibus conſpecti, colorem haud mutent. Putantes ex conuictoribus improbis, nihil capi fructus niſi probrum & ignominiam. & ad ſummum parentum optima erit educatio ſi aſſuefaciant eos, & agere que neceſſe ſit, & tolerare quæ oporteat, & malos fugere & bonos amare, æqualibus humanos, iunioribus placabiles ſe red.

dere, & magiſtratibus obtemperare, ſicq; artibus eos imbuant, quibus tum ad humanitatem informentur tum ad cetera, quibus omnium ferè ſui temporis adoleſcentum ſpeculum & exemplar eſſe poſſint. Nec deterreãtur ſi quãdo errarint, & declinarint à ſcopo interdum, quoniam eis ignoſcendum eſt dandaq; uenia iuuenilibus erratis, ſeq; exemplo Actij Romani tueantur, qui cum Tragœdiam Atrei ſcripſiſſet, eamq; Pacuuio iam ſeni legendam oſtendiſſet, laudaſſetq; ille frigidius ſolito dicens amplius uerba duriora crudioraq; in ea eſſe, non præ uerecundia ſubmiſit animũ, ſed audacter ſic reſpondit, uera dicis Pacuui, at ego meliora ſpero quæ deinceps ſcribam, humana enim ingenia ueluti poma primum acerba & cruda ſunt, deinde ſenſim mitiora in dies ac decoctiora fiunt. Danda igitur opera eſt, cum primum per etatẽ licet ut uigilijs et laboribus aſſueſcant, quibus præclaram expectationem quam ab initio concitant non ſolum in dies amplificent, uerum etiam uincant & ſuperent, & præſertim in re militari; id unum præ oculis habentes, quod Scipio Africanus maior, anno decimo ſeptimo ætatis ſuæ, contra Hannibalem in caſtra patris deductus eſt, uigeſimo autem proconſul in Hiſpaniam miſſus, & decimo ſexto declaratus rex Alexander Macedonicus, uir ille præter omnem humanam potentiam

animi magnitudine præditus, qui in ciues clementisſimus, in amicos fidelis, laborisq; patientisſimus fuit, & breuiter incomparabile ſui ſeculi decus & ornamentum. Quod Cneus Pompeius *uigeſimo quarto de* Aphrica *triumphauit.* Quod *iuuenis admodum probus contra* Diui Adriani *edictum tribunatum accepit.* Quod *pari modo ob uirtutis indolem annis quinq; ante tempus annali lege præſcriptum* Germanicus *quæſtor creatus eſt.* Celſus *etiam (eò redeuntes unde diſcesſimus) adoleſcens de iure ſcripſit; &* Nerua *publice diſputauit.* Quid quod Gulielmus Durãtes *ſpeculum iuuenis admodum et ipſe compoſuit cauſamq; iudicauit ſibi cõmiſſam, quæ antequam naſceretur cepta fuerat, nec erat adhuc lis conteſtata, quod ferunt aliqui ſic conqueſti. & nos uentris animalia (uerba ſunt tamen* Grego. *in moralibus) quid tanti unquam fecimus, quos ſi ſecunda hora offenderit uigilantes, oſcitamus defricamusq; manibus frontem.* Sub Cino Piſtorienſi *cepit* Bartolus Saxoferatenſis *(lumen illud legum) adoleſcens Cæſareum ius profiteri, poſtea reſpondit publice, & infulis* Doctoreis *non dum annum uigeſimum primum egreſſus cohoneſtatus eſt.* Repetijtq; Baldus Vbaldus Peruſinus, *(miraculum aliud naturæ) iuuenis legem (ut nos dicere ſolemus) difficillimam, quæ incipit* Centum Capuæ. *Quorum primum ipſe*

met Bartolus teſtatur. Secundum uero Angelus Vbaldus. Caueant tamen ne in publico conſeſſu, loquantur niſi rogati, ſeniorumq; ſemper utantur conſuetudine, immodica fortuna haud mutari nitantur, nec inſoleſcere, & moribus ſaltem, ſi non ætate ſint ſenes, ut Paulus Triuiſanus, & Scipio Rinius lectiſſimi auditores mei: hecq; cito agant ut paulo ante dictum fuit, ſeu omnia agere cũ diſcant tum aſſueſcant, quoniam ut breuis eſt roſæ nitor, ita fugax eſt iuuentus, adnitanturq; magis ne ſine fructu effluat.

De cupiditate malorum omnium arce ut dicebat Diogenes, & quàm deteſtabilis ſit auaritia.

Cap. II.

QVAM deteſtabilis ſit auaritia, à natura hominibus inſita magis quàm effuſio, latet nemĩnẽ, idolorũ ſeruitus, mater omniũ malòrũ et peſtis, quæ oẽs uirtutes perimit atq; eneruat, et ſæpe numero etiã imperia deſtruit, appetitus quidẽ inordinatus, ac pecuniæ ſtudiũ, quod ſapienter ferreo nummo magnus ille legumlator Licurgus expugnauit. Cumq; diceret Craſſus homo inexplebilis cupiditatis Stoicorum eſſe dogma, uirum bonum eſſe diuitem, ei ſic reſpondit Cicero: Vide ne magis hoc ſentiant, ſapientis eſſe

omnia, eiuſdem auaritiam tecte taxans, cui nihil erat ſatis. & quamuis rurſum dicamus, liberalitatem mediocritatem eſſe quandam, circa pecuniam, prodigalitatem uero exceſſum, auaritia tamen (ut inquit Ariſtoteles) defectus eſt. quo omnes hac peſte laborantes, in Pactolum fluuium coniecti mergi deberent (quemadmodum Acheo Lydiæ regi eueniſſe ferunt) ut inſatiabiles auriferas ſemper potarent aquas. Auaros nec mortuorum loculis, parcere exemplo nobis eſt Darius Perſarum rex, qui uerbis deluſus potius quàm allectus, cum Semiramis Aſſyriorũ reginę tumulum aperuiſſet, non theſaurum (ut polliceri eadem uidebantur) inuenit, ſed alijs grauioribus inſcriptam obiurgationem huiuſmodi perlegit. Niſi malus eſſes, & pecuniarum inexplebilis mortuorum loculos non mouiſſes. *Anno Chriſti etiam num. 1250. Allau magnus Tartarorum rex, Suſam, quę hodie Baldacha appellatur, ciuitatem cepit, ubi Caliphus urbis Dominus turrim auro, argento, & lapidibus precioſis plenam habebat, qui cum noluiſſet theſaurum auaritiæ ſtimulis ſauciatus in milites ſpargere, in illam coniectus eſt, ibique negato ſibi cibo, & potu fame perijt. cui prius rex dicebat. Si theſaurum hunc non tam auare ſeruaſſes te ipſum, & ciuitatẽ liberaſſes, nunc igitur eo fruere, ex eoq; quem tantopere dilexiſti comede et bibe. Et dictu*

ctu mirabile eſt, quod qui pecunias in Lacædemo niorum regionem aliquando portaſſent, morte damnati ſunt, Alcameni ac Theoponpo, oraculo hoc reddito, pecuniarum amor Spartam perdet. et minine mirum adhuc, quoniam nec timet deũ, auaritia inexplebilis, nec hominem ueretur, non parcit patri, nec amico fidem ſeruat, uiduam op primit, rem pupilli inuadit, & breuiter nullũ eſt officium, tam ſanctum atque ſolenne, quod non ea comminui atque uiolari ſoleat. Auari ſunt ſi cuti Gryphi ſæuum et pertinax ferarum genus, qui aurum terra penitus egeſtum mire amãt mi reque cuſtodiunt. Diuitiarum deus cæcus, Auriq; fames ſacra (ut poeta inquit) ideſt execranda. ea de re harum maximarum peſtium ignari, auri ſcilicet & argenti, Sarmatæ illorum uice rerum commercia exercent. Deludenda quandoq; etiam eſt homnium auaritia, ut Aurelianus Ceſar pru dentisſimus egit, dum Tyanam ueniſſet dixiſſetq; iratus, quia eã occluſam reperrat, Canẽ in hoc oppido non relinquam, quandoquidem militibus ex Cæſaris promiſſo direptionem oppidi iam ca pti, flagitantibus reſponderit, agite, Canem me negaui relicturum, canes omnes occidite: & ad propoſitum licet noſtri, quemlibet præſumi aua rum dicant, nec in dubio uelle pecuniam ſuam in alium tranſire, quòdq; non eſt diues in mundo, qui dicat abundo, & quod denique auarus non

ſubſtantiam poſſidet, ſed ab ea poſſidetur. Contenti tamen modico uitæ ſtipendio eſſe debemus, & quantum ſatis ſit nobis et amicis. unde Socrates & bene, aurum argentum & purpuram tragœdijs potius quàm uſui uitæ neceſſaria eſſe prædicabat. et ad Demonicū Iſocrates, diuitias duabus de cauſis eſſe tutādas, ut mulctam ſoluamus, & ut amico rurſum quem urgeat infortunium, ſubuenire queamus. à minimo tamen uſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, iuxta illud,

Creſcit amor nūmi quātū ipſa pecūia creſcit.

Imo quod nec obolus eſt totus mundus auaro, quòdq; de moribus ultima eſt quæſtio. Haud ignari etiam Neronem, nūquam magiſtratum delegaſſe, quin diceret (adeo perditæ auaritiæ fuit) ſcis quid mihi opus eſt. Veſpaſianus quoque poſitis amphoris in uijs ad urinas excipiendas, que fullonibus uenderetur, uectigal commentus eſt, repræhenſus tamen à Tito filio, conticuit, mox uero pecuniam ex prima penſione ad ipſius naſum admouens, ſciſcitatus eſt, num odore offenderetur, minime inquit, at ille ſtatim, ex lotio eſt, odorq; lucri bonus ex re qualibet. Nec ab re eiuſdem bubulcus cum poſt adeptum imperium, libertatem petijſſet, nec exoraſſet, prouerbialiter exclamauit, Vulpis pilum mutat non mores, aureumq; dictum eſt, hominum adiectione potius imperium ampliari, ſi maxime uir

tute fuerint prædití, quàm pecuniarum copia, & Ptolemæi peculiare, longe magis, regium eſſe, alios locupletes efficere, quàm locupletari. & forte hac ratione decretum puto alias, non delinquere, qui in dubijs quæſtionibus, facile reſpondet contra fiſcum. Nec eſſe ob leue calumniarum genus bona eidem deferenda, ut Tiberius faciebat, cui obiectum eſt quoque rei familiaris partem in pecunia habuiſſe. Auaritia militum pertinax interemptus eſt. & Iulianus Didius à populo. Polycrates Perſa ab Orete inimico auri pondere illi promiſſo ut fœderis ſocius contra Cambiſem eſſet, auaritia captus credidit promisſioni, aſſenſit, & tandem deluſus Oretis iuſſu cruci affixus eſt. Deteſtabilior ſanè ſi ſenes maxime ſordidisſimo hoc laborent morbo, quandoquidem non intelligam (ut inquit Cice.) quid ſibi uelint. Poteſt enim eſſe quicquam abſurdius, quàm quo minus uiæ reſtat, eo plus uiatici quærere? Diuitiæ omnino ſpernendæ ſunt, quia liberalitate perduntur, & (quod peius eſt) marceſcunt auaritia. Qua Licaonem etiam Poetæ more magiſtri & uitæ humanæ emendatores, fingunt in lupum conuerſum, nil aliud exiſtimantes, niſi hoc ipſum nobis euenire cum primum animum ad auaritiam uertimus. Cain auarus fratrem occidit. Polymneſtor Virgilianus Polydorũ Priami regis filiũ, quando ſic dixiſſe cecinit,

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarũ,
Nam Polydorus ego. hic confixũ ferrea texit
Telorum ſeges, & iaculis increuit acutis.

Balaam ſeductus auaritia benedictionem populi in maledictionem conuertit. Cuius ſymbolum eſt formica indica quæ aurum è cauernis erutũ ſeruat tantum nec fruitur. Vel Midas phrygius, qui omnia contactu fieri aurum cupiebat. vel Tantalus, quia auaro opes uſui non ſunt, ſiccisque faucibus, pecuniis cõditis incubant. Quid quod auarus omnibus eſt odio, à quo nec gratiam ſicuti nec à mortuo (ut dicebat Socrates) ſermonem expectamus. Pythacus auaritiam inſatiabilem lucrum appellabat. Periander turpe. Sophocles barbarum, & auaros Diogenes magnificos pauperes. Auarus elementa concutit, mare ſulcat, & terram effodit, Cœlum uotis fatigat, & nullus denique euripus fluxibus eſt tam irrequietus, quàm iactatus ipſius animus. In quo allatrat cerberus triceps, furiæ infernales ſæuiunt, Siſyphus laxatur ſaxo, aliaque monſtra graſſantur. & ut denique finiamus breuitati ſtudentes, quod enchiridij nomine alias inque primo facere inſtituimus tomo, auaro homine nihil eſt ſceleſtius, nullum uitium auaritia tetrius, nihil iniquius quàm amare pecuniam. hic enim, animam ſuam uenalem habeat neceſſe eſt. Inſano ſimilis qui non res ipſas ſed phãtaſias ſue paſſio

tis uidet, nec aliud auari mens, ſemel uinculis cupiditatis aſtricta, niſi aurum & argentum, gratiusq́; ſibi aurum quàm ſol, uerſaq́; ſemper eius oratio & ſupplicatio ad deum aurum. Ca*uendum igitur eſt ne crimen hoc incurramus, ne ue nomen auari ſubeamus, quoniam nobis ipſis animæ & corpori exitium pararemus. cetera prolixiora ad propoſitum facientia conſulto prætermitentes, ne cum alio loco etiam (ni fallor) dicta fuerint & ſcriptis commendata fidelibus, ſi toties repetantur uitio haud careant & explodantur.*

De *diuitibus, deque ipſorum opibus, an à ſapientibus ut peſtes malorum omnium ſpernendæ fugiendæq́; ſint, an uero parandæ & ſummo ſtudio (ut multi faciunt) cuſtodiendæ.* Cap. III.

T*ametſi diuitias* Homerus *dixerit donum dei eſſe, uerisſimumq́; ſit. &* Cicero *quod expetuntur tum ad uſus uitæ neceſſarios, tum ad uoluptatem. &* Seneca *quod his exaudiuntur muti, ſurdis remittitur intelligentia, uenerantur ignobiles, rudes arguunt, ignorantes docent, incompoſiti regunt, & fatui prophetizant. & neruos rerum* Boryſtenites, *attamen ex diuitijs ſatietas naſcitur, ex ſatietate uero contumelia dicebat & rectius* Thales *mileſius.* Imò *quod ſi-*

ne uirtute inſolentiam improbitatemq́; pariunt: longeque præſtat ipſa uirtus, aliſsimis defixa radicibus, quæ nulla nunquam ui labefactari poteſt, nunquam dimoueri loco. Quam etiam maiores noſtros, pluris feciſſe conſtat quàm nunc, ſuaque tempeſtate hominibus fuiſſe ornamēto, nec eo tempore paupertatem cuiquam dedecori. At nunc *(ut ille ait)* Curia *pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores. ea de re diues ſplendorem amictus oſtentans, alijs ſuam exprobat miſeriam, ſibique inuidiam conflat, & ſi ſuppetant earum domini belluinis uoluptatibus ſe mancipant, haud conſiderantes non adiuuare ſed opprimere potius ut nauem ingentia onera.* Nullum *afferunt ſplendorem diuitiæ, maxime eas cum ignauia posſidenti.* Diuitū *familiaritas difficilis, qui nil aliud quàm diuitias laudant. & ubi honorantur probi uiri diſpiciuntur, nec ſimiliter temperantia posſidetur.* Athenienſes *præter uirtutem (ut paulo ante dictum eſt) omnia ſpernebant, parui faciebant præſentia, neque afferebantur, ſed tanquam onus quoddam exiſtimabant auri argenti ceterorumq́; copiam.* Imposſibile *amplius fore putantes ſimul diuites eſſe & probos. & licet noſtri diuitias bona appellent, quod beent ideſt beatos homines reddant, ſermo tamen amens eſt, & infelix mulieribus pueriſque cōueniens. quas Auguſtinus uiſcbatas deinde appellat.* Chriſo-

ſtomus ſpinas, & philoſophi ſtultitiam, arbitrari turq́; diuitem nõ modo malum ac ſtultum, uerum etiam miſerum. Quid *quod diuites comedunt pauperes, collectas ſoluentes, & onera portantes, deq́; ipſorum lacrymis, pene in fiſcum tranſeunt, & ſic diuitum omninò ſunt paſcua.* Non *diuitibus & potentibus* Licurgi *lege ſed ſenibus & uirtute præditis debetur honor. appellanturq́;* Syrorum *lingua diuitiæ* Mammona *quibus ſeruire deum eſt negare.* Adam *in delicijs à dæmone uictus eſt, quem uicit tamen* Iob *in ſterquilinio. & ſi dixero quod ex iniquitate proueniant non errabo, quoniam idem dixit in euangelio* Chriſtus *ſic,* Facite *uobis amicos de* Mammona *iniquitatis.* Doloſæ, *execrabiles, & irratamenta denique malorum omnium.* Socrates *enim cum uidiſſet hominem diuitijs affluẽtem, eaque de cauſa & faſtigio quodam gloriabundum incedere, non prius (inquit) te admirabor, quam notum mihi ſit, quo nam pacto his ut ſcias. ſentiens perniocioſas fore, niſi adſit animus ipſius ſuperior qui poſſit earum uſum non ex copia ſed ex neceſſitate moderari.* Nec *quenquam his gloriari debere, in nulla orbis parte poſitis ſed uirtute & gloria, ut* Hercules *quem telo triſulco* Iunonem, *ideſt diuitias uulneraſſe ferunt, hoc eſt uirum prudentia præditum, eas triplici ratione ſpreuiſſe, quia anxiæ ſunt, curis plenæ, ac ſuſpicioni-*

bus, & ſtatu denique cum dubiæ tum etiam fragiles & caducæ. Spernendæ igitur ſunt à nobis, & fugiendæ, nec parandæ, uel parte tanto cuſtodiendæ ſtudio, etiam ſi Crœſi ſint, funeſtumq́; Midæ regis aurum, auulſaque Dionyſii ac Craſſi ſpolia templis. laudandaque ſimul & amplectenda ſeu potius imitanda Cincinnati Reguli, Curij, & Fabricij fælix ac glorioſa paupertas, & cum poeta ſic carmine celebranda,

Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro,
Me mea paupertas uitæ traducat inerti.

De arrogantiæ crimine, quod omnium maximum eſt. Qui arrogantes fuerint, & quod ij hominum inuidiam odiumq́; uehementer incurrunt. Cap. IIII.

SI principium inuiſibilis ſapientiæ eſſe conſiderauerit homo non obliuiſci ſui ipſius ſemper præ oculis habens origines ſua: ſi cogitauerit ſe aquam & cinerem iam inde à creationis ſuæ exordijs non inflabitur nec criſtas tollet per arrogantiā, quæ eſt (ut inquit Salomon) abhominatio domini, et à qua ſemper hæreſes omnes prouenerūt, nec hæreſis aliud quàm proprie opinionis electio contra ſanctam determinationem eccleſiæ, quod ſanè abſque arrogantia eſſe non poteſt. & hæreticus ideſt diuiſus, ac ſeparatus à

ſide catholica. Arrogantia *modeſtiæ contraria eſt, qua impudentia, uanã auctoritatem ſibi com parat, ſuperbiæ filia, hæc uero ambitionis comes, rapientis etiã homines ad honores nec quicquam penſi habentes, qua ſit eundum ſed quo. ea de re uitanda ne hominum inuidiam uel odium incurramus, uel ſaltim ſi eam aliquo modo contraxerimus caſtiganda. ut* Epaminundas *fecit, qui ſolitus erat uncto corpore, hilarique uultu prodire in publicum, quique poſtridie eius diei quo fæliciter pugnatũ fuerat, in leuctris proceſsit ſqual lidus ac ſummiſſus, amicis uero ſciſcitãtibus num ſibi moleſti aliquid accidiſſet, nihil inquit, ſed heri ſenſi me plus æquo mihi placuiſſe, hodie (adeo arrogantiam metuit) illius gaudij intemperantiam caſtigo.* Nulloque *modo ſapientia ſibi arroganda, quoniam ſolus* Deus *ſapiens eſt, inquit olim* Thales, *cum* Mileti *inuentam auream menſam iusſiſſet* Appollo *ſapientisſimo condonari, ciuitasq; eidem dari decreuiſſet, magnitudinem huius laudis non agnoſcens, oraculi ſententiam interpretatus eſt, appollini menſam offerri debere, quod deus hoc uerborum inuolucro ſignificaſſet, neminem mortaliũ ſcilicet ſed ſolum deum (ut diximus) ſapientem eſſe. ex quo fit ut aliquando riſerint* Epheſii Heraclitum *(iam erat ſenium ingreſſus) affirmantem ſe neminem audiuiſſe, à ſe ipſo dediciſſe omnia, & nihil denique*

ignorare. Maioriq; laude fuerit dignus Socrates, qui frequentiſſime dicebat, tametſi oraculo delphico ſapientiſſimus fuiſſet iudicatus, hoc unum ſciebat coniecturis conſtare non demoſtrationibus, minimamq; partiunculam eſſe eorum quæ ignorabat. Pythagoras adhuc ut crimen hoc uitaret non ſapiens ſed philoſophus, & ſapientiæ amator uoluit appellari. & uere ſapiens ſe ipſo contentus eſt, extra ſe uero nihil appetit, nihil quærit aut curat, ſimilis mundo, qui undiq; teres eſt, quiq; rotundus tantum ſibi conſtat. Vt arrogantiam uitaret Moſes Deuteronomij auctor de ſe loquens, quaſi de alio ſic aliquando dixit. hec ſunt uerba quæ locutus eſt Moyſes. Sic Iob, Vir erat in terra Hus nomine Iob. Sic Ioannes, Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his. Nec arrogantiæ uitio eſt aſcribendum, quod aliquādo Paulus ſe habere Spiritum ſanctum profeſſus ſit, Auguſtinus uero dixerit ſe parem prophetis, & iſtorum exemplo etiam ſe laudarit Imperator noſter Iuſtinianus, quia hoc ipſum non inanis gloria fuit ſed ueritas & uirtus loquentium longe maior & excellentior. Poetæ ut arrogantes carperent Thamiram finxerunt cum de harmonia muſas prouocaſſet, oculis captum & muſica dediciſſe. Arachne uero mulierem lydam quia de lanificio pariter cum Pallade certare auſa eſt in araneam conuerſam fuiſſe. Inq;

Ciconiam à Iunone *propter formæ arrogantiam commutata* Antigona Laomedontis *filia, iuxta illud,*

Manet alta mente repoſtum,

Iudicium Paridis,*ſpretæq; iniuria formæ.*

Arrogans blanditur ſibi plurimum, & ſuæ eruditionis opinione ita inſoleſcit ut in eo renatus uideatur, uel Epicurus *qui ſe ſolum ſapientem profeßus eſt, quique à diſcipulis adorari uoluit, cum præceptores ſuos petulanter contemneret. uel* Palæmon *ille grammaticus qui iactabat ſecum natas & perituras literas, & qui rurſum omnes æui ſui quanquam doctisſimos habebat contemptui, imo quod* M.Varronem *porcum literarum appellabat.* Vel Gorgias Leontinus *qui in maximo literatorum hominium conuentu poſcere auſus eſt, de qua re quiſque audire uellet, de quouis ſubiecto ſermone diſſerere.* Idemque *ex noſtris* Petrus Baylardi. *et ſophiſtæ omnes qui hoc idem palam & publice profitentur.* Ac *pharmacopolæ.* Vel Menecrates *medicus, qui* Iouis *cognomento delectabatur, quiq; Ageſilao regi, ſic ſcribere,* Menecrates Iuppiter Ageſilao *regi ſalutem, non erubuit.* Vel *& ultimo* Satanas, *qui regi regum & domino dominantium, dicere auſus eſt, ſi cadens adoraueris me, tibi dabo omnia regna mundi, cum tamen domini ſit terra, & plenitudo eius. cuius imitatores non modo fuerunt ij quos pau-*

lo ante retulimus, uerum alij multo plures, præſertim Cato *maior, qui dicebat* Po. Ro. *longe maiora ſibi debere quàm* Po. Romano *Catonem, nec non* Chryſippus *qui ſe omnia ſcire ſolus profitebatur. non ſecus ac* Heraclitus *antea relatus, uſque adeo ut uulgus ironice diceret ſæpe, ſolus* Chryſippus *ſapit, ceteri uelut umbræ omnes agitantur.* Ideḿq; Hippias *tota* Græcia *audiente: & minime mirum hac de re ſi aliquando exitio fuit quibuſdam maxime* Buturio, *qui ultimo affectus eſt ſupplicio, ex quo tribunitiam poteſtatem gerenti & in foro obambulanti ſe arroganter extollendo de uia non deceſſerat.* Arrogans Pōpeius, *Magni filius, qui uictoria nautica* Neptuni *filius uocari uoluit.* Deq; *militari diſciplina coram* Hannibale Phormio *delirus ſenex diſputare.* Metellus *denique ab omnibus irriſus, cum* Sertorio *diceret, nulla ex parte nec uirtute, nec rebus geſtis eſſe conferendum.* Qua *mentis ebrietate cæca profanos effaſcinãte ſpiritus, nec caruit egregius ille pictor* Zeuſis Heracleotes, *quem cum athletam pinxiſſet inuiſurum potius pictorem quàm imitaturum ſubſcripſiſſe ferunt.* Helenamq; *adeo eleganter, ut talem nec partu* Lædam *edere potuiſſe affirmaret, nec* Homerum *diuino ingenio ſuo uerſibus exprimere.* Imò *quod opera donabat dicens, ea ratione id facere, quoniam parem non inueniebant emptorem.* Nec par

rhaſius dum ſe artis principem eſſe prædicaret. Nec ex recentioribus Donatus Florentinus *ſculptor, facile cum antiquis comparandus, prodigioſa hac ambitione ardens. qui cum* Florentiæ *in ſublimi parte maioris templi* D. Mariæ *ſtatuam pariter ſculpſiſſet, ſeq; mirum in modum ſibi placuiſſet eidē colaphum impegit, exclamans loquere, quaſi uiuam effeciſſet, nec aliud maius poſſet ab eo deſiderari. & uſque in diem præſentem uocatur. il zuccone di* Donatello. Dicebat *rurſum* Democritus *à nullo in oſtendendis lineis uictum fuiſſe.* Attila *uocabat ſe flagellum dei.* Tamerlanus *Scytha gentium terror.* Rex regum *Darius & conſanguineus deorum* Alexandrique *dominus.* Optimum *erit igitur nomen arrogantis non ſubire (ut diximus) hanc infamiæ notam effugere. & cum* Lycida *canere potius,*

Me quoque dicunt.

Vatem paſtores, ſed non credulus illis.

Nam neq; adhuc Varro *uideor, nec dicere* Cinna *Digna, ſed argutos inter ſtrepere* Anſer *olores. Aut ab* Apelle *non diſſentire, qui ſemper uerbum pingebat operibus inſcribere ſolitus erat, non aūt pinxit, ut animi moderatione ſuaſi ſic etiā nos tum iſtos tum* Socratem, Pythagoram, Moyſen, Iob, Ioannem. *quorum paulo ante mentio facta eſt, & non abſimiles imitantes faceremus.*

De multiplici amicitiæ ſpecie, deq; ſymbolo ipſius, & qui uere amici denique uocandi ſint. Cap. V.

AMicitia cum ex philoſophi ſententia, nil aliud ſit quàm honeſta perpetuæ uolūtatis cōmunio, animaq; una in duobus corporibus habitans, & unum uelle ac nolle, ab omnibus eſt etiam appetenda. imò quod in uita longe magis eſt quàm aqua uel ignis neceſſaria, affinitati æquipollens dummodo reconciliata non ſit, quoniam hec ſemper lubrica eſt, fallax atq; infirma, & ad plenum adeo quidem (ut dixi) neceſſaria, ut ſi quis eam tollat, ſolem è mundo tollere uideatur, qua etiam elementa copulantur, Ignis, Aqua, Aer & Terra. & ſi ciuium fuerit comes, erit regum, naturalis aliàs, ſocialis, & hoſpitalis inter patrem & filium, inter ciues (ut diximus) & eos denique, qui cum ex commendatione tum literis hoſpitibus coniunguntur. Ciuilē quoque diuidentes in popularem, optimates, in paucos, inq; regiam & tyrannicam. & quod affinitati æquipolleat (ut dictum eſt) liquet ex eo quod noſtri aiunt, iura loquentia in coniunctis ſanguine, uendicare ſibi locum etiam in amicis maxima amicitia copulatis. & inuicem ac ſincero animo diligentibus. Vocant rurſum quæ inter patrem & filium conſtat, charitatiuam in

genere, & ſpecie quadam, in genere prout officium eſt, quod homo homini debet; in ſpecie uero quæ ſit hodie inter paucos. Sentientes alij ultimo hoc caſu non uirtute ſed utilitate aut uoluptate probari, nec quẽquam ſe uadem pro amico dare, neque ſe Oreſtem dicere Pyladem. ea de re melius eſt amicum unum egregium habere, quàm gregarios multos. quo nulla eſt poſſeſsio melior nulla charior uel precioſior, dicebat Scipio minor. maluitq́; Africanus conſulatum quàm Pompeium amicum perdere. & inter alias ſuas maximas fælicitates præcipuum hoc ducebat Sylla, quod Metellum Pium habeat amicum. Nec amandus eſt inſuper, quia nos amet ſed quia dignus eſt ob præclaras animi ſui dotes amari. Amicus dei Moyſes, Ionathas, & Dauid. Amicitiæ ſymbolum, iuuenis forma, detecto capite tunica indutus rudi, in cuius fimbria ſcriptum ſit. Mors & uita: in fronte æſtas & hyems, latus apertum habens et brachium inclinatum digito cor oſtendens ubi ſcriptum ſit adhuc longe & prope: non aliud indicantia niſi quod ſemper recens eſſe debet. nullaq́; temporis diuturnitate teſceſcere, omnibus patere, nec ullo modo erubeſcendum quo minus amicus amicum palam & publice fateatur, nihil arduum ſubire recuſet, amet uſque ad mortem, eam æque, ſeruet in proſperis & in aduerſis, nihil amico celet opus, cordi cor

uero uerbis reſpondeat, & breuiter nullo temporum aboleatur amicitia uel diſiungatur locorum intercapedine. Ex *quibus elicitur facile, qui nam ſint ueri ſinceriq́; amici, quique parandi, & quibus utendum ſit uel abutendum.* Nec *ſilentio eſt prætereundum, eiſdem auxiliari dulciſſimum fore, longeq́; dulcius non faciem componere, ſed optimarum artium ſtudijs animum excolere, et amicorum cum abſentium tum præſentium memores eſſe, atque oculis lynceis nihil imperuium putantes ad eorum caſus aduerſos, & promptius quidem, quàm ad ſucceſſus proſperos ac ſecundos accurrere.* Pulcherimum, *& laudabile id unum adhuc adijcientes ſi mutuis officijs et contendere & in amicitia uincere ac uinci etiam docuerint.* Amicitiæ *comes eſt cõcordia, ueritas, & religio, eiuſdemq́; lex, ut bona omnia cõmunia ſint, nec minus amicum diligamus quàm noſmet ipſos. & ut denique finiamus cum* Epi*curo ſentiemtes, qui dicebat omnium rerum quas ad bene beateq́; uiuendum ſapientia comparauit nihil eſſe maius amicitia, nihil uberius ac iucundius, tales nobis amicos parari optemus quales non* Brutus *aut* Caſſius*, uel ponti rex* Ptole*mæus* Cæ*ſari &* Pompeio *fuerunt, ſed* Pylades *&* Oreſtes, Theſeus *&* Pyrithous, *nec non* Scipio *&* Lælius, *fuiſſe ferunt. qualesq́; ſic exclamans cecinit* Poeta.

Felicitas

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſus querimonijs
Suprema citius ſolet amor die.

Delphinnm etiam puerum adamantem, uel aquilam Virginis amore flagrantem, uel magnetem ferrum ad ſe trahentem imitati, ut ab amicis ſeu amicitia alieni non ſimus.

De paupertate quòd uitium non ſit, ſed uirtutis potius teſtimonium, & decus probitatis, quammaxime laudanda opum deteſtatione. Cap. VI.

Quamuis noſtri dicant ſi mutuum fiat pauperi quod perditur, quodq; infælix eſt paupertas, & quod denique durius in ſe nihil habet niſi quòd ridiculos homines facit, attamen prodeſt, & iſtam excuſationem præbet, nec olim cuiquam dedecori erat. Imo quod cũ Phocion uirtutis teſtimonium eſſe dicebat, & probitatis ſuæ decus ac ornamentum. & Socrates modeſtiam quandam minime inuidioſam, commutationem ad peiora non expectans. Interrogatusq; Licurgus à ciuibus quo nam pacto hoſtium poſſent repellere impetum, ſi pauperes (inquit) manſeritis, & contentiones depoſueritis mutuas. Paupertas maxime chriſtiana ſemper

eſt diues. quam aliqui, ſuaſu uiri ſapientis diuitijs relictis non nunquam affectarunt. Diogenes *enim cum apud quendam aduleſcentem diſcubuiſſet auro picturaque omni ex parte ornato, in ipſum expuit, & de ſe conqueſtus, de te (inquit* Diogenes*) conqueri debes, qui triclinij parietes, & pauimenta tanto ſtudio ornaſti, teque inornatum reliquiſti, adeo ut aptisſimus in quem ſpuerem locū mihi uiſus ſis: tum ille, imperitiam meam uideris arguere, ſed non iterum hæc dices, ſtatimque diſtributis bonis omnibus peram ac pallium accepit.* Abiecit *quoque magnum auri pōdus in mari* Crates *ille* Thebanus *dicens, abite peßum malæ cupiditates, ego uos mergam, ne ipſe mergar à uobis.* Nec *aliud præter paupertatem fore dignum laude putauit* Epaminundas. Paupertatis *ſoror frugalitas & parſimonia, ex quibus* Ro. *homines non minus laudis quàm imperio & rebus præclare geſtis conſecuti ſunt.* Teſtes Cincinnatus *cui quatuor agri iugera aranti non ſolum dignitas patrisfamiliæ conſtitit, uerum etiam dictatura delata eſt;* Publicola *cui rurſum (quid enim uiuus poſſederit certum eſt) mortuo lectus funebris & rogus defuit; &* Atillius *denique qui audita uillici ſui morte,* Romam *ſcripſit ut alium collegæ ſibique ſucceſſorē mitterent, quo poſſet et agrum colere, et uxorem ac liberos alere, & quod magna fuerit ueterum*

paupertas liquet ex eo quod aiunt non alia ra-tione talionis penam inueniſſe, tamet ſi hodie exſoleuerit. Tuta *quies ſancta & admirabilis, magiſtra philoſophiæ, & portus ſalutis atque tranquillitatis. & nimirum ſi humili contenta tecto latet: quia quatiūt altas ſæpe procellæ, aut euertit fortuna domos. ſique ex his nos diſcere inde oporteat. quam paruo liceat producere uitam (ut ille ait) & quantum natura petat.* Quid *quod pauper fuit* Lazarus *& allatus in ſinum* Abrahæ, *dives autem relegatus ad inferos.* Moy*ſes alienas paſcebat oues.* Dauid *pauper.* Chriſtus *pauper uiuens & moriens inter latrones nudus.* Diſcipuli *pauperes.* Petrus *pauper &* Paulus. *non ergo hos omnes et ad unguem quidem præſertim* Chriſtum *imitabimur? cuius actio noſtra inſtructio eſt. ridiculum fore exiſtimantes & paulo ante dictis penitus repugnans, quod procul ab urbe olim fuerit paupertatis templum, quodq; in ueſtibulo* Ditis *ſedeat* Dea *hæc homi nibus cum exoſa, tum (ut aliqui ſentiunt) nocens per inaceſſas petras mareq; (*Theognidis *quoque ſententia eſt) fluctiuagum fugienda.* Nec *rurſum ignorantes quod in* Libya Atlantes *diuitias ſpernunt, lætiq; & hilares, paupertate uoluntaria gaudent.* Quod Eſſei *in iudæa pecunias neſciunt, & quod denique nemo iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, &*

qui denique paupertatem timet. Cum Salomone igitur dicamus, Mendicitatem & diuitias, ne dederis mihi domine, tribue tantum uictui meo neceſſaria. Quibus contenti eſſe debemus, ſic pau pertatē diligere, opes nimias deteſtari, & theſau rizare demum nobis theſauros nō in terra ſed in Cœlo, ubi neq; ærugo neq; tinea demolitur, et ubi nec fures effodiunt, nec furantur, addiſcemus.

De ſacrilegio quid ſit, Quot modis commit tatur, Quam deteſtabile crimen fuerit ſemper, Deq; ſacrilegis multa. Cap. VII.

QVoniam de ſacrilegio nunc nonnihil di cere inſtituimus, ſecuti documentum il lud uulgatum, fore ſemper à diffinitio ne ſumendum exordium, ut intelligatur id de quo eſt diſſerēdum, quid ſit et quale, ſic ipſum diffinie mus ut nil aliud dicatur quàm ſacræ rei uiolatio, ſiue in ſe ſiue in alio. Vel & aliter quod ſit tranſ greſſio publici iuris, & furto quidem maius, uſq; adeo ut noſtri dicant, pœnā omnē lege municipali conſtitutam in furto, multo magis habere locum in ſacrilegio. ex quo utiq; tanti eſt quod pluris eſt, & bene. Imò quod crimini læſæ maieſtatis æquipollet, quo etiam nihil eſt grauius, & ſeuera ultione dignius. & inde ſacrilegi nefarij, qui ſa cra polluunt, uerbum ſanè à farre deductum, quo

uti nequeant. & ſi quærat quiſpiam, quot nanq; modis ſcelus hoc ipſum committatur, ſciat tribus committi modis. cum ſacrum de ſacro, uel ſacrum de non ſacro, uel non ſacrum de ſacro aufertur. Aut *& fuſius quòd quandoque committatur per ſonæ ratione, ſi clericum percutiat quis, aut cum moniali coeat.* Vel *reſpectu loci, ſi eccleſiæ uiolẽtur immunitates, & rei ultimo, tripliciter diſcurrentes (ut proxime dictum fuit) quando ſacrũ de ſacro, ſacrum de non ſacro, non ſacrum de ſacro aufertur.* Hinc *deciſionis utilitas elicitur, quia quandoque ſacrilegus ipſo iure eſt excommunicatus, quandoque excommunicandus, poſt trinam admonitionem tamen: excommunicandus ſi offenderit perſonam ſacram, excommunicandus uero ſi rem. pœnaque interdum maior, aliquando minor, cum perſonæ tum rei exoluenda prout rurſum fuerit, uel perſonæ offenſio uel rei.* Quid *quod ſacrilegi olim quoque ab ingreſſu templi* Ce*reris uoce præconia arcebãtur? forte quoniã in deũ ſceleratã exercent audaciã nõ in homines, ut homicidæ uniuerſæ ciuitati nocẽtes. et rebus ipſis denique tum priuatis tum communibus.* Laocoon *Thymbreus, quia piaculum ante numinis ſimulacrum cõmiſerat anguibus cum filiis interemptus eſt.* Achan *ob ſabbati uiolationem lapidatus.* Oza *percuſſus à domino quia arcam indignus tetigerat.* Charybdis *nimpha,* Herculi Boues *rapiens*

fulminata. Miſerabilibus calamitatibus afflicti Dionyſius, Sylla, & Pompeius (hiſtoria nota eſt) ſacrilegia deridentes. & adeo odio habendi ſunt ij, ut à Delphis etiam de ſaxo darentur præcipites. Dictuque amplius mirabile, cum puer neſcio quis, ex corona laurea Dianæ folium delapſum abſtuliſſet, cumque iudices ei talos & folium appoſuiſſent, iſque ad folium manum extendiſſet, quod ætati non ignoſcentes ipſum è ueſtigio uelut ſacrilegum occiderunt. Il Re Philippo di Francia, (hac lingua materna iſtud idem exprimam, quia ita ſcriptum reperi, ne ſua etiam laude fraudetur auctor grauis & eloquens) morto laſciò tre figliuoli, le mogli de quali, tutte furono trouate in adulterio, forſe per il peccato del padre loro, nella preſſura di Papa Bonifacio VIII. ita che ſi puo ben uerificare quel detto del Salmo, Noli tangere Chriſtos meos: & piu che ne i figliuoli fallio la Signoria del Reame, ſi come narra Gioan Villani Firentino ne i libri delle ſue Croniche, non mai baſteuolmente lodate diuine & ſtupende. ideo eſt ab hoc crimine omnino abſtinendum & timendum ualde, cum & iudices, & Deum (quod peius eſt) ultorem & ſeueriſſimum quidem habeamus.

De curioſitate quomodo ipſa quoque graue eſt uitium, non quæ ſua ſunt ſcrutari ſitiens ſemper, ſed aliena. Cap. VIII.

NOn ab re dictum eſt alibi, quæ ſupra nos ſunt nihil ad nos, noli altum ſapere ſed time, niſi ut curioſitas ſeu curioſus obiurgaretur, qui feſtucam plerunque in oculo fratris uidet, & non in ſuo trabem. Imò quod Socratem admirantibus quibuſdam, quod ſemper de moribus diſputaret, de aſtris uero nunquam, hoc idem dixiſſe ferunt, & ſapientisſime quidem, quoniam quæ Deus optimus maximus occulta eſſe uoluit ſcrutanda non ſunt, ſicuti nec etiam negligenda quæ fecit manifeſta. Sed ad propoſitum curioſi quoque ſunt clerici, qui eccleſiaſticis ſumptibus ſecularibus ſcientijs potius quàm ſpiritualibus & ſalubribus quidem erudiuntur. quiq; poſtpoſitis, diuinis ſanctorum patrum eloquijs, philoſophorum ac poetarum uanitatibus, inſudantes operam nauant. Thurienſium lege compeſcendi in comœdijs uetāte ciues ab aliquo taxari niſi curioſi fuiſſent, adeo eos odio habebant. ſeu uenatorum exemplo cohibendi, qui canes aberrare non ſinunt, nec quemlibet odorem perſequi, oberrent pariter excurrentes ad quiduis ſpectandum audiendum'ue. Quid quod adhuc tribus horis ciuitatem mutatam exiſtimātes, an aliquid noui ſit

petere audent, Locrenſesq; hac de re graui affi-ciebantur mulcta. & cum Diogenes ſpectaret Dioxippum Olympionicem curru uectum nec ualentem à formoſa muliercula quæ ſpectabat pompam oculos auertere, uidete (inquit) illius intemperantiã, notans quod eſſet nimiũ curioſus athletam à puellula collo obtorto uinci. Cumq; Antagoram poëtam in tentorio congrum coquentem depræhendiſſet Antigonus dixiſſetq;, Putas ne Antagora Homerũ Agamemnonis res geſtas ſcribentem coxiſſe congrum? ſic ferunt reſpondiſſe, & tu rex putas ne Agamemnonem cũ illas res gereret fuiſſe curioſum ſi quis in exercitu cõgrum coxiſſet? & ad idem plus quàm nota Alcibiadis hiſtoria, qui cum haberet canem quendam inſigni pulchritudine præſtantem, drachmarum ſeptem millibus emptum ei caudam amputauit, ac per urbem obambulare paſſus eſt, demirantibus uera cunctis cur id faceret, ut de me loquantur Athenienſes ait, nec alterius rei ſint curioſi. & certe cum ſit curioſitas nil aliud quàm indagatio ſuperflua rerum ad ſe non pertinentium, & nemo curioſus (ut Poeta inquit) qui non ſit etiam maliuolus omnino ut peſtis fugienda eſt. Quod ſanè Cyrum & Alexandrum feciſſe legimus. ille enim Pantheam aſpicere noluit, nec iſte Darij Perſarum regis uxorem & filias, tametſi ſpecioſiſſimas in ſui cõſpectum uenire paſſus eſt.

ex eoq; plus laudis ſibi comparaſſe, quàm Vlyſ-ſes, Menelaus, Theſeus, & Pyrithous, qui longin quas egerunt militias, quiq; (ut fabulatur anti-quitas) ad inferos uſque penetrarunt. Antoni-nus Pius quoque repræhenſione haud caruit, cum Omuli domum uiſens admiratus columnas por-phyreticas, quæſiſſet unde eas habuiſſet. Cui Omulus, cum in ædes alienas ueneris mutus & ſurdus eſto. ſentiens curioſum neminem eſſe opor tere. Quem compeſcuit etiam baiulus Aegyptius geſtans quiddam uelis opertum, dum ſciſcitare-tur quid portaret, reſpondens, ideo obuelatum fuit, ne ſcias, tu uero cur curioſe ueſtigas quod occultum eſt? Curioſi rurſum aliena uitia milui-nis oculis cernunt, ſua uero tranſmittunt noctui-nis & conniuentibus, hirudinibus medicinali-bus comparandi, quæ ſanguinem ex carne eliciũt ut ipſum caſtigatione ſalis euomant. Seu his qui non eſurientes aut ſitientes cibum & potum in-gurgitant. Curioſitas (ut noſtri etiam dicunt) pernicioſa eſt multum teſtudini comparanda, quæ ſi caput nimium extulerit periculum ſubit. & niſi Chiron Herculis arma quæ iam hoſpitio ſu-ſceperat tractaſſet, ſagitta in pedem eius non ex-cidiſſet, ex quo ulcus inſanabile factum eſt ita, ut mortem obierit: indeque prouerbium ortum, χειρώνιον ἕλκος, *ideſt Chironium ulcus. Saluberri-mis igitur documentis ij inſtruendi ſunt, et ueluti*

tidoto quodam præmonendi, ne uitium incurrāt, eo fœdius quo etiã eſt maiori obiurgatione quàm aliud ſimile dignius.

De clementia iudicantium dote præcipua, & maxime principum; Quo modo eſt animi temperantia in pœnis conſtituendis; & quale ipſius ſymbolum. Cap. IX.

Cogitabam dum noſtri dicunt iudicem in manu ſtateram geſtare, ac in utroque penſo iuſtitiam & miſericordiam ferre, ita eſſe intelligendum ut iſta illam ſemper præcellat, quoniam dicit Dominus, miſericors et iuſtus ſum ego. Ego ſum dominus qui facio miſericordiam & iuſtitiam in terra. Literæ ordinem ſemper conſiderantes. Imò quod expurgatio atque pactum quod in ſanguine Chriſti uel animalium erat, in aquam mutatum eſt, clementiam ſiue miſericordiam Dei ſignificantem, qui ipſam obtulit dicens. Si quis ſitit ueniat ad me & bibat. ſi ſcires donum dei, & quis eſt qui loquitur tecum, tu forſan petiſſes ab eo & dediſſet tibi aquam uiuam. Nec aliud ſibi uerba Dauid innuũt, ſimiliter dicentis, Virga tua & baculus tuus me conſolata ſunt, uirga iuſtitiæ qua percutimur, baculus uero clementiæ qua ſuſtentamur, & profecto ea nihil eſt laudabilius, nihil præclaro uiro dignius, nihil impe-

rio maius ſi maxime clementia & probitas iungantur, & nihil denique quod alium magis quàm principem deceat, apum exemplo, quarum rex aculeo caret, uſque adeo ut ſi uindicari in aliquos ſeuerius etiam pro cauſæ intuitu iusſiſſet, nolit ſtatim eos aut pœnam ſubire, aut excipere ſententiam, ſed per dies uiginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Clementiæ quoque locus inter arma eſſe debet, quatenus quidem natura & conditio belli ferre posſit. Et licet poſt partam uictoriam puniendi ſint illi, qui Belli auctores fuerunt, in reliquos tamen humanitas omnis exercenda eſt. Quid quod clementia mundus quem congeriem quandam eſſe dicebant & cõfuſionem rerum omnium abſque forma diſcuſſus disſipatusq; eſt. Tanta rurſum in Cæſare ut quos armis ſubegerat, clementia longe magis uicerit. Nec in Alexandro minor, quem ferunt omnes reges ſuperaſſe, & nonnunquam ſcripſiſſe Dario, ſe ſcire nonmodo uincere, ſe etiam uictis parcere, & cum adhuc Poro ſuperato, ei dixiſſet, quæ nam te amentia coegit rerum mearum cognita fama belli fortunam experiri? quidque cenſeret uictorem ſtatuere debere, Porus uero reſpondiſſet, id feciſſe quia ſe ipſo fortiorem neminem putabat, ſuas uires expertus non alienas, ſtatuendumq; fore quod illa ſuaſiſſet dies, qua uidere poterat quàm caduca & fragilis ſit fœlicitas,

clementia uſus eſt, Porumq́; regem in amicorum numerum recepit, regnoque ampliore etiam donauit. recte igitur et non ab re exclamat Poeta,

Sis pius in primis, nã cum uincamur ab omni
Munere, ſola deos æquat clementia nobis.

Audita etiam Alexandri morte Darij mater è tanto faſtigio lapſa filio crudeliter perempto, amiſſa proprij corporis libertate cum prius in cuſtodia ipſius uiuere deſtinaſſet, clementia uictoris freta, mori etiam deſtinauit, & ſibi ipſi manus uiolentas intulit. Sed rarum clementiæ exemplum ſentias. Dum apud Caietam memorabili euẽtu eſſet pugnatum, captusque Alphonſus Neapolis rex cum duobus fratribus alijsque uiris, illuſtribus, quod Philippus Vicecomes & Mediolani Dux ipſos non ut hoſtes ſed ut reges & hoſpites penes ſe habuit, poſtremo amplisſimis muneribus donatos dimiſit incolumes. & ſcias amplius aliquando Romæ in Capitolio quaſi edictum publicum quoddã ſic quoque ſcriptum fuiſſe, Parce uictis, frange ſuperbos. Vel & clarius ſic;

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos;
Hæc eſt in ſummis gloria ſumma uiris.

Et ad idem ad iudicemq́; redeuntes in arca fuiſſe tabulas, uirgam & manna, ut prudentiam in cognoſcendo habeat, iuſticiam in corrigendo, & ignoſcendo clementiam. Seu in tabulis

ſit cercitudo prudentiæ, in uirga rectitudo iuſti tiæ, & in manna dulcedo clementiæ. Apolliniſq; ſymbolo declaratur, (mitto quod nos idem quoque dicamus, Iudices ſcilicet, ad ſalutem prõptiores eſſe debere, ad noxam uero pigriores) dextra gratias geſtantis, ſiniſtra uero arcum & ſagittas, ſeu leonis qui proſtratis parcit, quiq; ſe feram eſſe negat. Qua de re pro foribus palatij Ro. adhuc diſthicon hoc fuiſſe autumant.

Iratus recolas, quàm nobilis ira leonis,
In ſibi proſtratos, ſe negat eſſe fera.

Vel elephantis, errantes enim in uia animalia hæc adiuuãt & eis notam oſtendunt. ſiquæ conſertis pecoribus occurſitent, itinera ſibi blanda & placida manu faciunt, ne quod obuiam animal interimant. & ſi quando fortuito conflictu pugnatur non mediocrem habent ſauciorum curam, feſſoſq; ac uulneratos in medium recipiunt, ſed nulla clementia maior inuenitur quàm piſciũ, quos uulgus lingua noſtra italica Rayas uocat, germanica rochken, ij enim ſubmerſum hominem à Belluis marinis, ne uoretur conſeruant & tuentur longe alienum à fera Crocodilorum natura, qui tametſi timidi ſint & perſequentes fugiant, fugientes nihilominus perſequũtur, necant & uorant. Ciconia etiam eſt pietatis & clemẽtiæ ſimulacrũ πελαργὸς uocata, deq; ſtirpe. πελαργῶν natus Æneas, quiq illa alis hic hu-

meris patrem ſuſtulit. pietatiſq; cognomen ab atauis Ciconijs *hæreditaria quadam ſucceſsione recepit. quo quiſque ergo maior eſt(ut poeta inquit)magis eſt placabilis iræ, & faciles motus mens generoſa capit, ſolaq; mors inexorabilis, & clementia carens, iuxta illud, cũ quo etiam finiemus,*

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeũt morbi, triſtiſq; ſenectus;
Et labor & duræ rapit clementia mortis.

De *crudelitatis uitio, deq; animi atrocitate. & quomodo omnem humanitatem crudelis excedit nec homo, ſed bellua potius appellandus eſt.* Cap. X.

EX *eo quod ſic dicitur ſi bene ſum memor, impij ſpes eſt tanquam lanugo quæ uento tollitur, ſeu tãquam ſpuma quæ à procella diſpergitur.* Vel *ſicut hoſpitis memoria unius diei prætereuntis, facile elicitur quàm deteſtabile ſit impietatis ſiue crudelitatis uitium, exquo non durat, nec uiolentum quid(ut eſt in prouerbio)perpetuum. eoq; deteſtabilius, quo laudabilior* Clementiæ *uirtus, ita ut non ab re ſit etiam ſi* Solon *leges* Athenienſibus *dedit, illis abrogatis quas tulerat* Draco *quod ſeueræ nimis fuiſſent ac ſanguinariæ. ſique* Neptuni *filios & tanquam è mari go*

nitos ac ab omni humanitate alienos crudeles appellamus. Quales fuere Mithridates Ponti rex primum, quem ferunt cum Aſiam penè totam occupaſſet, literas ſecreto ad omnium illius regionis urbium principes miſiſſe ut triceſimum obſeruantes diem, Romanos omnes atque Italos, nec non eorum uxores & liberos necarent inſepultoſque abijcerent. Poſtea Domitianus, quem ſimiliter ex eo per quietem Mineruam quam ſacrario colebat uidiſſe atteſtantur ueteres, ſeque non amplius ipſum tueri poſſe dicentem, præ nimia ſæuitia, quam quotidie in homines exercebat, ob idq́; à Ioue exarmatam fuiſſe. & Conſtantinus denique qui Domitiani ſæuitiam æmulatus omnes alios immanitate ſuperauit. Caligula crudelis; is enim eſt qui ſemper exclamabat, utinam unam Ro. Pop. ceruicem haberet. De conditionibus ſuorum temporum quoque queſtus quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur. Crudelis Nero qui præceptorem Senecam ad necem compulit, matrem interfecit, Caſſio iu reconſulto oculos effodit, uxoribus non pepercit, imò nec populo, nec mœnibus patriæ ſuæ; quam incendit amplius quaſi ueterum ædificiorum deformitate ſtomachatus, lætisq́; proſpexit incenſam oculis, ita ut nec permiſerit ad reliquias rerum ſuarum quenquam accurrere. Sylla & Marius, quorum unus fluuio exundanti ciuilis ſan-

guinis uniuerſas Italiæ partes inundauit, alter uero urbe potitus ſtatim animum ad principum ciuiumq; cædem conuertit. Omniq; alio crudelior Mezentius mortua iungens corpora uiuis, componensq; manibus manus atque oribus ora, complexu in miſero (ut poeta inquit) longa ſic morte necabat. Quid quod Cambyſes Perſarum Rex nec fratribus nec ſororibus parcebat pariter, nec inimicorum urbibus captis templis uel deorũ ſimulacris quin omnia prophanaret. Nec iucũdius habebat quicquã Tamerlanus Scytha quàm animi feritate oblectari. Gauiſus mirum in modum Attila Hunnorum rex ferociſſimus ac ſuperbiſſimus omnium in concuſſionem gentium & terrarum metum natus in mundo, ferè totam Italiam deſtruxiſſe, ſeq; tanta feritate adhuc debacchatum ut flagellum dei uulgo dicceretur. & ſic in uoluntate ſæuiunt tyranni, quique crudelis eſt, deum præ oculis non habet, pietatem lædit, & hominis nomen denique ſanctiſſimum amittit. Sed rarum crudelitatis exemplum audi Cacani Auarum regis, qui cum forũ Iulium obſideret urbem ſanè tunc præſtantiſſimam, & Aquileiæ excidio ac ruinis auctam quaſi arcem totius regionis et caput. (hanc enim Tomilda Giſulphi coniux, quem Cacanus occiderat præſidio munitam tenebat, eamque defendebat acriter) & mœnia circunſpiciens obequitaret

taret

taret forma ac ætate florens, à Regina uiſus eſt, quæ ipſius amore capta ſtatim nuncium ad illũ miſit, qui urbis proditionem paciſceretur, ſi ſecum matrimonio iungi uellet; cui Barbarus uictoriæ cupidus annuit quã libenter, promiſitq́; iureiurando ſe omnia facturum ut ſpoponderat. Tomildæ opera in Vrbem admittitur, deinde ne fidem falleret, nocte tantum una, pro coniuge habuit, poſtea mulieris libidinem (ut dicebat) robuſtis militibus per ludibrium & dedecus ſubiecit, qui eam asſiduis complexibus explerent, poſtremo (ſenti facinus inauditum) miſerabiliter uexatam palo (more turcico) affixit. Tamen ab ea abſtinendum cenſeo, ex quo (mitto quod nullam habeat laudem) naturæ maxime inimica eſt, quam ſequi debemus, augeturque inimicorum numerus aliàs crudelitate, nõ ſecus ac arbores quæ ſi præcidantur plurimis repullulant ramis. & ſi iudices (ut noſtri dicunt) gloriam aucupantes ſæuitia utantur abſque temperamento benignitatis eiſdem omnimodo occurrendum eſt.

Omnia cum conſilio fieri debere oſtenditur, plusq́; negocij nobis afferri conſilio quàm uiribus, & quo modo conſilium malum conſultori eſt peſſimum. Cap. XI.

MIttamus quod cõſilium de quo locuturi ſumus, res ſacra ſit ut inquit Plato, omnino etiam maiori firmitate nituntur, quæ gerunt conſilio, quàm quæ ſine, pluſque prouident ſapiẽtes conſilio humano generi & reipub. quàm ſi patriam armis defenderent. Ex quo uulgo hinc quoque dici ſolet, quod melior eſt ſapientia quàm uires, & uir prudens magis quàm fortis, & multitudo ſapientum ſanitas orbis terrarum, ſapienſque rex populi ſtabilimentum. aureaq; illius uerba, dicẽtis pariter, prius quàm incipias conſulto, & ubi conſulueris mature facto opus eſt. immo quod parua ſunt foris arma niſi ſit conſiliũ domi. Nec Romani homines armis rẽpub. ex parua magnam fecerunt, ſed domi induſtria, foris imperium, & animus in conſulendo liber. conſilium ne dum utile ſed honeſtum quoque eſſe debere Fabricium reſpondiſſe ferunt conſulentibus hoſtium naues eſſe perforandas, (hiſtoria nota eſt) belloque non dolis & aſtu, Romanos pugnare & uincere ſolere. & ſi malum fuerit inutile ac inhoneſtum (quod factum eſt iã trito ſermone prouerbium) conſultori erit peſſimum, exitiumque ſibi parabunt qui male conſuluerint, ut Perillus, Ninus, et Cliſtenes & patientur telis uulnera facta ſuis. Quid quod plus negocij nobis affertur conſilio (ut dictum eſt) quàm uiribus. Pluſque ualuit Æneæ mens, quàm Hecto

ris manus. & cunctanter conſulendum eſt quidem agendum uero celeriter, conſiliarijque magni rerum uſus, quoniam oculi & aures ſunt principium utiliſsimaque & omnium digniſsima poſſeſsio, prudentes, & in decernendo grauitatis ac moderationis ſummæ eſſe debet. nec aliud conſilium quàm aliquid agendi uel non agendi excogitata ratio, ab aliquo non aſpernandum, quia nec in magnis tempeſtatibus, gubernatores quantumuis periti aliter agunt: & ſe uel à quouis admoneri patiuntur: oblectaturque animus ſaluberrimis amici monitis & conſilio, ſicut unguento & odoribus cor. & ibi rurſum multa eſt ſalus ubi conſilia ſunt multa. conſilijsque moderando cogitationes ut gubernaculis bella. nec unquam prudentiæ ſuæ innitendum, alias diſſipantur, unde fit ut non ab re ſit ſi in petendis tabulis decẽ, tres in cõponẽdis inſtitutionibus, ſexdecim in officiorum ordinationem & codicis quinque adhibiti fuerunt. & breuiter plures uocandi ſunt ſemper, fierique de re dubia & magna conſilium debet, ſecrete uere & ſæpe; à conſidẽdo dictum, quod multi ad ſimul conferendum aliquid conſideant: & qui à ſe ipſo conſuli poteſt is utique magno eſt honore proſequendus: nec minus qui cum à ſe ipſo non poſsit, ab alio conſilium expetit; fatuus uero qui à ſe ipſo idipſum facere non uult, nec ab alio (ut Minutius dicebat) fieri.

& ſi princeps fuerit rurſum tales conſiliarios habere ſtudeat, habeatq́; in uotis quales fuere Agamemnoni Neſtor, *uel* Philippo Parmenio, *uel* Alexandro Leonidas, *uel* Octauio Cicero, *aut* Dario Perſarum *regi denique* Zopirus. *Conſilium ad humanitatem refertur, animus ad fortitudinem. & nihil ſtultius eſt prudēti uiro, quàm ſibi rebuſque ſuis neſcire conſulere.* Conſus *conſiliorum deus olim erat, cui dicato ſimulacro,* Romani Sabinas *rapuerunt, eiusq́; templum in circo ſub tecto, ut tectum conſilium eſſe debere oſtenderent.* Quod *paulo ante etiam dictum eſt. & conſentes dij quaſi conſentientes, qui & penates quoque uocabantur, duodecim numero, pro ut menſibus præſidebant;* Iuno, Neptunus, Minerua, Venus, Apollo, Mercurius, Iupiter, Ceres, Vulcanus, Mars, Diana *&* Veſta. *Conſilij filius* Porus, *Symbolum uero,* Aquila *tum alba tum criſtam rubram habens, in ſacelli teſtudine ſita. & ſi quæras à quo requirendum ſit, iam diximus, nunc fuſius, à deo, ab homine bono, à ſapiente non à ſtulto, & à ſene denique experto, requiri debere ſcias.* Iuniorum *reijciendum, uel ſi puerile fuerit, aut muliebre, quoniam illud imperfectum, (ut inquit philoſophus) iſtud uero eſt inualidum non de fine etiam ſed de his quæ ſunt ad finem. ſine conſilio igitur nihil agendum eſt, ne poſt factum agentem inde quoque pœniteat.*

De concilio quod à conſilio differat, qui ſint ad concilium uocandi, quis in eo præſideat, & quibus caſibus ſit ſupra papam, aliaq; plura conciliorum materiam breui compendio concernentia. Cap. XII.

QVod concilium à cõſilio differat utique indubitatum uidetur, quoniam illud eſt in quo iudices conferunt, quo ſupplicio pœna ue, reus damnandus ſit, uel legitima uirorum congregatio, ex diuerſis locis uocata, propter id quod in repub. paſſim controuertitur. Dictum à concalando, hoc eſt conuocando populum in unum. & quale cecinit poæta ſic,

Cõciliumq; uocat diuũ pater atq; hominũ Rex.

Iſtud uero à conſulendo, uel quod in unam ſententiam (ut proxime etiam declaratũ eſt) plurium mentes communiter inque unum conſiliant ſiue conueniant, & non ab re iſtud rurſum cum S ſcribitur, illud uero cum C. deque concilio ſæpe à noſtris mentio fit in iure. Et ſcitu dignum eſt, ne dicam annotatu, quod cõcilij ſpecies quatuor ſunt, nam quoddam generale eſt, quoddam prouinciale, quoddam Synodale, & quoddam denique religioſorum. Generale totum orbem concernens, quod uniuerſalem repræſentat eccleſiam, & cui præſidet primum Spiritus ſanctus, deinde papa humani generis parens, ſponſus ipſius eccleſiæ,

Dei uicarius in terris, ſupremam habens poteſta tem, qui de nihilo facit aliquid, & cui denique dici non poteſt, cur ita facis? Nec alij quàm epiſcopi uocandi ſunt, niſi papæ ſecus uideatur, ex quo ferunt, Grego. X. in lugdunen. D. Thomam aquinatem uocaſſe aliquando ratione eminentis ſcientiæ. Imò quod nec imperator adeſſe debet, niſi adhuc ſcandalum timeatur, præſertim ubi ageretur de fide. Prouinciale uero, quod Metropolitanus facit, una cum ſuffraganeis ſuis, à prouincia, quæ communiter iure canonum Archiepiſcopum habet, & prætaxatum quendam epiſcoporum numerum, & ad iſtud omnes prouinciæ epiſcopi uocandi ſunt. Synodale ſeu epiſcopale, quod cum clericis in diœceſi facit epiſcopus bis in anno habentibus curam animarum, & religioſorum denique, ideſt Abbatum, atque priorum proprios Abbates nõ habentium, quod communiter, de triennio in triennium celebrari debet, & quod in generali concilio plerunque adſit princeps ſecularis ex cauſa, liquet ex eo, quod Lugdunẽſi de quo ſupra interfuit Pipinus. In Niceno Conſtantinus, & in Baſilienſi ac Conſtantienſi, Sigiſmundus. Nosq; non ab re, docuiſſe primum, concilio Spiritum ſanctum præſidere, quia legimus quoque diuum apoſtolum dixiſſe coapoſtolis concilium facientibus, Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis. Et de generali lo-

quentes,quod præcipuum eſt, adhuc ſciendum ar bitror,celebrari potisſimum ut religio Chriſtiana,in fidei unitate conſeruetur, quæ humanæ ſocietatis eſt uinculum, ut dilucidius ueritas dubiorum eliciatur, & ad euellendas denique hære ſes,ac uepres ne dicam errores, ſi qui in agro do minico ſuccresſiſſe inueniantur, eradicandos. Primumq; hieroſolymis alias, celebratum fuiſſe ſub Petro pontifice etiam primo, & ut finiamus quoniam & ab aliis & à nobis quoque alibi de huiuſmodi re tractatũ eſt ſatis, quãdoque etiam cõcilium eſt ſupra papam, quamuis (ut diximus) ipſe ſit concilij caput,& maxime in articulis fidei, in ſchiſmate,& ſi de morum quoque reformatione agatur, & ſi quid (licet ad coronidem peruenerimus) eſt addendum,illud præſertim ad di poteſt,quod ex omnibus cõciliis,quatuor præcipua non ſecus ac quatuor euangelia ſeruanda uenerandaq; ſunt. Nicenum, Conſtantinopolitanum,& Calcedonenſe. In quibus uelut in qnadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit,& cuiuslibet uitæ communis atque actionis norma con ſiſtit. & admiranda inſuper, ſicut quatuor paradiſi flumina. Quodq; poſt papam ſedet Cardinalis Hoſtienſis, Deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus,poſtea Alexandrinus, Quinto Antiochenus,& Sexto denique Hieroſolymitanus.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE,

LIBER SECVNDVS.

QVID SIT CIVITAS, A QVIbus conſtituatur, Quæ requirãtur, ut dicatur ciuitas, et quot ciuitatũ genera ſint deniq;. Cap.I.

EX quo dicimus congregatione gentium in eodem loco habitantium ciuitatẽ conſtitui, quodq; nihil aliud eſt niſi hominum multitudo, ſocietatis uinculo coadunata ad iure ſimul uiuendum, facile elicere licet quod ab urbe, à caſtro, & à prouincia etiã longe differat. Ab urbe quoniam ciuitatem habitatores faciunt, urbem uero mœnia ipſa & muri, nec aliud caſtrum quàm locus muris munitus pariter à caſa dictum, ex quo caſarum coniunctio quædam eſt, quam noſtri uulgo fortalitium appellant. Prouincia uero nomen generale, imò generaliſſimum, quia incolas etiam comprehendit, ob ſui latitudinem in modo ſignificandi ei tradito à iure. haud omittentes tamen & fuſius, quandam eſſe, quæ à iure gentium conſtituta eſt,

per idiomata,ut Gallia, Germania, Italia. *Quæ ſit per præſidatus & iuriſdictionis diſtinctione, quæque eſt in arbitrio principis.* Tertiam *iure canonum inuentam, ciuitatum ſub unius* Archi*epiſcopi regimine exiſtentium.* Vltimam *uero per uſurpationem, quo ſit ut hodie hac de re, quæque ciuitas ius prouinciæ quoque habere dicatur.* Quædam *etiam eſt ciuitas habens merum & mixtum imperium, & alias ciuitates ſubiectas, quæ maxima appellatur.* Quædam *maior merum imperium non habens.* Quædam *uero magna ſola iuriſdictione contenta. & ſi perquam exigua fuerit uix eſt digna nomine ciuitatis, in qua cum alias doceret* Stratonicus *Citharœdus* Athenienſis,*non minus feſtiuis dictis quàm muſica celebris, mutatione litere iocatus eſt, dicens non eſt* πόλις *ſed* μόλις. Quid *quod* Galli *ciuitatem uillam appellant, rus uillagium:* Conſtanti*nopolim uero* Turcæ *(olim enim non imperatorum, ſed deorum ciuitas credita eſt)* Stampol*dam ideſt amplam dicunt. & caſtellum(quod magis mirandum eſt)hieroſolymam denique apoſtolus, his uerbis;* Ite *in caſtellum quod contra uos eſt. forte quia* Chriſtum *tradituri erant, uel ob militũ cuſtodiam,aut potius quia ſeditionibus,& diſcordia æſtuabant.* Quibus *nullum eſt malum in ciuitate maius, contra uero nullum bonum concordia dulcius,& certe (ut dicebat* Plato*) opti-*

me ciuitas; illa ordinata erit, in qua quiſque pro prios neſciat affectus. Stabilemq; *ipſius peregregium in hiſce tribus potisſimum conſiſtens, ſi iuſtitia regatur, reuerentia ſit in ea & amor, & ſatis munita, ſi ciues habeat uirtute præſtantes, & uiros, ut* Theopompum *dixiſſe ferunt, qui cuidam ſibi ciuitatis ſuæ mœnia oſtentanti & percunctanti num ualida & alta uiderentur, minime reſpondit, ſi quidem ſunt mulierum.* Ciuitas *etiam minor mundus appellata eſt, ut homo* Michrocoſmos, *quod nil aliud ſonat, et non ferorum ac immanium, non fugitiuorum & latronum in unum congregata (ut diximus) multitudo, ſed hominum ſapientisſimorum. & ad materiam noſtri etiam dicunt, quod eſt caput diœceſis. quodq; ipſius appellatione comprehendetur ceu pars ſub toto. ſi lata quadam ſignificatione tamen, hoc ipſum uerum eſſe intelligamus, alias non.* Dicunt *rurſum duarum ciuitatum, quem ciuem eſſe poſſe, licet* Cice. *contradicat & male. Imò quod* Chriſtus Bethlē *habebat ubi natus,* Nazareth *ubi educatus, &* Capernaum *ubi uerſatus, & niſi ciues adhuc libera uoce bonum publicum defendere queant, & commoditates patriæ, ſub tyrannide erit & dominabitur, legeq; carebit, quod multo eſt periculoſius quàm ſi careat muris. & ſi ſubijciatur aratro, quod ex cauſa plerunque fieri ſolet, uſufructus eiuſdem peribit. exemplifica-*

rique poteſt in Carthagine & Troia olim ciuitatibus egregijs. cumq; miris efferatur laudibus poſtremo miſsis his Ægyptus, quod mater artium ſit, quod græci ab Ægyptijs diſciplinas fuerint mutuati, & quod denique Alexandriæ (quæ Ægipti eſt ciuitas) quis fuerit eruditus, poſsitq; hoc idem laudis genus, Anthenoreis hiſce noſtris aſcribi, ubi nata & alita eſt ſapientia, cæteris præſtantioribus Europæ ciuitatibus, & pulchritudine ædificiorum & rerum omniũ, copia aliisq; innumerabilibus ornamentis inſignibus ſine controuerſia præponemus.

Quod ciues ſunt ciuitatum nerui, Quòd ad ciuitatem & patriam ordinantur, quam longe magis quàm ſe ipſos diligere debent, & quod denique ciuitates, non lapidibus & lignis ſed hominum animis & uirtute bene habitantur. Cap. II.

CErtum atque indubitatum eſt, cum ciues principaliter ordinati ſint ad ciuitatem, in qua ortum habent, quod ipſam ſupra modum diligere debent, & longe magis quam ſe ipſos, uerum id eſſe etiam putantes utilitatem publicã fore ſemper priuate præferendum ita ut quẽadmodum filius niſi patri periclitanti ſubueniat perdit iura filiationis, perdat pariter ciuis ciuilitatis ſi non ſubueniat patriæ. & plus quod qui

ſciuit in patrē machinari nec reuelauit parricida eſt. & huiuſmodi ciuis etiā ſi idipſum quoque facere neglexiſſet. Neque *naſcuntur ſolum ſed creantur quoque, ex quo noſtri dicunt ciuilitatem eſſe quid factibile (ut ipſorum uerbis utamur) quodque non modo naſcitur, uerum etiam (ut diximus) creatur. & quod doctor legens hac de re ciuis eſt loci in quo legit & profitetur.* Scholaris *adhuc domiciliū cōtrahit decennio, uel quiuis alius ſi tanto tempore in domo empta habitauerit.* Vocauitque *ſe* Romanum *ciuem apoſtolus* Paulus *quia cum* Romanis *pariter ſocietatem inierat pater, penula donatus, qua hac ratione poſt ipſius mortem, ſemper uſus eſt, retinuit & conſeruauit. & dictu etiam mirabile uidetur, quod olim* Romæ *filij non erant in poteſtate patris niſi* Romanus Romanam *duxiſſet uxorem. maiorque pœna conſtituta occidentibus ciuem quàm aduenam.* Imo *quod lege* Porcia Romanus *ciuis interfici non poterat, ſed corona ciuica donari potius ſolebat qui ipſum in prælio ſeruaſſet.* Nec *ingrata* Scipionis *uox ſæpe dicentis ſe malle ciuem unum ſeruare quàm mille hoſtes occidere. & certe quod non alijs mœnibus communiri rectius poteſt ciuitas, quàm ciuibus, ſi maxime ſtrenui fuerint, concordes & uirtute præſtantes.* Imò *quod optimo principi nihil eſt iucundius concordia ciuium,* Tyranno *uero nihil formido*

hoſtis. Quod ſentiens etiam Charillaus interro-ganti, quam rempub. optimam arbitraretur, eam inquit in qua ciues de uirtute contenderent ci-tra ſeditionem. Si iniuria rurſum affecti fuerint, hoc ipſum negligi non debet. quod multis princi-pibus aliquando fuit exitio; ſed uindicari potius. & (ut noſtri dicunt) etiam redimendi ſi captiui fuerint. honorarij quidam, quidam recepti ut mu-nera ſubeant: ij temporarij, illi perpetuo du-rant. & fuſius quàm ſupra non tantum origine uerum etiam adoptione, electione, & manu miſ-ſione ciues. Nerui Ciuitatis onera æqualiter ſub-euntes, qui nec minus parere principi debent, quàm diligi & amari, ex quo ſic reſpub. maximè conſeruatur. Dicebat quoque Epitectus Stoicus animis hominum non lapidibus & lignis ciuita-tes bene habitari, & recte ciuiſque natu grandis longo rerum uſu prudens ac totius ciuitatis te-ſtimonio probatus, fælix eſt & beatus. & certe præclariſſima patriæ affectanti nihil unquàm niſi rectum pulchrumque accidere poteſt. exiſti-mantes amplius improbum fore qui à communi ciuitatis malo ſecedit, propriamq; ſalutem & commoda patriæ ſaluti & commodis anteponit. Imò quod domo patria fortuniſq; omnibus is carere debet, & exilio etiam mulctari. quodq; ciuium de repub. male meritorum nomina quò-que ita tolli debent, ut patricio alicui ueluti abo

lita imponi non poſſint, bene meritorum uero ſic.non uulganda tamen ut ſint ſeruis communia. Quid quòd non ſunt etiam merita cum demeritis compenſanda,ne ciuis audacior fiat & inſolens, ciuilitasq́; deſtruatur. Nec ab re ſi Romani homines,Horatium tametſi de repub.optime meritum capitis reum ob ſororis mortem declararũt. ſiq́; hac ratione in ſcalis gemonijs Q. Cepionem Seruilium,uti reum pariter dilacerandum(quan quam ferant de Cilicibus triumphaſſe)percuſſoribus tradiderunt. Magna reprehenſione digni hinc,quod Manlium ſuſpicione affectati regni accuſatum quamuis ipſe quoque de repub. optime meritos foret, abſoluerint. Sexcentaq́; huiuſmodi ſunt non aliter referenda.& licet hæc omnia uerisſima ſint, naturaliter tamen ciues ciuibus inuident, familiaritasque contemptum parit,uſque adeo ut nec mirum ſit,ſi Chriſtus cuius actio noſtra inſtructio eſt, in patria parum honoris aſſecutus eſt,ſicq; dixit, nemo propheta acceptus eſt in patria.& ſi denique miraculis Capernaum longe magis illuſtre quam patriam reddiderit. Verum eam non deferamus,& pro poſſe ciuibus omnibus placere ſtudeamus, quoniam hoc ipſum multum gratiæ habet, contra uero odij & indignationis multum, nil aliudq́; ſuperbia & faſtu nobis quàm exitium paramus.

Confeſsio in quo contractu cadat, Qualis eſſe debeat. Quid operetur, deq́; multiplici ipſius ſpecie, et alijs quampluribus, quæ ad praxim cum ſint paulo obſcuriora ceteris non poterunt niſi ſtudioſis multum lucis afferre. Cap. III.

MIrabile dictu uidetur, quod confeſsio regulariter non cadit in aliquem contractum, niſi ſit literarum, quia ſpe futuræ numerationis fit ſub hac forma. ex cauſa mutui confiteor me tibi centum debere. uerum eſt quod confitenti paratur exceptio, quam uocamus non numeratæ pecuniæ, poteratque obijci olim intra quinquennij tempus, hodie biennij, poſtea non, niſi ſimus in eccleſia, quoniam tunc prælatus poterit lapſu temporis non obſtante. nec eidem renuncians, eccleſiæ præiudicat, ex quo (ut diximus) à principio quinquennio fuerat limitata, neque potuit ad biennium decurtari per legem Imperialem ad damnum & præiudicium eccleſiarum. Imò & perpetuò cum non ſit propriè exceptio, ſed nullitas. cõfeſſus etiam in extremo mortis articulo, ea non utitur. uel ſi fuerit geminata. & plus dicò (quod ex noſtris firmant aliqui & crebrior ſententia eſt) non fuiſſe cognitam Pandectarum iure ſed Codicis tantum. & redeuntes eò unde diſceſsimus, ſciendum eſt quod confeſsio pura eſſe debet, ad interrogata affirmatiua uel negatiua, non ſu

ſpenſiua. nec captioſa.adeo efficax etiam ut pro ueritate habeatur, ubi actus tamen non poteſt niſi uno modo tantum celebrari.et ualidior quàm ſit iuris præſumptio. & ſi præſente aduerſario facta ſit,nec ſine cauſa præiudicat confitenti.ua-letq́; ſi ſit liberatoria tametſi in abſentia partis fiat.Operaturque ut iudex posſit ſententiam fer re etiam perempta inſtantia.& licet contra iu-ris præſumptionem,quæ etiam de iure ſit, proba-tio non admittatur , admittitur tamen per con-fesſionem partis.Nullæque partes iudicis ſunt in confeſſum niſi in condemnando. & quamuis rur ſum uerba narratiua non obligent inducunt ta-mẽ confesſionem,quæ(ut dictum fuit ſupra) pro ueritate habetur.Poſſumque confitendo rem eſſe tuam facere,quod abſque traditione dominium in te tranſeat cum tamẽ neceſſaria ſit cõmuniter. & mihi etiam præiudicare ſi litem conteſtatam dixero.eſt uerum quod facta coram iudice incom petenti,non ualet iure canonum,ciuili autem ſic. Vel competenti alias,animo tamen non litigandi, quod non erit actus iudicialis.Quodq́; rurſum fa cta coram iudice ualebit,ſed non facta coram arbitro.Nec illa quæ in forma iudicij facta non eſt,præiudicat confitenti. Confesſio quoque & ſententia æquiparantur.Emiſſaque in ultima uo-luntate hæredem obligat. probat ueram numera tionem.& uim ſolutionis habet. Actionem parit.

& ſi incidenter facta fuerit, non efficit ut quis poſsit ex ea condemnari. hoc etiam non omittentes quod tripliciter fit, ore, euidentia rei, & contumacia. Verum eſt tamen quod proprie contumax dici confeſſus non poterit, & ſi municipali lege cautum ſit contumacem ceu confeſſum condemnari debere, contra ius commune dicetur, ſtricte quoque interpretanda. Pro abſoluto habentes nihilhominus, quod idem operabitur ficta, quod uera ad tollendam iuris præſumptionem ut ſupra. quodque nulla maior probatio eſt, quàm aduerſæ partis confeſſio. & (quod magis mirandum eſt) in lege aquilia præiudicare confitenti ſe damnum dediſſe, quanquam conſtet clare, ab alio datum fuiſſe, ſpecialeq; eſſe quoddã in ea (aiunt noſtri) ex quo foret aliter dicendum in criminali cauſa. Adijcientes nullam eſſe probationis ſpeciem iſta fortiorem, & ex multis præſtantiorem. & adeo uerum eſt rurſus, quod actionem parit (quẽadmodum proxime dicebam) ut ex nulla probationis ſpecie oriatur, niſi ex ea & ex iuramento. & ſi principaliter cum uno agatur, reſpectuque præiudicij in alium deriuetur, principalis confesſio illi præiudicat. Quæ etiamnum reuocari poteſt, imò quod reuocatio ſpecies defenſionis eſt. & tunc reuocabitur, ſi quis contrarium ponat & probet. & ſi in tormentis facta fuerit, confeßusq; perſeueret, eidem ſtabitur. Nec poſt tor

turam repetita, ſpontanea dicetur ullo modo, quia durat timoris cauſa. Minusq; ueniet puniendus capitaliter quis, ſi homicidij crimen confiteatur, & confeſſio ueri ſimilis non ſit, alias ſtatim præiudicat, & generaliter, facta tamen ex certa ſcientia, non per errorem, & in cauſa finali quidem non ſi fuerit impulſiua. licet in mutuo & dote ſit aliqualis dubitatio. Si confeſſio adhuc ſine cauſa facta ſit, ipſo iure non ualet, ex quo ſit principaliter ad probandum, & probatio incerta ipſo iure pariter eſt nulla. & quia ſcriptura habet actum permanentem inferri poteſt. Si mercator in libris ſuis confiteatur, quod confeſſio hæc, etiam abſente parte facta, quãdocunque ratificata, erit ſufficiens. ex quo in ſe facta eſt, non pro ſe aut ſimpliciter, & inſeparabiliter, potuitque ſine dubio ſibi ipſi præiudicium parare. Dictumq; ſolenne uidetur, ac notandum perpetuo, quamuis quis ſimpliciter dixerit, uolo hæres eſſe quod nihilhominus erit hæres, non propterea idem in confeſſione dicendum, quod confiteatur quis, & confeſſio ſit ſi dixerit, uolo confiteri, quoniam nec eligit qui dixit uolo eligere. forte quia uerbum uolo, iunctum cum infinitiuo ſignificante alium actum futurum, quid perfectum non ſignificat de præſenti, nec iſtud confiteri, quod eſt infinitiuum alterius actus. alias ſi iungatur cum infinitiuo alte-

rius uerbi ſubſtantiui, ſignificantis eſſe rei, exempli gratia (ut dictum eſt) uolo eſſe hæres, uolo eſſe maritus & ſimile, tunc ſecus, ſignificabitq; perfectionem actus. Minus etiam ualebit *confeſſio ſi in carcere facta ſit, ex quo metu fieri uidetur.* quod tamen intelligi debet uerum ſi ad commodum carcerantis fiat, non in figura iudicij, alias reorum confeſsio, qui in capitalibus cauſis detinentur, nunquam ualeret, quod tamen eſt falſum. Oportet quoque ſi ij qui liberã alicuius adminiſtrationem habent, confiteantur, ut domino præiudicent, quòd confeſsio facta ſit non ex abrupto, perperam ac malo ordine, non etiam ſponte, tametſi iudicio inſtructo, ne ambitioſa uideatur, donationem ſapiat uel gratiã, & eiuſdem monitis, & ex actis fraus appareat, ſed tunc tantum cum domini litis effecti ſunt, nec dolus aut fraus aliqua ſuſpicari poſsit. Quid quòd per nuncium quoque poteſt confiteri quis, ſi mandatum tamen certum, & limitatum habeat? quia uiua uox eſt domini abſentis, ita ut hac ratione in procuratore ſecus ſit, qui ſui actus principalis eſt, dominus uero acceſſorius. Et licet mens domini ſit in procuratore ſicut in nuncio, tamen ſecundum diuerſitatem organorum, quibus utitur anima, diuerſas operationes facit, & diuerſa organizata producit, ut in anima noſtra naturaliter uideri poteſt, quæ per organum uiſus uidet,

loquiturq́; per organum linguæ. procurator igitur eſt organum in cauſa efficiens, & influens domino, nuncius uero non, in procuratore eſt inſtrumentum uocis ipſius, in nuncio autem, nil radicatur. & quoniam locus iudiciorum ſolitus ut plurimum attenditur, non ab re erit etiam dicere ſi alibi fiat quod reſpectu ipſius iudicij, minime ualeat, quam maxime uero ſi ſummaria extra ordinaria mulcta infligenda ageretur. Sacramentalis quoque ab humana & iudiciaria, ad ſpiritualem & diuinam tranſeuntes, plurimum ad ſalutem neceſſaria eſt. quæ ore proprio fieri debet. & (diuinam dixi breuitati ſtudentes) quia in tranſgreſſionē primi parentis legitur, in fratricidio Chain, in præceptione facta Moyſi, in uexatione Saul, in adulterio Dauid, in Iſraelitica plebe, in ſuſcitatione mortuorum, in mundatione lepræ, in illuminatione, in paraliſi, & in uenientibus denique ad Ioannem ut baptizarentur.

De ſanctiſſima Cruce, qua fides noſtra, Chriſtianaq́; religio, ſublimata eſt plurimum, Quomodo Conſtātinus primus omnium Imperatorum omnia Crucis caractere ſactiſſimo ſignabat, operabatur & uincebat, & quo modo hoc munimine ſepti omnes uincant pariter nec uinci ab aliquo poſſint. Cap. IIII.

QVamuis olim pœna ſuppliciumq́; ſeruorum eſſet Crux, cruciferiq́; ſerui dicerentur, crucis ſignum in ueſtibus ferentes amplius, quod erat ignominiæ argumentum. à cruciatu dicta, quia magnũ cruciatũ ſuſtinet qui ſic patitur, eorumq́; etiã qui per duellionis crimine dãnati erant, cum ex duumuiris unus diceret, I lictor colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito, lexque horrendi Carminis appellata. inuentaq́; primum à Tarquinio ſuperbo, cruce tamen Chriſti Saluatoris noſtri, exaltata & ſublimata eſt fides, ac Chriſtiana religio. Reconciliataq́; per eum omnia in ipſum perq́; ſanguinem crucis eius, pacificata rurſum omnia, quæ in terris quæq́; in cælis ſunt. Crux Chriſti palma uictoriæ fuit, Oliua pacis, Cedrus æternitatis, & cupreſſus denique humilitatis. Nec ab re ſi ex his quatuor lignis facta fuerat. Dictuq́; ad propoſitum mirabile uidetur, (ut D. Bernardus refert) mulierem quandam amicis reuelaſſe manus ſuas computruiſſe præter pollicem, quo ſe crucis ſigno munire quotidie ſolebat. Alia hortulum ingreſſa cum lactucam non præmiſſo crucis ſigno momordiſſet, ſtatim à diabolo capta eſt. & Appollinis templum Iudeus dicto crucis ſigno munitus pariter, dæmones uidit, malignosq́; ſpiritus inde recedentes, atque fortiter exclamantes, uas uacuum eſt ſignatum tamen, uſque adeo

ut hac uiſione territus, & admiratus amplius ad ſanctam Chriſti fidem conuerſus ſit, & baptizatus. Conſtantinus imperator omnium primus hoc ſigno arma quoque exornabat. in monetis inq; imaginibus cunctis, nil aliud imprimi ſculpi affigiq; iubebat. Diem ueneris qua Chriſtus crucifixus eſt, mira quadam religione obſeruabat. Quid quod Ægyptij et Arabes (ut memoriæ proditum eſt) præſagio quodam etiam hoc ſigno utebantur? Quo D. Thomas adhuc ſe ſe à luxuria & tentationibus meretriciis liberauit. Vicitq; Argobaſtem barbarum Thedoſius non minus fortiter, quàm Conſtantinus Maxentium Angelorum uaticinio dicentium (hiſtoria nota eſt) in hoc ſigno uinces, & D. Martinus (quod maxime mirandum eſt) inermis armatos hoſtes, deq; illis non iniuſtum (aiunt) egiſſe triumphum. & pinum quandam in templo diabolo conſecratam etiam præcidiſſe. & breuiter ſignum eſt noſtræ redemptionis (ut paulo ante diximus) uenerandum & adorandum, eiq; aſſurgendum, ſi in alicuius manibus geſtetur. nulloq; modo humi ponendum ne pedibus conculcetur. Quod ſi fiat poſtumq; non adimatur, is grauisſima ſeuerisſimaq; pœna mulctandus eſt; quam mortem interpretamur. & nil aliud uitæ lignum, quod in medio paradiſi produxit deus. Nil aliud arca ſanctisſimi iuſtisſimiq; uiri Noe, qua ſaluum eſſe debebat

humanum genus. Vel Moyſis uirga in colubrum uerſa, & aqua in ſanguinem. Nil aliud lignum quod adhuc Moyſi oſtendit dominus, cum murmu raſſet populus, quo etiam aquarum amaritudo mutata eſt, inq; dulcedinem uerſa pariter. figu rata rurſum ſerpentis æneí ſigno. quem idem Moyſes fecit iuſſu domini ut morſi ab aliis illum conſpicientes ſanarentur, & nil aliud deniq; ar bor morus, cuius fructus, color, & uirgulta, cru cis euangelium exprimunt. Teſte etiam apoſtolo qui ſic ait. Si habueritis fidem ſicut granum ſina pis dicetis huic arbori moro, eradicare & tran ſplantare in mari, & obediet uobis. De cruce lo cutus Paulus dicebat, precio empti eſtis, non ſi tis ſerui hominum. Precio ideſt Cruce, quam nō ſimpliciter digito in corpore, ſed fide in mente & magna quidē formare oportet, & ueluti coro nam læto animo circunferre, quoniam ſceleſti Dæmones (ut Chryſoſtomus inquit) haſtam uiden tes, qua lætale uuluus ſuſceperunt congredi no biſcum non audebunt. Crux Chriſti clauis eſt Pa radiſi, quem aperuit & qua clauſas ianuas re ſerauit. eſt inquam regnum, cumq; regem nomi namus, crucifixum inſpicimus, & qua denique mors, in ſummum redacta eſt. Crux conſolatio pauperum, refrænatio uero diuitum, periclitan tium portus, medela ægrotantium, regum magni ficentia, & eccleſiæ deniq; fundamentum. ea de

re ut cum cruce finiamus, in penetralibus, in parietibus, in feneſtris, & in fronte quoque ac mente, magno ſtudio crucem ſalutis noſtræ ſignum communis libertatis, manſuetudinis atque humilitatis Domini ſymbolum inſeramus.

De cauſis, efficiente, formali, materiali, & finali, an ex effectibus cognoſcantur, & quo modo non omnes ſemper præcedunt cauſatum. Cap. V.

QVod cauſarum quatuor ſint ſpecies, nulla ſanè dubitatio eſt. Materialis, formalis, efficiens, & finalis. Exempli gratia in conſuetudine, actuum frequentia, conſenſus, tempus, ratio, & utilitas ipſius. & generalius, materia ex qua res fit, ut lutum. Forma per quam res eſt ut uas. efficiens faber à quo conficitur. & finis propter quem res eſt. ut eo ſcilicet utamur. Nec inter cauſas ponitur tempus, quia nec tempus cauſam in ſe habet. harum quædam intrinſecæ, quædam extrinſecæ. Intrinſecæ materialis et formalis, extrinſecæ uero efficiens & finalis. Vel & aliter quædam principales, quædam acceſſoriæ, principales fiendi duæ, efficiens & finalis, eſſendi totidem, materialis ſcilicet & formalis. acceſſoriæ autem locus & tempus. eſt uerum quod ex his efficiens

principium potentiſſimum dicitur omnium cauſarum. Quodque hæc & materialis pariter cauſatum ſemper præcedunt. finalis non, ſed eodem tempore fiunt. & licet adhuc finalis in dubio non præſumatur, ea tamē huiuſmodi eſt, ad impulſiuæ differentiam, quæ cohæret diſpoſitioni, ſemper attendenda. & dato rurſum quod cauſatum præcedat intentione, executione tamen eſt poſterior. eſt etiam cauſa proxima & remota, proxima ſcientia hominis & regimen, remota beatitudo ad quam omnia ordinantur. Siue immediata mediata, & magis mediata, ut libri compoſitores immediate, mediate uero Iuſtinianum, & deum magis mediate denique ſignificemus. Dicunt quoque noſtri adhuc, ſi prohibitio ſine cauſa fiat quod nulla eſt, aliqua uero ſi cum cauſa. Quodq; efficacior redditur, & quod etiam uerba enunciatiua probata per modum cauſæ diſpoſitionem inducunt. Et philoſophus quod ſine cauſa impoſſibile eſt aliquid eſſe uel fieri. & nos rurſum hac de re; quod ius potētius operatur in cauſa quàm in cauſato, licet ex effectibus cognoſcamus cauſas, ſeu actus diſpoſitionis eſt in cauſa potior quàm effectus. & ſi dubitaretur an ab occaſione differat utique dicendum eſſet maximæ differre quoniā cauſa eſt id quod ad ad aliquid per ſe ordinatur, occaſio uero quod ad aliquid ordinatur per ſe uel per accidens. hoc unum quoque

adijcientes, quod magis determinat ſubiectum proximum in quo etiam magis influit quàm remotum, et quod quiſque ſemper admonendus eſt cum aliquid facit ut cauſam alleget quæ ſi approbata fuerit pro uera habebitur, principalisq; attendetur. uſque adeo ut euentus poſtea qui ſequitur nocere non debeat ubi initium bonum licitumq; fuerit. & quanquam finalis non præſumatur (ut dictum eſt) niſi ſecundum iuris rationem finalis eſſe debeat, uel à teſtatore ſit asſignata, & loco finalis cauſæ habeatur, præſumitur tamen uerisſimilis. Sui natura dictũ declarans, amplians, & reſtringens. Imò *quod ſemper quid factum ex cauſa præſumetur ſi præcesſiſſe appareat. & ſi præſumitur in iudice, quod eſt regulare, multo magis præſumetur in principe, eſtq; loco cauſæ ſuprema papæ auctoritas.* Verum *eſt ſi à principe ſit inferior, quod probabilis eſſe debet, in principe ſecus. & ſi quis actum faciat & dicat, quod ipſum facit, quia ita uult, actus cauſam continere dicetur, nec occaſio pro cauſa ſumenda quando aliquid permittitur ex cauſa.* Pro *complemento rurſus ſciendum eſt,* Cauſarum *quandam neceſſariam fore, quandamq; uoluntariam, quoniam primo caſu ſi corpus eſt in luce, utique umbra eſt. & ſi mulierem ſecundo amat quis eam ducet uxorem. quodq; etiam dici poteſt cauſa, cuius ui aliquid eueniat. ut ignis, incendij,*

aqua diluuij, & aer denique peſtis cauſam. in diſpoſitione etiam ſemper excepta. ex quo (ut mittamus cetera) iterum edi poſtulanti uetat prætor ſi non ſit cauſa. & qui iurato promiſit iudicio ſiſti, non uidetur peieraſſe, ſi ex cauſa hoc deſeruerit. Minusq́; prætor ſi à ſtatuto iurato cum cauſa receſſerit pariter. milleq́; huiuſmodi ſunt non referenda breuitatis gratia. & ſi addendum eſt aliquod hoc unum ad idem addi poteſt, quòd procurator datus ad litem ſuſcipiendam, iudicium accipere cogitur, niſi ex cauſa adhuc recuſauerit. Graue item eſt uxorem occidere, uel fratrem, longeq́; grauisſimum patrem, & nihilominus, ſi in cauſa aliquid fuerit impune omnia permisſione legis facere poterimus. uel utilitas publica, uel dolor, quē temperare (maxime quando iuſtus eſt) difficulter poſſumus hoc ipſum ſuadeat. Oreſtisq́; hiſtoria nota eſt, Horatij, & Scipionis. Tiberium Gracchum enim iſte, Horatius ſororem, & Oreſtes denique matrem, nec ſine cauſa peremerunt. Sed adhuc alia cauſarum diuiſio reſtat. in alias tres ſpecies, naturalem, uoluntariam, & fortuitam, naturalis ex rerum naturis proficiſcitur, ut ignis calefaciat, ſeu lapis deſcendat. uoluntaria quæ ſita eſt in liberis hominum uoluntatibus, fortuita uero, obſcura & quæ ignoratur penitus. Quatuorq́; aliæ etiam hinc deuoluendi iuriſdictionem appellatio, nul-

litas negligentia, & mors in caſibus à iure expreſsis. & ſi hæc eadem remoueat impediens tandem effectum non producet, ex quo ad ipſum non eſt ordinata. ut puta quod uelit quis locum ingredi, nec poſsit oſtiolo clauſo, quod ſi, aperuero impediens remouebo, non ut ingrediatur tamen ſi maxime claudicauerit.

Quo modo grata omnibus eſt concordia, à Romanis hominibus etiam culta. Imò & dijs iucunda, Quale ipſius ſymbolum ſit, & quomodo uictoriam parat, exitium uero diſcordia quàm maxime præbeat. Cap. VI.

Non ab re concordia omnibus grata eſt. ſuperisq́; iucunda, & Mars Ioui inuiſus rixarum ac Bellorum deus, quoniam (ut uulgo aiunt (ea paruæ res creſcũt, diſcordia uero maximæ dilabuntur: cui ſententiæ ſe multum debere etiam, Aggrippa dicebat. monebatq́; ſic moriens Mycipſa filios. et plurium haſtilium faſciculo ſilurus quaſi concordiæ ſymbolo. quod colligatum frangi minime poteſt, ſingulatim uero facile. Concordia à cordium congruentia uocata eſt, affinis amicitiæ, urbium regina, & quibus omnia iungi putabat Empedocles Agrigentinus, diſiungi uero & ſeparari (ut paulo ante diximus) diſcordia, quam rurſus deſsignabant uete-

*res malis punicis,eamq́; colebant & Romani omnium primi. Interrogatusq́; Tireſias Celticus ab africano qua de cauſa Numantia aut prius inuicta aut poſtea euerſa fuiſſet, quia(inquit) concordia uictoriam,diſcordia uero exitium præbet.*Nec *minus prudenter ciuibus ſuis* Lycurgus *dum ab eo ſciſcitarentur pariter,quo nam pacto hoſtium impetum poſſent repellere, ſi (reſpondit) concordes fueritis mutuasq́; depoſueritis contentiones.*Quid *quod in unione hominis notatur,quem de limo terræ creauit deus, & fœminam de coſta eius,ex quo in unitate concordiam dilexit, homoq́; dictus non ab humo, (ut aliqui putant) ſed à concordia & conſenſu. & mundi partes ab ipſo orbis architecto, concordi quodam diſcrimine condite atque connexe.*In *humano corpore etiam membra conueniunt ad hominis ſalutem ſeruandam,unoque dolente cetera dolent, anima difficulter à corpore recedit, & quandiu unus fuit homo peccatum non commiſit, multiplicatus uero deliquit.*Nec *aliud illa naturalis unio adhuc inter animam & corpus, non carnalis inter uirum & uxorem, non uirtualis ad ſe ipſum,non moralis proximo,non ſpiritualis deo,non ſocialis angelorum, non perſonalis* Chriſti,*non principalis ſanctæ* Trinitatis *denique,aliud quàm cõcordia.* Imò *quod literæ quæ elementa dicuntur ſi coniungantur, literalem*

uocem quaſi corpus quoddam componunt. & cõſonantiam disſimilium uocum in unum redacta concordia eſt. Verbumq́; concorditer à noſtris uſurpatum nil aliud. & ſi rurſum finis medio cõcordauerit, figura erit quæ concordia à grãmaticis uocatur pariter, exempli garatia (ut dicũt)

Aſcẽde gualter (ride) ueniat bos unus et alter;
Fac tibi fortunam feſtines frangere lunam;
Et contra fatum faciet te cura beatum.

Iolaus etiam Sardiniã ingreſſus palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam aliaq́; ingentia extruxit oppida, ab eoq́; dicti inde quoque Iolenſes fuere. & certe nihil eſt iucundius ciuium concordia optimo principi maxime. Tyranno nihil formidabilius, duoq́; & præcipua quidem mihi eſſe uidentur, imperare ac parere, quæ ſeditionem excludunt, concordiam tuentur, & nos poſſe facile etiam rempub. erigere, ſi communi conſilio negocium adminiſtrabimus, non ſi diſtrahamur. Verum (misſis his) inauditã in Æmilio laudem ſentias, quod ſexdecim ex Tuberonis familia uiris, magna concordia cum uxoribus, & liberis in eadem domo degentibus, communiq́; uiuentibus agello, familiæ herciſcundæ iudicio opus nõ fuit, & inter cetera pacis bona, quæ multa ſunt & uaria, præſertim cædes reprimere, latrocinia depellere, reducere & confirmare humano generi commercia, religionem, diſci-

plinas, ſecuritatem, tranquillitatem, nec non diſcutere triſtitiam orbis, ut uiuant boni & uigeant, malorum uero & ſceleratorum hominum, (quæ de cauſa factæ quoq; fuerũt leges) audacia coerceatur. Scias etiam fuiſſe concordiam conſtituere. qua Romani homines adhuc totum ferè debellarunt Orbem, putantes nihil iuſtum nihil honeſtum, nihil ſanctum denique, ſine concordia fieri poſſe. Imò quod ea gaudet altisſimus, & in membris ſuis gloriatur, hoc ipſum teſtati etiam ſupra. & ſi (ut inquit Cicc.) ex rerum natura concordiam exemeris, beneuolentiæq; coniunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare unquam poterit, nec agricultura quidem manere. Contra uero ſi in ciuitate uiguerit harmoniam quandam potius quàm aliud cauſabit, et animæ ſuauitatem & ſummis, infimis, & mediis quibus moderatur. non omittentes inſuper cum ſenatus poſt Cæſaris mortem, in Telluris æde conuocatus fuiſſet Capitolio à coniuratis occupato iam non aliud rurſum uoluiſſe niſi ut de pace, & concordia ageretur. & cum Demetrius à uenatione rediſſet inueniſſetq; patrem legationem audientem ut erat telis ſuccinctus ipſum oſculatus eſt, & prope eum conſedit, legatisq; diſcedentibus, ferunt Antigonum dixiſſe, talem amorem animiq; pietatem qualem uidiſtis renunciate, ut oſtenderet patrem cum filiis, eorumq; concordiam regum po-

tentię maximum indicium fore & breuiter quocunque in loco fuerit, non minus utilis erit nobis, quàm ſit in tybijs cantuq́; neceſſaria.

De *diſcordia quomodo eſt concordiæ oppoſita, monſtrumq́; infeſtans humanam gentem, & unde omnia proueniunt mala, ueneficiaq́; & peſtes.* *Cap.* VII.

EAdem *repetere quæ paulo ante diximus non multum expedit, ex quo liquet omnino ſi concordia nullum eſt bonum melius, quod diſcordia pariter nullum ſit malum peius, maxime quia inſidias parat, uires debilitat, & occulto quodam morbo imperia conſumit.* Qua *de re non mirum eſt ſi olim inter plebem & patres, propriæ leges neglectæ ſunt, ſi ſic poeta conqueſtus eſt aliquando,*

En *quo diſcordia* Ciues, *perduxit miſeros.*

Si eiſdem denique disſidentibus, & romanum ruit funditus, quod nihilominus toto dominauerat Orbi. Diſcordia Athenienſium Lacædemoniorum *aliorumq́; plurium,* Philippus Alexandri *pater, totam ferè græciam ſubegit.* Idemq́; *fecit* Xerſes *potentisſimus* Perſarum *rex.* Nec *nobis ignotum egregium illud* Ariſtidis *uaticinium prius, niſi* Themiſtoclem *& me ipſum in barathrum* Athenienſes *conieceritis, reſpub.*

uestra

ueſtra ſalua eſſe nō poterit. Hæc eadē *in humori bus totum corpus corrumpit, in tybijs & muſica moleſtos habet auditores, hominum cœtui importuna eſt, aulas principum perturbat, ſeditionibus omnia inficit. & breuiter hinc tot depromuntur mala ut non facile numerari queant.* Conſpirationes, *direptiones, ueneficia, cædes, & peſtes illæ teterrimæ, quæ ſtatus omnes publicos priuatosq́; labefactant, & euertunt penitus. & nimirum cum ſit urbium præſentaneumq́; uirus humano generi, ſi noſtri uolunt, ut diſcordiarum ſeminatores puniantur acriter.* Quod *nanque officium etiam in regimine domus, fieri unquam poterit, ſi mulier, ſi filij, ſi denique ſerui, ſe inuicem odio proſequantur? quo modo pater familias diſcordia fractus, diuitias augere curabit? uidens enim eam hac ruina cito interituram, miſerrime deluſus, lacrymis & gemitu conficietur potius.* Diſcordia *rurſum de paradiſo eiectus eſt* Adam, *de cælo* Lucifer, *& à populo denique ſeparatus* Iſmael. Nec Roma *duos fratres ſimul hac de re potuit reges habere.* Bellaq́; *gęſſerunt in utero matris* Iacob *&* Eſau. *Igitur hinc ſumma ope niti debent omnes, qui reip. maxime ſunt profuturi, ut duo illa* Platonis *præcepta teneant, ne ſeditionem atque diſcordiam inducant.* Quid *quod nulla ſpatia (ut dicebat quoque* Ambroſius) *poſſunt eſſe ſatis diſcordibus, ubi quietis & paci-*

ficis abundant etiam anguſta. tandiuq; omne quod eſt manere atque ſubſiſtere poteſt, quandiu unum eſt, interire uero atque diſſolui pariter cum unum eſſe deſierit. Diſcordibus rurſum nulla ſpes eſt, quia nullæ ſunt corporum uires, ubi corpora huiuſmodi eſſe deſierunt, & direpta atque auulſa membra, non modo robur amittunt, ſed ipſorum membrorum quoque ſpeciem pulchritudinemq; perdunt. Quapropter etiam (ſcituq; dignum uidetur) cum Cyri Perſarum regis puer, latisſimo eſſet fluuio Euphratis ſubmerſus, iratus rex ipſum in foſsis circiter trecentis diduci & à pueris uſquequaq; traici iusſit, ut qui collectus ingenti latitudine formidabilis erat, in tot diuiſus partes, pasſim etiam à pueris contemni poſſet, eſtq; apertisſimum argumentum, nullum robur tam firmum, atque ſolidum quod diuiſum non debilitetur, non cadat, non disſipetur. Ignis enim in ſtipites adhuc ſegregatus extinguitur, domus in lapides diuiſa corruit, nauisq; ſciſſa in tabulas mergitur, & nihil eſt tandem (ut finiamus) quod diſcordia non ruat, quodq; (ſicuti proxime oſtenſum eſt ſatis) concordia non conſtet.

De ſeditione quomodo ea intereunt urbes, & domus priuatæ etiam (ut Iſocrates dicebat) funditus euertuntur. ex quibus oriatur cauſis, & quæ pœna ſit denique ſeditioſis conſtituta. Cap. VIII.

M*Aximum malũ eſt ſeditio, opponit enim ſe unitati populi, ciuitatis & regni, eſt turbatio quietis publicæ, & peſtis denique tam ardens, & funeſta ut ea nulla ſit quæ ſæuiat atque incrudeſcat uehementius, uſque adeo ut non modo à noſtris damnata ſit, uerum etiam ſeditioſi grauisſimis afflicti pœnis.* Nam Tyberio Gracc*cho interfecto, (hiſtoria nota eſt) ferunt* C. Vil*lium eius familiarem inſutum culeo, (quæ pœna tamen parricidarũ erat) mortem obiiſſe.* C. Ama*tium autem poſt Cæſaris interitum, quia multitudinem pariter ad ſeditionem concitauerat, ab* Antonio *occiſum fuiſſe, & more damnatorum unco etiam tractum ac in* Gemonias *præcipitatum ſcalas, & minime mirum quoniam graſſantibus multis exemplo opus eſt. quandoquidem his modis urbes intereant. et priuatæ domus euertantur funditus, & cum ſeditioſos magiſtratus* Po. Ro. *haud quaquam ferre poſſet; præter hæc decemuiros legibus ſcribendis creauit.* Numa *qui ex* Solonis *libris in latinum ſermonem tranſlatas* XII. *tabulis exponerent, Statueruntq́; Romani*

equites,improbum ciuem eſſe, & non retinendum in ciuitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem eius honeſtaret,aut deſideria imperitorum miſericordia commoueret, aut ſuam imitandæ improbitatis uoluntatem ſignificaret. Qua de re etiam ſeditiones inteſtinas uenenum appellauit Cato, easq́; tempeſtatibus, ſeu hybernis imbribus comparauit Pindarus.Innuentes non eſſe his modis reſpub.dilacerādas,ideſt ſeditionibus,acerbitate animorū diſcordia et rixis,nec per tumultū agendū aliquid ſed mutuis officiis potiùs iuuandas. & profecto ſicuti duo hæc imperare & parere in ciuitate cōcordiam tuentur (ut ſuo loco diximus) ſeditionesq́; excludūt ita diſſenſio ciuium imperare rurſum & non parere, eas fouent & nutriunt. Et ad pœnas redeuntes ſciendum eſt etiam ob id Varum multos cruci affixiſſe, ratum ex tribus urbium malis bello ſcilicet, libidine dominandi, & ſeditione, unum hoc eſſe & præcipuum quidem. Manlium Capitolinum è rupe Tarpeia unde Gallos expulerat,præcipitatum.& Chorè hebræum denique ex leuitarum tribu natum,una cum aliis trecentis uiris à domino interfectum.Quid quod Cæſar adhuc in tumultu ciuilium armorum, tumentibus animis legionem totam exauctorauit, Ducibus ſeditionis ſecuri percuſſis. M. Curio uero cōſul bello Dardanico circa Dyrrachium,

cum ex quinque legionibus una, ſeditione facta pariter militiam detractaſſet, negaſſetq́; ſe temeritatem Ducis *in expeditione aſperam & inſtudioſam ſecuturam, quatuor armatas eduxit, & conſiſtere ordinibus detectis armis uelut in acie iusſit, poſt hæc ſeditioſam inermem procedere, diſcintamq́; in conſpectu armati exercitus, ſtramenta ſecare coegit, poſtremo autem die foſſam fodere, ita ut nec ex inde precibus adduci unquã potuerit ut ſigna eius ſubmitteret, nomenq́; aboleret.* Nec *eſt ad idem* C. Deciani *ſpectatæ integritatis uiri, omittendum exemplum, qui cum* P. Furium *quendam, hominem inquinatisſimæ uitæ, pro roſtris accuſaret, & in quadam actionis parte, de* L. *Saturnini, alioquin plebi inuiſi plurimum, & ob ſeditionem interfecti, morte queri auſus fuiſſet, effecit ſtatim ut abſolueretur.* Imò *quod* T. *Sextus qui lege agraria lata, populo gratisſimus fuerat, quia eiuſdem Saturnini imaginem habebat domi, damnatus eſt. & Siba uir* Belial *filius* Bochri, *quia ſeparauit* Iſrael *à* Dauid, *magnamq́; fecerat commotionem, profugus extra patriam, deprehenſus capitis ſuppliciũ pependit. Ceruicemq́; ſeruo præbuit, & ab eo etiam occiſus eſt.* C. Gracchus Tiberij *frater, cuius paulo ante mentionem fecimus, ne ad ſublicium pontem ob excitatam ſeditionem uiuus caperetur, nec non interfecti trucidatiq́; alij quàm plures*

quoque præter L. Apuleium Saturninum, præſertim Gneus Dolabella, frater, Saufenius, Labienus, & C. Glaucia. Bellum domi longe moleſtius eſt, quàm foris. hoc plerunq; utile ut in pace uiuamus, illud ſemper exitium bonis, miſerias & calamitates peperit, & quamuis Tyrannum omnes oderint, diuitijs & potentia nihilominus ciuitatē aliquando auxit, uerum ſeditione ſubuertitur. & ſi à libero homine fortisſimoq; ciue eſt tyrannis fugienda, de ſeditione etiam diſcordiaq; eſt maxime cogitandum. Seditio rurſum cum primū in naui, aut in exercitu orta eſt, periculoſa admodū uidetur, in ciuitate periculoſior. et quāto perſonarū ciuiumq; maior eſt numerus, tāto eſt pernicioſior, ita ut augeatur magis cōtagio, et curetur dificilius. à cupiditate et auaritia plerunque proueniens, ob fœnus diuitū, à quibus olim Romæ plebs grauia pertulit mala. A luxuria (Virginiæ hiſtoria nota eſt) à ſuperbia & faſtu, matrimoniorum indignitate, ne plebei cum patricijs iungerentur, ne ue magiſtratus crearentur. Quæ etiam à libidine dominandi inter Syllam & Marium, Cæſarem & Pompeium ortum habuit. exarſitq; ob Helenæ raptum & ſabinarum Bellum utrinq; periculoſum & graue. Nec minus inter Pelopem Phrygium ac Heonomaum helidem reges ob denegatam Hippodamiam. Pulchritudineq; Andromadæ maximum

inter Perſeum & Phineam geſtum eſt. & ob Lauiniã Laurenti regis filiam inter Æneam et Turnum denique initium omnino ſumpſit. Seditio accidit Lacædemone ex Parthenijs, quã mouit etiam Cinadon fortis ac magno animo uir, temporibus Ageſilai. & cum egeſtas ipſius comes ſit nec minus opes, nõ ab re Carthaginenſes, primumq; phaleas ciuium facultates conſtituit æquales eſſe debere. Quod an utile ſeu expediens reipu. fuerit, iudicabis tu. Interim & ſi hæc omnia à nobis fugienda ſunt, (ut dicebat Pythagoras) langor corporis, animi imperitia, luxuria uentris, ſeditio ciuitatis, domus diſcordia, & à cunctis denique rebus intemperantia, ſeditio maxime fugienda eſt, quæ nephanda committit, horrenda appetit, & ſtupenda tandem incurrit.

Quo modo Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, Quid ſibi uelit hoc ſanctiſſimum nomen. Quæ de Chriſto prædicentur, ipſius ſymbolum multiplex & uarium, quo tamen nullum aliud ſit in uita pulchrius dulcius aut iucundius. Cap. IX.

VNuſquiſq; cupit naturæ inſtinctu laudari, maxime quia Chriſtus etiã laudandus eſt, cuius actio (ut communiter dici ſolet) noſtra eſt inſtructio. hoc ipſum ex eo confirmantes, quod

adulteram haud condemnauit, cum illã accuſaret nullus, ut nec nos criminoſum niſi accuſetur damnaremus, nec ad aliquod officium electos remouerem us, ſicuti nec ipſe de apoſtolatu Iudam mouit, licet cauſa ſubeſſet, ad quem ſemel ipſum uocauerat. & adhuc adeo uerum ut lex humana pariter conformanda ſit diuinæ, & legislator humanæ, legislatori diuinæ, qui errare non potuit. & quia in promotione Petri mutauit ſibi nomen Chriſtus, cum prius uocaretur Simon, quando dixit. tu es Simon, & uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, non ab re eſt ſi in creatione pontificis quoque hoc idem fieri ſolet, ut ad mutationem nominis fieret etiam mutatio hominis, & qui prius erat homo, poſtea homo & inter homines eſſet Vicarius Dei, præ omnibus poſt ipſum honorandus. humani generis parens (ut alibi etiã diximus) ſponſus eccleſiæ omnia iura habens in ſcrinio pectoris. De nullo faciens aliquid. & cui breuiter dici, non poteſt, cur ita facis? Chriſtus de cælo celeſtis eſt, ubi Adam de terra terrenus erat. qui in lege ueteri Dauid etiam fuit appellatus. hebraicè Meſſias, grecè rurſum Chriſtus, latine uero unctus. Cui aduerbium hebraicum tribuitur quoque, quod eſt Amen. nec aliud reſonat quàm ueritas, iuxta illud, Ego ſum uia ueritas & uita. In Iona præfiguratus, Lapis deinde, oſtium, agnus. Lapis quem reprobauerunt ædifi-

eantes,& factus eſt in caput anguli. Seu qui percuſſit ſtatuam, quiq; magnus factus impleuit uniuerſam terram, uel angularis miſſus in fundamentis ſion. Oſtium cuius myſteria ante clauſa modo aperta ſunt his qui fide operãtur. & Agnus ratione imolationis, imò quod in prædicatione leo, uitulus in ſacrificio fuit, & dum cælum aſcendiſſet ales. Chriſtum altare uelut ſymbolum, præter alia deſignat. uel arca teſtamenti, quæ manna continebat, tabulas teſtimonij, & uirgam Aarõ, hoc eſt quod ipſe arca eſt in qua omnes theſauri abſconditi ſunt. Inq; eo miſericordiæ dulcedo, plenitudo ſcientiæ, & dignitatis ſacerdotalis ac regiæ celſitudo. Quatuorq; præcipua de ipſo prædicantur. Natiuitas, paſſio, reſurrectio, & aſcenſio. & ſi de uiſitatione quæratur eiuſdem, uel de aduentu, dicam in præteritum, de præſenti & in futurum, in carne in ſpiritu, in morte & poſt mortem, conſiderari poſſe, in præteritum quando uenit in mundum ut carnem ſuſciperet. De præſenti per ſacramentum euchariſtiæ. & in futurum ac in die iudicij, quando dicet, uenite benedicti. In carne rurſum uenit mortem paſſurus. In ſpiritu animas iuſtificaturus. In morte eas glorificaturus. & poſt mortem denique retributurus. Chriſtus finis legis eſt, per quem abundat conſolatio noſtra. Qui oſtendit gloriam ſuam moriendo, reſurgendo & (ut diximus) cælos aſcen-

dendo.ac mittendo ſpiritum ſanctum, & ſignis amplius declarauit multis,ſe eſſe deum,mari im=perans,& uentis.non baculo ut Moyſes, *non pre cibus ut* Heliſeus,*ſed ſolo, ſolo inquam uerbo, ita ut admirati homines tunc,dicerent qualis eſt hic? quia uenti & mare obediunt ei.*Abel *in agro à fratre peremptus.* Iſaac *ſuper lignorum ſtruem colligatus.* Abraam *cum ariete inter uepres.* Moyſes *ſigna faciens. Serpens in ligno.&* Iona *etiam (quod paulo ante quoque meminimus) pro pheta.*Adijcientes *ſignum hoc ultimum,nulli dan dum eſſe, niſi his qui ſanctorum exempla faſti=diunt, miracula contemnunt, & euangelia au=diunt ſine fide.*Chriſtiq́; *nomen poſtremo ſanctiſ=ſimum eſſe. quod poſt baptiſmũ accepit* Ieſus *bea te* Mariæ *uirginis filius.* Eoq́; *ſanctius nihil, ni=hil amabilius,iucundius,dulcius, uel applauſibi=lius dici,excogitari ue poſſe.*Nomen *quod eſt ſu=pra omne nomen, quodq́; magna fidei conſtan=tia* M.Antonij *ueri milites aliquando inuocantes ab hoſtibus circumuenti ob aquarum penuriam, ſitimq́; potius,quàm hoſtium periculum ſuſtinen tes,tantam pluuiæ uim illis effudiſſe (memoriæ proditum eſt) ut* Romanos *quidem largiſſime ac ſine iniuria refecerit,hoſtes uero crebris fulmi=num ictibus, perterritos,præſertim cum plurimi eorum occiderentur,in fugam coegerit.*Ipſum *igi tur inuocemus ſæpe.*Chriſtum *continuo profitea=*

mur, nil aliud geramus in corde ut nobis ſit ſemper propitius & adiutor, inq; rebus aduerſis uelut clypeus nos muniat, & tueatur. Dicereq; *ualeamus audacter, Si Chriſtus pro nobis eſt, quis contra nos? & quia ſi pugnabit pro nobis rurſum Chriſtus, nihil unquam quod malignum, ſit aduerſabitur nobis.*

Quod à Chriſto chriſtianus dictus eſt; qui uere chriſtianus ſit. Quomodo chriſtiani appellarẽtur ante Chriſtum. Quare nõ Ieſuani à Ieſu, deq; multiplici chriſtianorũ perſecutione. Cap. X.

NVlla ſanè dubitatio eſt, quemadmodum à præceptoribus Socratici aliqui appellati fuerũt, aliqui Epicurei, nonnulli uero phyſici, & à ciuitatibus Megarenſes, à locis Academici, uel ab ignominia Cynici, & philalites denique à faſtu, ſic nos à præceptore Chriſto in omnibus ab omnibus imitando inde etiam pulcherrimum hoc chriſtiani nomen deſumpſiſſe. non tamen ut mendacium diceremus poſtea, opera Chriſti minime facientes, (ille enim chriſtianus non eſt, qui Chriſtum non imitatur, imò quod nomen alienum, ut inquit Auguſtinus arroganter uſurpat) ſed ueritatem potius, & que chriſtianitatis ſunt feruentisſimo quodam ſpiritu ageremus. Inglorij *coram hominibus, gloriam quærentes apud deum. terre-*

*na contemnentes, cæleſtiaq; indubitata fide conſe qui ſperantes.*Et à *Chriſto diximus quia primũ cultores* Anthiochiæ *fideles diſcipuli ac fratres uocati ſunt.*Poſt *concilium uero Anthiochenum, quod à S.apoſtolis factum eſt, Chriſtiani. ſed cũ in circunciſione Chriſtus* Ieſus *appellatus ſit primum,quare non potius* Ieſuani *quàm chriſtiani fuerunt inde etiam uocati? reſponderi facile poteſt,non mirum eſſe,quia rem ſignatam Chriſtus hoc nomine communicauit nobis, non aliud ſonans (ut proxime declaratum eſt) quàm unctus, unctioq; hæc rurſum communis omnibus, regibus, pontificibus, & chriſtianis in nomine* Ieſu *haud dicendum, quoniam idem quod ſaluator ſignificat. & iſtud ipſum ipſi ſoli conuenit. alijs non cõmunicabile.* Ex *quo hinc dictum eſt quoque noli tangere Chriſtos meos,inde uero & uocabis nomine eius* Ieſum.*ipſe ſaluum faciet populum ſuum,à peccatis.ipſe ſcilicet & non alius, & ſimile quiddam.* Non *obſcurum igitur eſt ſed clarum,non dubium ſed certum neque indubitatum,chriſtanos & non* Ieſuanos,*ex his uocari debuiſſe.*Qui *maxime ſub* Nerone, Domitiano, Traiano, Hadriano, Commodo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, *&* Maximiano *denique perſecuti fuerunt.Lapidibus enim obrutus eſt ſub* Nerone D.Iacobus *Chriſti ſobrinus.* Occiſi Petrus *&* Paulus,*ille in cruce mortem obijt, iſte*

gladio perijt, & ſic martyrio coronati fuere. Re*legata inde etiam* Flauia Domicilla Flauij Cle*mentis* Conſulis *à* Domitiano *in* Pontinianam *inſulam, quia ſe chriſtianam eſſe dicebat.* Imò *quod uti deus coli uoluit, & priuſquam à ſuis* occideretur, Io. *euangeliſtam pariter mulctauit exilio.* Nec Egnatio *epiſcopo* Anthiocheno, *eius diſcipulo pepercit* Traianus, *iuſſo cuius animi ip ſius martyris corpus exenteraſſet carnifex inq; plures ſecuiſſet partes, cor ferunt circunquaq; literis aureis inſcriptum, atque Chriſti nomine ornatum, inuentum fuiſſe. Sub* Adriano *etiam* Chochebas *Dux* Iudaicæ *factionis, nolens ſibi chriſtianos aduerſus* Romanum *militem ſubſidium ferre, eos omnimodis cruciatibus afflixit. & auditis beati* Calimeri *contra idola prædican tis meritis,* Commodus *hominibus incommodus, eum puniri iusſit, plagisq; perfoſſum infideles in puteum diecerunt, martyrioq; rurſum coronata* Vrſula *cum ſororibus ſuis ſanctis* Maximini *ope ra.* Decij *uero* Laurentius Diaconus Romæ, *in chriſtianos perſecutionem mouens.* Et *longe magis* Valeriani. *Is enim eſt, qui à* Sapore Perſarũ *rege capitur, quiq; apud eum miſerabili ſeruitute conſenuit. & dictu mirum uidetur, cum* Aurelia*nus hoc idem egiſſet pariter, fulmen in eum ac comites irruiſſe. nec multo poſt inter* Conſtanti*polim &* Heracleam *occiſum fuiſſe. haud omit-*

tentes tandem Maximianum ad Amphiteatrum omnes Chriſti fideles etiam tradidiſſe, occidiſſe, et diuerſis denique pœnis affeciße, hæcq́; ſummatim dicta ſint multis ſanè de induſtria prætermisſis, et innumeris quidem, qui tum ab his tum ab alijs, trucidati in exilium truſi, direptione bonorum mulctati, in ergaſtulis mortui, inedia necati. et ad metalla quoque damnati fuerunt pro Chriſto. Imò quod Blandina fœmina quedam Viennenſis cum in tormentis chriſtiana ſum ſemper magna conſtantia proclamaret, pia hac uoce doloris ſenſum extinguebat reſoluebaturq́; miraculoſe, ac concidebant carnificum manus. Quod ſi nos quoque idem agere haud recuſabimus, chriſtiani opera facientes (ut paulo ante dictum eſt) inimicorum noſtrorum perſecutiones duce Chriſto facile etiam deuitabimus.

Quid ſit Cælum; unde dicatur, Quare ſic appellatum fuerit; ex quibus conſtet, & quæ denique in eo eſſe reperiantur, breui rerum ac uerborum compendio declaratur. Cap. XI.

CÆlum de quo nunc locuturi ſumus, dictum fuiſſe a cælando quia ſecreta nobis celet omnia ueriſimile eſt, (ut Varro, & Plinius prodiderunt) uel quia ſtellis cœlatũ inſignitumq́; eſt, alio nomine uocari non debuiſſe dicamus, quaſi il

lis etiam uis quædam cœleſtium oculorum ineſſe uideatur, uſque adeo ut hac de re, Argum quoque alij ipſum appellare non dubitauerint.(Argus enim oculis plenus à poetis fingitur) uel à concauitate quoniam κοιλόν græcis concauum eſt. ingenitũ (ut inquit philoſophus) quiddam, incorruptibile inaugmentabile, & inalterabile, unum & ſempiternum. Principiũ ac conſummationem non habens totius æterni. Cuius pulchritudinem ſi qui Cimmeriorum more ſub terra habitaſſent, hucq; ueniſſent poſtea, ſuperiora hæc circunſpicientesſanè admirarentur quàm maxime et obſtupeſcerent. Cœlum adhuc motus habens celeres, ab Oriente in Occidentem, ab occaſu in ortum, ac ceſſum & receſſum tertio qui proprius eſt, forte nonnullis quoque dicendi præbuit argumentum ipſum σφαῖραν, ideſt uolubilem eſſe, ac tectum immenſum. quod rurſum aera plerunq; uocant, & ſi dixerim pro eccleſia poni ſæpe, non errabo. iam quod id non aliud ſonat, quando aiunt. Volucres cœli nidos habēt. intonuit de cœlo dominus. oſtium apertum in cœlo. Factum eſt ſilentium in cœlo. uidi & audiui uocem aquilæ uolantis.(ſingula referentes ſingulis) per medium cœlum, proq; alijs pluribus. Habitaculum alias & Magnificentia Dei, ex quo (ut oſtendimus) perpetuum eſt, nec (ut inferiora hæc) corrumpitur, facile & proprie ipſius gloriam inuiſibilem ſi-

gnificans, inaceſſamq́; lucem quam inhabitat ſem per. Triplex hinc corporale, intellectuale, atque diuinum. Quorum primum firmamentum uocauit, facieq́; ſtatim aliud cunctis ſupereminens. Vltimum uero quod omnia contineret, & de quo pſal. Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. Columnæ cœli terra ac montes, quæ ad nutum domini (ut dicebat Iob cognatos irridens) contremiſcunt & pauent. Quid quod cœlum etiam triſtatur? Quodq́; dicuntur feneſtræ cœli nonnunquam aperiri, quando nullum à ſuperis auxilium expectamus, ſi ira dei in nos copioſe effundatur, maximoq́; impetu defluant imbres. Intelligit, loquitur, & audit, cum in intellectu factum ſit. Dei iuſtitiam ac gloriam prædicet, & ſupplicantium preces admittat. In cœlo rurſum planetæ ſeptem ſunt, Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, nec non duodecim Zodiaci ſigna, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraq́;, Scorpius, Architenens, Caper, Amphora, Piſces. Poli duo, qui extra cœli partes, ſiti alio nomine axes à ſimilitudine, quandoq́; autem uertices nuncupantur. & à πολῶ dicti græce quod eſt uerto, quod cœlum ſcilicet motu continuo circa hos uoluatur, Arcticus, & Antarcticus, & memoratu dignum eſt, quod cœlum ex lapidibus conſtare dicebat Anaxagoras, ſolemq́; eſſe lapidem ardentem,

tem, quod ex hoc à Cleone impietatis accerſitus, à Pericle diſcipulo autem defenſus, talentis quinque tandem exilioq; mulctatus eſt. Cœlum etiam Perſæ Iouem putabant. & homines primum cum ipſum currendo ſemper circumuolui uiderent, deum eſſe arbitrati ſunt. Atlantides uero Africæ populi pietate & religione inſignes, apud ſe regnaſſe prædicabant, alij templum dei uocant, nil aliud deum exiſtimantes eſſe, niſi cœlum ipſum & cœleſtia hæc quæ cernimus, certumq; locum in hoc dei templo, beatis definitum eſſe, ubi æuo ſempiterno fruantur. Quod ultimum cum ita ſit, ita nos urgere debet ſtimulis, ut uirtuti optimarumq; artium diſciplinis operam demus, uoluptates autem ueluti peſtes abijciamus, quoniam ſi actiones noſtræ ex uirtute manabunt, duces nobis erunt, ad felicitatem, qua cœlo ſeu dei templo hoc frui poſſimus, ſin uero à uoluptatibus & uitijs in barathrum miſeriarum nos, nos inquam præcipites dabunt.

Pluribus modis clamauit Chriſtus & clamat, Quod clamor plerunq; etiam e nequitiæ manifeſtatio, Quid ſit clamare, & quotuplex denique ſit clamor. Cap. XII.

Licet indoctiores clament robuſtius, quod ratione adipiſci minime poſſunt ut uulgo

doctiores eſſe uideātur, quales de ludo ſunt decla ratores, aut rabula in foro, clamant tamen etiam Antiſtites & doctisſimi excellētisſimiq; artiū ac diſciplinarū ſectatores. nec minus alijs clamore proſunt & adiumento ſunt, quàm ſilentio ſibi, quod ſanè ſemper & ubiq; tutisſimū atque alias laudabile fuit & eſt hominis ornamentum, ſed nulla uox, clamor nullus, efficacior ualidior uti lior & feruentior extitit unquam quiq; magis auditores commouerit, & commoueat, aut ter ruerit, & terreat, ut clamor magnaq; Chriſti uox, quam dormiens ſenſit Lazarus. terra tunc tremuit, cœlum obtenebratum eſt, petræ ſciſſæ, & aperta quoque monumenta quieſcentium. Cla mat rurſum Chriſtus, Surdis ut audiant; dormien tibus, ut uigilent; tranſeuntibus ut attendant; ignorantibus ut diſcant; errantibus ut redeant, & peccatoribus denique ut pœniteant. In cœlo ſemper. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, et ego reficiā uos. Imò quod mūdus etiā clamat, clamat caro, & Diabolus. deficio, in ficio, decipio, Chriſtus uero reficio, & quia cla mare nil aliud eſt alias, quam alta uoce deſide rium cordis exprimere, affectumq; animi oſten dere. Vel quia timor & metus plerunq; uocis incitamentum eſt, non ſolum eam acuens, uerum etiam ſi nunquam fuit extorquens, alia ue ratio ne ſciendum reor. Olympiade octaua, & quin

quageſima, cum Cyrus uictor intraſſet Aſiæ oppi
dum Sardas, ubi tūc Crœſus latebat, Atym filium
eius mutum, in uocem eruiſſe & exclamaſſe, Parce patri meo Cyre, & te hominem eſſe diſce caſibus noſtris. Terq; Quaterq; patrem Crœſum cum ad incendium duceretur, pyram aſcendentem alta qua potuit uoce ſpectantibus Cyro & cunctis, O' Solon. (is enim bonis confidendum nō eſſe dixerat, cum hominis uita, uariis fortunæ uicibus aſſidue rotetur, beatumq; fore neminem, niſi qui ad nouisſimum uſque tempus, à fortuna non agitatus diem honeſte obiuiſſet) cuius periculo factus certior Cyrus, & Crœſi ſortem miſeratus, non modo eum ab incendio liberauit, ſed etiam ſummo honore proſecutus eſt. Clamauit in exilium pergens magnus ille Athenienſium orator Demoſthenes, Athenarumq; arcem ſuſpiciens. O' Pallas urbium cuſtos, cur tribus truculentisſimis belluis delectaris, noctua, Dracone, & populo? forte ut uulgi leuitatem oſtenderet, ſeu declararet potius, qualis in ciuitate princeps eſſe debeat. Et magna denique etiam Iugurtha dum à Mario uictus pariter, in triumpho duceretur. O' urbem uenalem ſi emptorem inueneris, cito ruituram. Voxq; illa Crœſi recordationis, Demoſthenis autem & Iugurthæ deteſtationis, uel etiam inſtructionis dixerim, non alia fuiſſe uidetur. ex quo rurſum, Accuſationis

clamor eſt (ut noſtri aiunt) & qualis olim quoque dominus meminit dicens, uox ſanguinis fratris tui clamat, deſcendam, & uidebo, utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint, & ſic nequitiæ manifeſtatio, quoniam alius eſt internæ deuotionis, alius prædicationis aſsiduæ, ſi cum David dixerimus, Clamaui ex toto corde meo, exaudi me domine, ſi clamare non ceſſabimus, cum non minus ad idem nos hortetur his uerbis Eſaias, Clama ne ceſſes et quaſi tuba exalta uocem tuam. Silentio adhuc non omittentes quod plerunq; etiam clamore tribulationis futuræ magnitudo deſignatur, iuxta illud, Vidi & audiui uocem unius aquilæ, uolantis per medium cœlum, dicentisque uoce magna uæ, uæ, uæ, habitantibus in terra. Auxilium imploratur affectu quodam incredibili, quod Adrianum feciſſe conſtat aduerſus Deſiderium Longobardorum regem, eccleſiam multipliciter affligentem. qui implorata Caroli Francorum regis ope non modo ipſum Deſiderium in acie uicit ſubegitq́;, uerum etiam captiuum ſecum, in Galliam duxit, ibique cum eo Longobardorum imperium defecit tunc extinctumq́; eſt. & deturbatur denique animus, ſi fuerit militaris, quod elegantisſime etiam Virgilius uates ſic cecinit.

Inde ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
Haud mora proſiluere ſuis, ferit æthera clamor

Nauticus, adductis ſpumant fræta uerſa lacertis. & alibi,
Olli per dumos, qua proxima meta uiarum
Armati tendunt, it clamor & agmine facto,
Quadrupedate putrē ſonitu quatit ungula cāpū.
meliusq; alio loco ſic,
At tuba terribilem, ſonitum procul ære canoro
Increpuit, ſequitur clamor, cœlumq; remugit.
ſed misſis his utinam audiat nos Dominus clamantes pariter, miſereatur noſtri, gloriariq; inde etiam posſimus & dicere, Clamauimus & Dominus exaudiuit nos.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE,

LIBER TERTIVS.

QVI CONSTANTES ESSE DIcantur, in quibus rebus conſtantia uirorum fortium uirtus præcipua conſiſtat. Quid ſit, & qualis, Quale ipſius ſymbolum, & quibus caſibus denique neceſſaria ſit rurſum quammaxime. Cap. I.

VATES ille Virgilianus cuius dignitatem maxime admiramur, & quam neglexit Homerus, ſic canens,

Mens immota manet, lacrymæ uoluuntur inanes.

Non aliud quam conſtantiã deſcripſiſſe uidetur. quod ſit firma quædam, animi propoſitio, & perpetua uoluntas, ex quo hinc (noſtri aiũt) conſtanter dicemus. Conſtantisſime aſſeueramus. Conſtantis & recti iudicis eſſe, uultu animi motum non detegere. quodq; nil aliud eſt iuſtitia pariter, quàm conſtans & perpetua uoluntas, ius ſuum unicuiq; tribuens. Imò quod in uno

quoque opere mater eſt Conſtantia, negligentiā uero nouerca. Oportetq́; conſtantem hominem, affectibus non uinci. Quod Achilles, (ut fabulātur Poete) phyſico docuit myſterio, dum à matre ſtigijs undis (pedibus exceptis tamen quibus illum tenuit) immerſus eſt. Cicernuſque Pancratij luctator neſcio quis melius, qui olim, cum ſibi olympiaca iam corona & palma ornato, ac domum amicorum turba ſtipato redeunti, dixiſſet Diogenes, eos non qui ab hominibus, ſed qui animo uerberantur, fortes & conſtantes appellari. neque loris aut pugnis, ſed paupertate, dedecore, ignominia, exilio, & tolerantia, palmam abiecit coronamq́; ſimul, & ſtatim perſuaſus abijt. & (quod maius eſt) linguam ſibi mordendo amputauit. Helena meritrix in tormentis, ne Armodium uel Ariſtogitonem proderet patriæ liberatores quos Hipparcum Tirannum interfeciſſe dicebant. Anaxarchi hiſtoria ſimilis nota eſt. Marij notior in uaricis à medico ſecandis. notisſima Casſii & Attilij, quorum unus oculum amiſit, alter manum in acie, in qua tamen adeo conſtanter perſtiterunt, ut quantum doloris pertulerant tantum gloriæ ſibi comparauerint. Conſtantiam ueteres patientiam etiam uocarunt quæ maxime in defenſione catholicæ fidei eccleſiaſticæ libertatis, & uitiorum reprehenſione conſiſtit, Symbolumq́; eius Cananea, quæ non modo ſe-

mel, ſed bis et ter, ut filia ſua liberaretur, petijt. Vel paralyticus tanto tempore remoratus, cum non haberet qui ipſum in piſcinam mitteretur probaticam, donec poſt annum trigeſimum octauum morbo à Chriſto liberatus eſt. Mira etiam in Phocione, quem nũquam uel riſiſſe, uel fleuiſſe referunt, neque multum mutaſſe, neque illacrymaſſe Antigonum, cum filius in prælio occiſus ei allatus fuiſſet. Iusſiſſe tamen ut non indecenter ſepeliretur, uelut fortis ſtrenuusq; miles. neque fractum denique exhæreditationis paternæ contumelia, ſed erectum potius Themiſtoclem. Conſtantia adhuc Saguntinorum, ne in hoſtium uenirent manus, & qui hac de re ſe ſe in ignem iniecerunt argumentum ſanè præbet tantam in nos eſſe debere, ut prius uita auferatur quàm fides, imò quod non ſolum in promisſione & iureiurando ſeruari debet, uerum etiam in perſecutionibus neceſſaria eſt omnibus uiuere uolentibus in Chriſto. Sed audi Poëte Philoxeni memoratu dignum exemplum. is enim cum Dionyſius tragœdiam parum emundatam compoſuiſſet ipſiq; emendandam tradidiſſet, aſſentationis imperitus à fronte ad calcem (ut aiunt) una litura totam circunduxit, quam ob rem Tyranni ira in latumias Syracuſanas detrudi iuſſus eſt, deinde extractus & adhuc interrogatus, quale ſibi Poema eiuſdem uideretur, confeſtim exclamaſſe fe-

runt πέμψον εἰς τὰς λατομίας. *ideſt mitte me in latumias, Significans ex eo, nullum eſſe carceris cruciatum uiro conſtantius animi, ut ad indignisſimas laudes more aſſentatorum cogeretur.* Et dic amplius quod à conſtantia Agamemnon Argiuorum Rex, (*quia perſeueranter conſtanterq́; ſemper in rebus permanſerat) dictus appellatusq́; eſt, quaſi ualde* μένων, *hoc eſt manens & firmus. animoq́; adeo conſtanti fuiſſe* Timonem Appollonìatem *nicæum, ut pateretur ſe iniuſte ueluti proditorē cruciari potius, quàm ciues exorare. & certe (ut inquit Seneca) primum argumentum compoſite mētis eſt, poſſe conſiſtere & morari ſecum. & inde legimus quod angis quoque, à* Leonida *coniectum in carcerem, & interrogatus num rerum actarum pœniteret (in illum enim multa conuitia dixerat) nequaquam (animo conſtantisſimo) reſpondit.* Nec mi*nori* Pomponius Luculli *miles, multis ſaucius uulneribus, à* Mithridate *captus, qui cum rogaretur pariter, ne curatus eius amicitiam detrectaret, non faciam, (inquit) ſi tu quoque rex,* Romanis *amicus eris.* Verum *hæc miſſa faciamus, nonne conſtantia probatus eſt* Iob? *nonne* Iudæorum *principes,* Petri & Ioannis *conſtantiam uidentes, & maxime cum homines eſſent abſque literis admirabantur? nonne* Dauid *quamuis à fratre reprehenſus, pugnauit & uicit?* Qua de re

dicitur etiam in euangelio, Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Nemo mittens manum ad aratrum, reſpiciensq́; retro, dignus erit regno cœlorum. Stabunt iuſti in magna con ſtantia qua nihil eſt præſtantius, uſque adeo ut uirtute iſta imitari debeamus non uxorem Loth, quia reſpexit poſt tergum, uerſaque eſt in lapidē ſalis, ſed hos omnes quos meminimus imitatione ſanè dignos. Vel Thobiam qui licet plaga per- cuſſus eſſet cæcitatis, in timore tamen domini ma nebat ſemper, ut in oratione poſt ſanctisſimam Aſcenſionem in Cœlum diſcipuli eius donec mi- ſereatur noſtri, nobisq́; ſit ſemper propitius & adiutor.

Quo modo confidentia in ſe ipſum uana eſt, & ſtulta; ſtultior in omnibus generaliter homi- nibus, ſtultisſima in opibus, quodq́; ſola lauda- bilis eſt in deum. Cap. II.

IN *ſe ipſum confidere proprijsque niti uiri- bus, meram inſaniam fore nobis argumento eſt Milo Crotonitates, qui cum, nimia neruorum fiducia quercum arborem in media hiantem par te, diducere uellet brachijs hinc inde conſtri- ctis, & conatu deficiente (is enim eſt qui bouem etiam in olympico certamine anhelitu retento, per ſtadiū portauit, quiq́; ictu pugni interfecit,*

& uorauit integrum uno die) feris præda fuit. Eoq; *magis uerum quãdoquidem hinc euenire ui deamus, quod fiduciam occupat timor, ut de* Alexandro *ferunt pugnam inituro cum* Dario. Imò *(quamuis ſic ad* Atticum *aliquando ſcripſerit* Cicero, *Si ſtas ingredere, ſi ingrederis curre, ſi curris aduola. credibile non eſt, quantum ego in conſilijs, & prudentia tua, quodq; maximum eſt, quantum in amore et fide ponam) quod ſi in ſeipſum uana eſt confidentia, fallax et ſtulta in homine longe magis eſt ſtultior.* Nanq; idem Cicero *à* Bruto *admonitus, ne potẽtiam aleret* Octauij, *ne ue plus æquo puerili fideret ingenio, quod & ſi optimum ſit, ne dicam bonum, fortuna tamẽ mutari poteſt et inſoleſcere, conſenſu ipſius proſcriptus eſt.* Cumq; Pompeius *à* Cæſare *uictus in* Pharſalicis *fuiſſet campis, et ad* Ptolemæum *põti regẽ cõfugiſſet, à miniſtris eius ipſiusq; iuſſu occiſus eſt, qui* Cæſaris *fortunam potius, quàm amici ſequi uoluit calamitatem. ex quo factum eſt iã tritũ ſermone prouerbium,* Maledictum *hominẽ eſſe, qui confidit in homine, quoniam nec in eo, nec in filijs eius, nec in principibus eſt ſalus. et ſi quis rurſum opibus gaudeat, inq; diuitijs confidat, quas tamen neruos rerum eſſe dicebat* Bion Boriſtenites, *exterminabitur et ad inferos deſcen det. maxime quia uitiorum magis quàm uirtutis ſunt miniſtræ. inſolentiam improbitatemq; pariẽ*

tes, & quibus homines (quod peius eſt) maximis obruunt moleſtijs, ut loco ſuo dictum fuit ſatis. non igitur ſtultisſima hæc etiam erit confidẽtia? Quæ nec in diuturnitate uitæ posſit laudãda eſt, ſed deploranda potius ipſius uitæ breuitas, iuxta uirgilianum illud,

Stat ſua cuiq; dies, breue et irreparabile tempus.

Nil aliud quàm tenuis fumi uapor, perpetuus ad mortem curſus, diuerſorium non domus, uia non patria, non cubiculum ſed palæſtra, peregrinatio quædam, mercato ſimilis, diecula, punctus, & (ut Pyndarus dicebat) umbra denique et ſomnus. Imò quod aliqui in diuturnitate uitæ, infelicitatem eſſe putabant.

Quod facinus dignum tam longo admiſerit æuo.

Cecinitq; rurſũ et nõ ab re uates ille Mãtuanus,

Aut tu magne pater diuum miſerere tuoq;
Inuiſum hoc detrude caput ſub tartara telo;
Quãdo aliter nequeo crudelem abrũpere uitã.

Diuitiq; dicenti, anima mea multa habes bona in annos plurimos poſita requieſce. comede, bibe, & epulare, reſponſum eſt, ſtulte hac nocte repetent à te animam tuam, quæ paraſti cuius erunt? In deo igitur ſolum confidendum eſt, hæcq; uera hominis confidentia. Et Beati omnes qui confidunt in eo. quia confidens, ſicut mons ſion non commouebitur in æternum. eritq; dominus fiducia eius, ut Abrahæ, qui credidit deo, et ad iuſti-

etiam hoc idem reputatum eſt ei.cum maxime dixerit, Confidite quia ego ſum nolite timere.

De continentia, quid ſit, unde dicatur, qui continentes, & que maior denique fuerit, uel Scipionis, uel Alexandri Macedoniæ regis. Cap. III.

MAgna uirtus eſt continentia, temperantiæ ſpecies, quæ uoluptatibus reſiſtit, et ratione gubernatur, forte à contineo etiam dicta. quaſi inuitum & repugnantem teneat. & breuiter nil aliud quàm malorum cupiditatum laudabilis coercio quædam, in Fabricio tanta Po.Ro. principe, ut ſamnitum legati, eius domum ingreſſi, multa ad ſplendorem, & maieſtatem tanti uiri deeſſe uidentes; ei etiam uelut optime merito (poſt redditam enim pacem illis, amanter & beneuole ſecum egerat, uniuerſosq; in clientelam habebat) domo magnum auri pondus obtuliſſent, id repudiauerit ultro, & manus prius ab auribus ad oculos, et infra deinceps ad nares, & ad os, et ad gutur atque inde porrò ad uentrẽ deducens, legatis ita reſponderit, dum his omnibus mẽbris, quæ attigi obſiſtere atque imperare potero, nunquam eſt mihi quicquam defuturum. Propterea aurum quod mihi rurſum nulli uſui eſt, à uobis quibus uſui eſſe ſcio, non accipio, eoſq; Samniũ

remiſit.ratus, locupletem illum eſſe, non qui multa poſſidet,ſed qui cupit modica. Nec *minor in* M.*Curio,qui Samnitum legatis pariter,paupertatẽ eius admirantibus (agreſti etenim in ſcamno ſedentem,foco ac ligneo catino cenantem inuenerant.& (ut* Plutarch.*ait)ſe rapis igne toſtis ueſcentem)et adhuc magnum auri pondus hac de re afferentibus ut* Fabricio,*reſpondit.ſe malle locupletibus imperare quàm locupletẽ fieri. nec acie inſuper uinci poſſe, nec pecunia corrumpi.* Imò *quod cũ* Italia Pyrrhum *expuliſſet* Epyrotarum *regem,nihil omnino ex præda regia attigiſſe feruntur,qua tamen exercitum urbemq; ditauerat.* Maxima *autem in* Paulo Æmilio, *qui* Perſe *rege deuicto, penates ſuos nulla ex parte locupletiores fecit.præclare ſecum actum exiſtimans,quod ex illa uictoria,alij pecuniam opes & diuitias, ipſe uero animi moderationem, continentiam, ac gloriam occupaſſet.*Sed *aliud ſcitu dignum audi. in libris enim (ut noſtri referunt) collationum* Caſſiani *reperitur, quod cum aſpiciens neſcio quis,*Socratem *eiq; dicens,*Oculi *tui corruptores ſunt puellarum,& uellent diſcipuli eius commentum hoc diluere.reſpondit,quieſcite ſodales, eſto enim quod ita ſit,contineo tamen.* Tanto *laudabilior in eo,inq;* Paulo Æmilio,Curio & Fabricio,*quanto grauior atque execrabilior incontinentia multorum: quos forte ille qui dixit,* Pa-

tere & abſtine, quaſi prouerbiali ſchemate compeſcuit. aut monuit ſaltem, continenter uiuendũ eſſe. ne alias qui ſecus egerint, comparentur (ut inquit pſal.) iumentis inſipientibus, & ſimiles efficiantur illis. Nec *ſibi aliud inſuper, hebræorum circunciſio uoluit, quam* Abraam *dei iuſſu inſtituit, niſi continentiam ſignificare, ut peccatum originis, originis membro expiaretur, & reſtincto libidinis fomite, fortius reſiſterẽt, uiuerentq; continentius. & ſi dixerimus fuſius, quod quædam continentia oris, ſit, quædam cordis, & quædam denique operis, non errabimus. ex quo etiam his modis peccamus, nec aliud eſt incontinentia quàm peccatum quoddam, & fomes malarum cupiditatum. à quibus facile abſtinebimus, ſi ſaluberrimo* Chilonis *documento utemur, ſic exclamantis,* ἐγκράτειαν ἄσκει, *id eſt continentiam exerce.* Oris *igitur erit ne uana loquamur, unde græcia non modo uerboſa & loquax, uerum etiã incontinens dici debuit, admonuitq; alibi* Eſaias *reges hac de re, ut os ſuũ continerẽt.* Cordis *uero ne ſtulta cogitemus pariter placentes deo, & cor noſtrum in ſanctitate congregantes. & poſtremo operis, quia niſi manus habuerimus etiam abſtinentes, nec opere continentes dici poterimus.* Vnde Epaminundas *rurſum, cum à* Diomedonte Ciziceno, *rogatu* Artoxerſis, *quem pecunia corrumpendum mandauerat, tentatus fuiſſet,*

nihil(inquit)pecunia opus eſt, ſi quæ Thebanis utilia ſunt uelit rex,gratis facere ſum paratus, ſi autem contraria,non habet auri atque argenti ſatis,nanque orbis terrarum diuitias uolo pro patriæ charitate.Fabricio comparandus facile, uel Curio,continentia quorum(ut paulo ante diximus)prædicabilis fuit,& non modo inter ciues ſuos ſpectata,uerum etiam hoſtibus ut hæc, ſtupori,quam maximo.Feruntq́; ab ebrietate,& gulæ improbitate , ac cibis intempeſtiuis Ageſilaum Lacedæmonium, non ſecus quàm ab ingenti flagitio abſtinuiſſe.Imò cum in conuiuijs maiores accepiſſet epulas,eas militibus diſtribuebat. nec priuata in domo cum muliere,ſed uel in templo,uel in propatulo, ubi continentiæ ſuæ teſtes habiturus eſſet,loquit unquam uoluit. & ſi quis eſt qui hiſce facile adijci poſſit etiam,eſt inquam Cyrus maximus ille Perſarum rex,qui Pantheam intueri noluit,& cum ei Araſpes dixiſſet,forma dignam eſſe,quam contemplaretur, ob hoc ipſum (inquit)eſt ab ea longe magis abſtinendum. Idēq́; perhibent Alexandrum feciſſe,qui nec Darij regis uxorem in bello captam tametſi forma elegantisſimam pariter,ad ſe perduci paſſus eſt.Sed num forte continentior fuerit Scipio,qui captiuam uirginem non minus egregiam, imò adulto flore pulcherrimam,paterna pietate ſeruauit, inuiolatamq; parentibus reddidit,dijudicabis tu.ue

ipſius aliorumq; exemplo poſtea, in deliciarum meditullio collocatus illarum blandimenta non amplectaris, à uoluptatibus abſtineas, & non alia uirtute quàm continentia, & temperamtia glorieris.

De *conſuetudine, quòd ſit iuriſdictionum origo, quòd æquipolleat ueritati, quòd pro lege habeatur, quomodo probetur, quid ſit deſſuetudo ad idē aſſuetudoq;, & an ab uſu, ſtylo, & ſtatuto differat. aliaq; multo plura ad propoſitum conſuetudinis facientia, cum ſcitu tum memoratu etiam digna.* Cap. IIII.

NOn ab re dicit alibi Iuriſcon. Paulus, *minime mutanda eſſe quæ certam interpretationem habuerunt ſemper, ſentiens uim conſuetudinis maximam, nec longæui uſus auctoritatem (quod aiunt alij) uilem, & cuſtodiendam fore denique in eodem genere controuerſiarum, prout ipſius ratio ſuaſerit, quoniam omnium iuriſdictionum origo eſt, forma ac fundamentum præcipuum.* Imò *quod æquipollet ueritati, & priuilegio. & quod ipſa approbat habetur pro lege.* Con*ſuetudo eſt maioris auctoritatis, quàm præſcriptio, quia potens dicitur ad dominij translationē ſine apprehenſione poſſeſſionis, in præſcriptione haud uerū. oportetq; duo habeat extrema,*

quod rationabilis ſit, ſufficitq; reprobatam nõ eſſe, & quod ſit rurſum præſcripta. Et *quo ad iſtud mores diuturni ſufficiunt, nec eſt præſcriptio proprie, ſed forma introducta ex populi cõſenſu, alias ſcientia eorũ quo leduntur, præſcriptione conſuetudinis eſſet neceſſaria, quia uſurpatio iuris alieni eſt.* Mitto *quod longa ſit, inueterata, perpetua, uetus, uetuſta, antiqua, & uetuſtisſima, & quod quandoq; conſuetudo ſimpliciter appelletur. & ſcitu dignum uidetur, quod ortum habuerit à* Cain. Et *quoniam facti eſt, probari debet, cum facta non præſumantur. & ſi fuerit contrahentium ſeruatur primo, poſtea regionum. attenditurq; etiã in pactionibus, ob hoc, & in hæreditatibus. eſtq; fauorabilis multum, cũ non requiratur in ea titulus, & ſi probatur (ut dixi cum ſit neceſſarium) duo teſtes ſufficiunt.* Tamen *difficile eſt ex quo tria probanda ſunt,* Vſus *populi, uſus frequentiæ, & temporis diuturnitas. & ſi probata fuerint adeo efficax eſt, ut nullum ſit ius poſitiuum, quod ea tolli non posſit & ualeat, niſi irrationabilis fuerit, quoniam tunc ſecus.* Adijcientes *tamen in dubio præſumendum, quod rationabilis ſit ex curſu maxime tanti temporis cuius initij memoria in contrarium non exiſtat. & licet dixerim, in pactionibus maxime ſeruandam eſſe, uelim quoque ſcias, quod imò ipſamet pactum quoddam dici poteſt.*

& ſtricti iuris ut pactum, nec extendenda hac ratione, ab uſu, ſtylo. & ſtatuto, longo interuallo differens. ab uſu tanquam cauſa ab effectu, cum uſus ſit factum, conſuetudo ius. à ſtylo uero cum in ordinandis actis iudiciarijs maxime conſiſtat: & à ſtatuto denique, quandoquidē expreſſo fiat conſenſu, ipſa autē tacito introducatur. eſt etiam aſſuetudo quaſi actus aſſiduus dicta. Vnde conſuetudo, & deſuetudo etiā deriuātur, additis ſolum monoſyllabis con, & de conſuetudoq́; quaſi communis aſſuetudo, deſuetudo autem quaſi nulla aſſuetudo, & ſic illa factum uſumque reſpicit; & affirmat, iſta uero contrarium non factum ſcilicet, & non uſum, negans amplius aliquid eſſe in rerum natura, & ad propoſitum dici etiam ſolet, quod omne ius quo mundus regitur, in duas diuiditur partes. quarum maxima eſt conſuetudo, cui ut pote matri reuerentia etiam debeatur. quodq́; conſuetudinis ſpecies multæ ſunt generaliſsima ſcilicet inter omnes catholicos uerſus orientem orantes, Generalis quam tota prouincia ſeruat. Specialis uero quæ ſit in ciuitate, & ſpecialiſsima patris familias denique. Quæ duo tamē dicta, paulo ante fuere, quod probari debet, quodq́; non extenditur, declarationem patiuntur, niſi notoria ſit in loco, & uulgi. ut illa obtenta alias in curia Bulgari, quoniam primo caſu probatio neceſſaria non erit, extendeturq́; ſecun

do. Imò quod repugnat fauorabilem eſſe (ut adhuc ſuperius declarauimus) quodq; non extendatur, fauores enim extendi, odia autem reſtringi conuenit, (ut ſe habet iuris regula) ſed iſtud uerum puto nõ communiter ſed quia titulum non deſiderat, ibidemq; tactum fuſius extitit. & ad idem dicemus inſuper atque ex alijs, maximam eſſe conſuetudinis uim, ut apud nationes quaſdam pium fuerit, parentem grandæuum plagis obrutum in foueam depellere, ſanctum carnibus affinium & amicorum ueſci, pulchrum uirginem in fano Veneris proſtrare. A cõſuetudine olim, non aliunde, ortum habuere ſæuitia Syllæ, Clodij libido, et Catilinæ ſeditio, & hac de re Lycurgus Spartanorum legiſlator, geminos ex ijſdem parentibus catulos ſuſcipiens, haud ſimilibus educauit moribus, alterum enim helluonem, alterum uenationibus idoneum reddidit, cumque ollam in medio, leporemq; poſuiſſet, alter in ollam, alter in leporem magno erupit impetu. Lacædemonijs dicens, uidete, quàm ingens momentum ſit conſuetudo. Imò quod omne conſuetum (ex philoſophi ſententia) delectabile eſt & innatum. difficileq; etiam conſuetudini reſiſtere. cum poſſibile ſit tamen, facilius conſuetudinem quàm naturam ſuperabimus. In ceteris pro abſoluto habentes, quod ab aſſuetis (ut eſt in prouerbio) non fiat paſſio, & ſi fit non tanta fiat. nubis enim

(ut Æſopus Phrygius ait) leonem nunquam uiſum horruit, at cum poſtea ſecum uerſata familiariter fuiſſet, non aliud quàm manſuetum animal eſſe cognouit. Nec admiratus, quod aſina loqueretur Balaam, uidere dæmones aſſuetus pariter, in belluarum ſpecie ſecum loquentes. Diutinaq́; efficit ut labores feramus leuius quemadmodum callus, qui factus tempore ſenſum adimit. Conſuetusq́; Milo ille Crotoniates (hiſtoria nota eſt) uitulum ferre, tandem geſtauit taurum, quodq́; primo taurus aratra detrectat, poſt uenit aſſueto (ut poeta cecinit) mollis ad arua iugo.

Quomodo in pace omnia florent, in bello uero collabuntur, Quotuplex ſit, quo iure inuentum, quæ præmia bellum promittat, quibus prohibitum permiſſumq́; ſit, et quæ requirantur denique ut iuſtum dici posſit. Cap. V.

QVoniam in pace omnia florent, omnia uero in bello collabuntur, quis non dixerit bellum maxime eſſe deteſtandum? orbatur enim infantia patribus bello, uxores maritis ſpoliantur, uaſtantur agri, deſeruntur uici, delubra exuruntur, ſubuertuntur oppida, diripiuntur domus, & optimi cuiusq; fortunæ denique ad ſceleratisſimos traducuntur latrones, gliſcunt rurſum adulteria, dediſcunt pudorem

mulieres, uirgines ſtuprantur paſsim, iuuentus per ſe procliuis in uitia, ſublato rerum ordine, obiecta impunitate, conſueſcit nihil habere penſi, ac præceps in omne genus facinorum ferri, quod etiam cupiditate triumphandi, & ob coronam lauream (folia infructuoſa) non facile ſuſcipi debet. Imò *quod nec laudabile eſt (ut dicebat* Auguſtus*) ſic præcipitare ſecuritatem ciuium, per euentus incertos, eamq; in diſcrimen ponere, et non aliter quàm hamo aureo expiſcari tandem, cuius amisſi detrimentum nullo captura lucro penſari poteſt.* Verum *eſt quod ex belli ſtudijs maior eſt gloria, imperijq; propagatio, quæ duo ſunt eiuſdem præmia, & præcipua quidem, ſed ex pacis artibus fama melior, nullumq; bellum ineundum (ut diximus) niſi quod neceſſitas induxerit.* Ex *quo fit (ut noſtri doceant) triplex eſſe, ad defenſionem, iſtudq; omni iure permitti, nam quod quiſque (inquit* Iuriſcon. Flo*rent.) ob tutelam ſui corporis fecerit iure feciſſe exiſtimatur, ad offenſionem uero nullo. & ad gloriam regnandi cauſa: quod à principio prohibetur, poſtea ratione permittitur hiſq; mirũ non eſſe, ſi homines nõ modo pace, uerũ etiam treugua & bello regulantur, & treugua dixi, quia pax eſt perpetua, treugua uero temporalis, bellũ rurſus iuſtũ iniuſtum ue à iure gẽtium ortũ habet, in dubioq; potius, iniuſtũ quàm iuſtũ præ-*

ſumere, nec alio quã dicto iure, acquiſitio in bello facta eſſe dicetur, naturalis ſcilicet eo iure gentium, & ſi ab aliquo exercendum eſt, à ciuibus exerceri debet, ut agri à ſeruis colendi. Quam ob rem Cleomenes Anaxãdridæ filius Homerum ciuium poetam, Helotum uero hoc eſt ſeruorum Heſiodum dicere ſolebat, quod ille, quomodo bellum gerendum ſit, iſte uero agrorum culturam docuiſſet. Clericis tamen prohibitũ Moyſis exemplo, ob ſanguinis effuſionem, qui ſuum effundi potius pati debent quàm effundere alienum, & ut à diuinis officijs quoque non auertantur, dicente etiam domino, quia uir ſanguinis es, templum mihi non ædificabis. & ut ſuſcipi merito posſit, iuſtumq; ſit quinque alias requiruntur, perſona, res, cauſa, animus, & auctoritas. perſona quæ prohibita non ſit, & iure quidem (ut dictum fuit) admitti posſit, agaturque uel de re aliqua repetenda, uel de patriæ defenſione, neceſſitas in cauſa ſit, nõ odio ſed caritate fiat, et iuſſu deniq; principis ſuſcipiatur. Quicquid ſit tamẽ, uel iuſtũ uel iniuſtum dicamus, & garriant aliqui, bellicam artem, rebus omnibus potiorem eſſe, imò quod implateis urbium rixantur aniculæ, in fornicibus leones, cauſidici in roſtris, philoſophi in ſcholis, & in tabernis ebrij, mihi nihilominus, ut eo modo quo cepimus finiamus, execrabilis quædam res imò peſtis bellum eſſe ui

detur. Calamitoſa ſimul & deſperata, laboris, criminũ, & uiolentiæ plena, uſque adeo ut amens ſit prorſus qui bellum potius optat quàm pacem, inexpertis dulce, & maximum hominis malum, malorum omnium lerna, & commune multorum homicidium, ac latrocinium, & ſi quid peius ſceleratius ue dici poteſt.

Quod pax bello ſit potior, quodq; in ea publica uerſatur utilitas, & cum ſit uinculum charitatis, quod humanum genus pacem maxime appetit, De ſymbolo ipſius quale ſit, & quod pro bono pacis denique à iuris communis diſpoſitione recedere licet. Cap. VI.

QVis pacem bello potiorem eſſe non dixerit, cum uideamus tunc callere artes, honeſta florere ſtudia, uigere leges, religionem augeri, creſcere opes, & pollere denique morum diſciplinam, bello uero collabi omnia, defluere, commiſceri, & (ut paulo ante diximus) ſimul cum omni calamitatum genere, nullam non luem morum ingruere? Imò quod pacis tempore filij ſæpe pellunt parentes, belli uero contra parentes liberos, præſertim cum in ea publica uerſetur utilitas. Ius priuati etiam hac de re (ut noſtri dicunt) posſit libere auferri, uinculumq; ſit charitatis, & ad cuius obſeruantiam

tenetur ex præcepto quiſque, & plus quod ubi ipſa pax eſt, ibi eſt trinitas ex tribus compoſita literis, non aliud quàm trinitatem ſignificantibus. Patrem *ſcilicet*, Filium, *&* Spiritum *ſanctum.* Inde Mercurius Pacificus, *quia oratione miteſcet irritatus, & pactum à pactione dictum, unde poſtea nomen pacis etiam appellatur.* Di*uina alias pro ut eſt peccatoris ad deum reconciliatio per pœnitentiam. & humana, hæcq; generalis populorum, ſpecialis hominum, & mixta quoque principum ac ſubditorum.* Quam *maxime imperator* Martianus *coluit, illud ſæpiſſime quaſi prouerbij loco uſurpans, dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus: donec licet in pace uiuere, non decet principem arma ſumere ſimiliaq; uerba.* Pacis *ſymbolum caduceus, uel (quod in* A. Vitellij *cernitur numiſmate) mulier capite compto, palliata, dextra ſpicam & papauer, leua copiæ cornu geſtans, colligendo ſinus pomis profluentibus. & quandoque etiam aliter, laua adhuc copiæ cornu geſtans, dextræ uero bellica exurens arma, ut non abſimile* An*tonini* Pij *demonſtrat.* Pax *honeſta res eſt & ſalutifera, è ciuitate non tollenda. quoniam ſic ſalutem, ocium ac tranquillitatem tolleremus. certa, melior, tutiorq; quàm ſperata uictoria, ut ad* Scipionem Hannibal *dicebat, nonnunquam etiam emenda, quippe quia omnia communia facit bo-*

tia, Diuorum ſimul & hominum uoce laudata, fons, parens altrix, ampliatrix, tutatrix rerum omnium, quas uel cœlum habet uel terra, lege obliuionis rurſum confirmanda, Traſibuli exemplo ſi fuerit reconciliata, probandaq́; ore, corde, & opere. Nanque ſi Cain pacem habuiſſet, non irruiſſet in fratrem. Si Abſalon non impugnaſſet patrem, nec fugiſſet ad laqueum Iudas. Dicunt noſtri etiam ad materiã, quod nihil aliud eſt, quàm rancoris ſeu iniuriæ remiſſio quædam & tranquilla libertas. Quodq́; facere pacem, eſt quoddam quaſi tranſigere, & quod denique uim habet ſimplicis indulgentiæ, & reſtitutionis in integrum, & quod tollit effectus omnes, qui prius à bello ortum habuiſſent. Nimirum igitur ſi pacem humanum genus appetit, ſique primogenitura hacde re ex cõſuetudine ualet, & ſi denique felices ſunt, qui in pace ſomnum capiunt, quos non tubarum clangor, ſed gallorum excitat cantus, & forte hoc ipſum Porſenam Thuſcorum rex proſpiciens, cum Romano egit populo, ne ferro quiſquam, niſi in colendis agris uteretur. Iusſitq́; Neptuno & Minerua de Athenis nomine imponendo disſidentibus, Iuppiter eorum arbiter, terram tridente haſtaq́; percuti, & cum percuſſa oliuam hinc, inde uero equum peperiſſet, dulcisſimumq́; pacis ſignum oliuæ uictrix Minerua ex hoc cognita eſt, quæ urbi no-

men imponeret. & breuiter ita dei conſilio inſtituta, dicentis, Pax uobis, Pacem meam do uobis, Pacem meã relinquo uobis,*& ſimile, ut nil aliud à nobis optandum ſit.* Imò *& rurſum quod pro bono pacis, à iuris communis diſpoſitione licite recedimus, multaque eo prætextu permiſſa ſunt, quæ non permitterentur aliàs. & quod iudex ad pacem etiam ſubditos compellit & arctat.*

De *beneficio latisſime interpreatndo, quomodo indultum à iure, nemini auferendum eſt, imò præclarum quiddam, ſi in hominem collocetur. et denuo quoque licet in ingratum ſemel inciderimus, & quod liberum eſſe debet, atque etiám cum honeſtate coniunctum.* Cap. VII.

B*Eneficium maxime principis latisſime (ut noſtri dicunt) interpretandũ eſt, ita quod clauſulæ uniuerſales, includunt maiora expreſſis, ſiq; feudum alicui concedat, & quibuſcunq; ſuis hæredibus, indubitatum eſt, hæredes etiã extraneos comprehendi, qui alias non comprehenderentur. & legatarios, longe magis, quandoquidem hæredes ſaltim largo quodam modo, dicantur. & licet in concesſione poteſtatis legitimandi non includatur, infantes legitimari poſſe, ſecus eſt tamen ſi poteſtas data ſit legitimandi ſpurios, inceſtuoſos, adulterinos quoſcunq; natos ex illegi*

timo coitu, ratione ſupra dicta. Adijcientes non ab re eſſe ſi mandata iuriſdictione ueniunt etiam ea quæ ſunt maioris iuriſdictionis dummodo ſint. eiuſdem ſpeciei. niſi in cõceſſione dictum ſeu adiectum ſit uerbum omnis, uel omnimode, & præſertim ex liberalitate facta. Et cum feudi mentionem fecerimus paulo ante, ſciendum eſt, ipſum quoque beneficium appellari, inq; eo latiſſimam interpretationem fieri pariter debere. Imò latiorem quàm in ultimis uoluntatibus. & ſi conceſſa ſit libertas, ſeu immunitas hominibus alicuius uillæ agrorum ſuorum, quod ad futura etiã extenderetur, quodq; in ea Iudæi ſimiliter comprehendentur. Et in hoc à priuilegijs differre. quorum natura huiuſmodi eſt, ut ab ipſorum uerbis haud recedamus. Imò quod priuilegio comparabitur, & à ſui natura propria recedet, ſi ſuper re ambitioſa concedi à principe contingat. et perſonalis dicetur ſi uerborum forma, rei natura & conceſſionis, hoc ipſum indicarit, alias non, ſed in dubio realis iudicabitur. & latiſſime rurſum interpretari debet, maxime ex ipſius indulgentiæ natura. et ex natura motus proprij. & iuuari amplius non decipi. Et quoniam ſcio me ad plenum dixiſſe alias in collectane. matutinis, quãtum ad iſtud: tranſeo. Et ſi à iure indultum ſit, nemini auferri debet ut regula dictat: quæ in conceſſione liberali pariter intellgi debet, tametſi

indulgentia ſtricte alibi capiatur. Niſi *auferatur ex cauſa, puta in ſtatuto quod matri legitimã auferre poteſt, ut bona conſeruentur in familia, & ſic agnationis fauore.* Et ne *ſit in poteſtate partium adhuc, beneficium altero à lege conceſſum, auferre.* In *relaxatione iuramenti proditum eſt, fieri poſſe parte etiam non citata. uel ſi eſſemus in bo.po.concedendis, ius non tribuentibus, nec graue præiudicium afferentibus, quia ſi aliter ius tribuerent præiudiciumq; afferrent non leue, ſecus.* A' *beneficio inſuper beneficentia prouenit qua utimur pecunijs cum egenos iuuamus ut inopia liberentur.* Corporibus *ſi ab iniuria cedentiumq; petulantia homines uindicemus. diſciplinis uero ignaros penitus erudiendo. & uerbis denique cum iudicium ingreſſi pro amico dicimus.* Duoq; *præclara à dijs immortalibus, hominibus data fuiſſe aiebat* Pythagoras, *uera dicere ſcilicet & beneficia conferre.* Et Iſo*crates ad* Demonicum *ſic. bonis benefacito. præclarus enim theſaurus eſt, ſi beneficium in uirum contuleris. quod liberum eſſe debet & cum honeſtate coniunctum.* Imò *(ut dictum eſt) quod ſi ſemel inciderimus in hominem ingratum, non ideo minus in eum collocandum eſt, ut poſt malam etiam ſegetem ſerendum, utq; mare tentandum etiam poſt naufragium, quia nec fœnerator, à foro fugat coactor. hinc prouerbium, homo homini*

*deus,nullumq́; officium iuſtius , ac magis neceſſarium,quàm beneficia conferre, & habere gratiam optime meritis.uoxq́; iſta non ſolum eruditorum eſt,ſed etiam naturæ, quæ mutuis officijs uoluit,homines inter ſe deuinctos eſſe.uſque adeo ut antiquitas finxerit, præſertim Ægyptij(quod plus eſt)ex beneficijs quoque deos,brutas animantes,canes,boues & feles . Græci uero rerum utilium inuentores,*Mineruam *oleæ*,Bacchum *uini, & Æſculapiū medicinæ.*Et *certe uera ſinceraq́; nobilitas eſt, quæ poteſtatem ſuam in hominibus, non lædendis & opprimendis,ſed iuuādis potius, oſtendit . quod ſane nobis ethnici inde etiam* Iouem *ac* Iunonem *à iuuando appellantes, oſtenderunt,putantesq́; inferorum deos eſſe,qui ſoli nocerent.* Demus *operam igitur intentiq́; ſimus(ut noſtri dicunt)omnibus prodeſſe,nulli uero nocere.*Imò *quod naturæ obedientes aliud facere nec poſſumus,nec debemus.*

De *canum ſolertia,quomodo memoria maxima polleant,quod cuſtodes noſtri ſunt ac ſocij,et quod ratio denique nec non pietatis notæ quædā eis ineſſe creduntur.* *Cap.* VIII.

L*Icet canis uerbum,æquiuocum ſit. deq́; cœleſti ſydere intelligi posſit.de marino, & latrabili, attamen hoc ultimo intelligentes mo*

do, & ſanè quidē ut intelligi debet, dicimus quod Hylactor inde etiam appellatus eſt. quodq; grece. υλακτέω non aliud quàm latro ſonat, & ſic à latratu. Villaticus alias, Paſtoralis, & Venaticus. Villaticus qui cuſtodit uillam, qui pecora uero foris obſeruat paſtoralis. et uenaticus denique qui uenandi cauſa comparatur, quos ueteres uertagos quoque nuncupaſſe haud dubitamus, ſi poetæ ſic dicenti credimus,

Non tibi ſed domino uenatur uertagus acer,
Illæſum leporem, qui tibi dente feret.

Sunt etiam Catelli meliti in mulierum delicijs, quibus (ut ferunt) Coryra nigra maxime eſt clara, quam Curſulam olim uocabant. ſed dictu mirũ audi, quod Tartarorum lingua idem ſonat Canis, quod Imperator. hebræorum uero, Cheleb appellatur, ideſt totus Cor. nec ab re ſi tam audax eſt & ferox, ſiq; olim canes Templa cuſtodiebãt, ut caſte adeuntes admitterent facile, ſacrilegos uero latratu, ac dentium ictibus ab ipſorum ingreſſibus arcerent penitus. Imò quod aduerſus latrones, fures & inſidiatores pugnant acriter, ædes cuſtodiunt, tuentur, & latentium, latratu ſæpe efficiunt quoque ut pericula euadamus quã maxima. Sic Ceſellius uindex iuriſconſultus noſter, ætate ſua clarus qui cum è ſuburbano rediret, eſſetq; ueſpere ab inimicis aggreſſus, canis ſui beneficio euaſit. tandiu enim pugnauit, donec

ſerui accurrentes ſibi auxilium ferrent. Et *cum parum fidei præſtaret hominibus pariter* Maſi*niſſa rex, canum cuſtodiæ ſe ſe expoſuit. eorumq́; ſignis & nutibus, plerunq; aduerſarios uenientes longe ante didicit, & nonnunquam etiam uictor euaſit.* Canis Cerberus *nomine, qui ingens aliàs (ut poeta inquit) latratu regna trifauci, perſonat aduerſo, recubans immanis in antro,* Piri*thoum lacerauit. & niſi* Hercules *fuiſſet, animam efflaſſet protinus, ex quo (aiunt etiam) ea de re ab inferis reuocatum, pluraq́; huiuſmodi ſunt breuitatis cauſa nō aliter referēda. haud omittentes tamen, ferocisſimos omniū eſſe, ſi ex tigribus aut lupis, concepti inde naſcantur. quodq́; ij lyciſci dicuntur, pili durisſimi, & præter ceteros omnes, latrantes quàm maxime, unde* Maro,

Non *ego te uidi* Damonis *pesſime* Caprum,
Excipere *inſidijs multum latrante lyciſca?*

Sunt *etiam canes quibus ſolertia et & ſagacitas ineſt admodum peculiaris, inquirentes naribus (ut ille ait) ueſtigia ſumma ferarum.* Imò *quod in eis ratio, & pietatis notæ quædam ineſſe creduntur. quodq́;* Africano *(is enim* Iouis *filius creditus eſt) non allatrarunt, intempeſta nocte in* Capitolium *eunti.* Memoria *pollent & quam maxima, nulliq́; animalium præter hominem maior, nam itinera quamuis longa & inuia recordantur, & longe magis iniurias tametſi ueteres, &*

antiquas

antiquas;eaſq; obliuiſcuntur nunquam. et oppor tune etiam cum latratu tum dentibus ſi commode poſſunt uehementer uindicant.nec ignota Vlysſis hiſtoria eſt ad idem,qui cũ à Troiano bello poſt diutinam peregrinationem in patriam reuerſus eſſet, non ab alio quàm à catulo, quem diſcedens apud Eumenem ſubulcum reliquerat cognitus exceptusq; eſt.Canis rurſum hominis ſocius eſt, uirorumq; fortium ſymbolum,quo maxime Anubis Iſidis filius & Ægyptiorum deus uſus eſt. vehiculo alligatus inſuper fatum deſignat. quia uolentem ducit, nolentem uero trahit.Et mirum uidetur ſi templa cuſtodiebant olim (ut paulo ante diximus)cur etiam in Herculis ædem, quæ Romæ erat in foro Boario, non admitterentur. ni forte id eſſe reſpondeamus, quia in aditu clauam reliquiſſe ferunt, cuius olfatu non ſolum non ingrediebantur,ſed quam primum fugiebant inde. Et præter hæc etiam, quia omnino ferox eſt,(ut diximus)audax & immundum animal canis, abominabileq; ſacerdotibus, qui purisſimũ colunt deum, ab omnibus templis arceri debet, Herculis exemplo,qui non ab re quoque parricidæ iungitur,quia parentem, quem ueluti deum, colere debebat,manibus ſacrilegis, impijs & nefarijs uiolat. hac uoce nonnũquam Apollinis oraculo,urbs condita eſt.eluſitq; militum auaritiam Aurelianus Cæſar.Et quãdoq; nos etiam ſymbolo

in obtrectatores uſi ſumus latrantem canem pingentes lucente luna, literis circũquaq; inſcriptis rẽ ipſam ſignificantibus, hoc eſt, luna lucet, (quod eſt etiam in prouerbio) canis latrat. cum quo ſinio, ut hoc ipſum firmius memoriæ teneas, teq; pariter aduerſus tuos uelut clypeo tutisſimo munias. Ideo *& ſi quid inſuper addendum eſt, corollarij loco, addi poteſt, quod* Lacones Marti *catulum imolabant,* Romani *canem in* Lupercalibus, *inq; expiationibus ad placandum caniculæ ſydus frugibus inimicum.*

De lupo multa, cuius ſymbolum ſit, prouerbia ex ipſius nomine deſumpta, quod nullũ animal coſit damnoſius, deq; commodis etiam quæ ex ipſo conſequi poſſumus. Cap. IX.

SOlebat dicere *humanorum rerum æſtimator ille* Diogenes, *lupo nullum eſſe animal peius aut damnoſius, & uere quidem (ut ipſa experientia docet magiſtra rerum efficax) ita eſt, & ſi omnium ueracisſimum dixero, non errabo.* Vnde *meretrix inde etiam lupa uocitata eſt, à uoracitate crumenæ & diuitiarum, cellulæque meretricum lupanaria à diabolo inſtituta, qui etiam lupus dictus eſt, quaſi leo potens pedibus anterioribus, & tyrannus, non baſileus, non rex, non paſtor aut princeps, ſed lupus pa-*

riter, ideſt uſurpator. Marti *rixarum belliq́; deo (ut fabulantur poetæ) hac de re quoque conſecratus.* Auari *adhuc ſymbolum, qui (ut ſuo loco diximus ſatis) nec deum timet, nec hominem ueretur, nec parcit patri, nec amico fidem ſeruat, quiq́; inſatiabili lucro (ut lupus) inhians ſemper, nunquam quieſcit. & forte quia deorum religionisq́; contemptores erant,* Demarcus Parrhaſius *et* Lycaon Archadiæ *reges in lupos ſunt conuerſi.* Lupi, Guelphi *olim à parte* Romani *põtificis factio* Gibellinis *contraria. anno. 1240. ſub* Friderico Imperatore, *unà cum populorum excidijs, ac internecione & urbium ruinis exorta. & utinam hæc mali labes in nepotum animis non eſſet uſque in præſentem diem propagata. ſed quod ad rem noſtram attinet, ouibus hic maxime inſidiatur, uſque adeo ut prouerbialiter hinc multa dicamus.* Præſertim *lupo ouis commiſſa eſt, ſi tutor pupilli bona dilapidet.* Vel *quiuis alius malus bonorum adminiſtrator ſit conſtitutus.* Lupus *turbat aquam ouibus, ut cauſam quærat, cum leui commento prouocatur aliquis ad pugnam; quaſi (ut ita dicam) dormiens.* Lupum *oui facilius quàm* Anglum Francis *quis conciliabit, ex quo antiqui hoſtes ſunt* Angli *regni* Franciæ. Anglia *ouibus abundat, quia caret lupis.* Quos *nec* Sardinia *gignit.* Attendite *à falſis prophetis qui ueniunt ad uos in ueſtimentis*

ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Di*ctum ſanè contra hypocritas & ſimulatores, iuxta illud etiam à noſtris relatum,*

Peior non poterit, nec magis aſpera dici;
Quot quot clam facit hoſtis, ſimulator amici.

Mercenarius dimittit oues, & fugit, lupus rapit eas & diſpergit. ut ponat paſtor animã ſuam pro ouibus, nec fugiat nec labores, imò ſi oportuerit nec mortem, deuitet. Et *ſimile à lupo etiã Samnites,* Hirpini *dicti fuerunt, quia lupum,* Hirpum *uocant, maxime* Auſones, Arunci, & *Sedicini.* Lupa Romulum & Remum, *(hiſtoria nota) aluit.* Inſigneq́; Senenſium eſt. Dici *rurſum prouerbialiter ſolet:* Auribus *lupum teneo: in eos qui eiuſmodi negocio inuoluntur, ut neque relinquere ſit tutum, neque tolerari poſſit. eſtq́; dictum quo ſæpe utebatur* Tiberius, *ratus nil difficilius eſſe quàm bene imperare.* Lupus *eſt in fabula, quotiens ſuperuenit ille de quo loquimur, quiq́; ſui præſentia loquendi poteſtatem nobis aufert.* Lupi Mœrin *uidere priores, quod uoce deſeratur is quem prior uiderit lupus ad urbem, cum aliquid triſte affertur, is enim erat nuncius nomine lupus, qui cum urbem peteret triſte aliquid ſemper afferebat.* Verum *inſolitam lupi fidem audias. erat enim adhuc neſcio quis, qui in uadimonijs præſtandis non mediocri ſtudio tenebatur, is in uenatores incidit, irretitum lu-*

pum tenentibus, rogatus ioco uellet ne pro lupo uadem ſe conſtituere, illataq́; damna ab eo per ſoluere, petentium uotis annuit & fideiusſit, lupus uero emiſſus magnum equarum armentum nullo notatum cauterio, ad fideiuſſoris ſtabulum adduxit, qui recepta gratia, equabus lupi notam inusſit undo lupiferæ equæ denominatæ fuerũt, uelocitate magis quàm pulchritudine præſtantes: & adde ex paulo ante dictis, adeo hominibus odio fuiſſe lupum, animam ferox ſæuum & uorax ut ſupra; quod Athenis qui uinctum ipſum attuliſſet quinque argenti drachmas ex publico accipiebat Athenienſium lege, qui lupam uero drachmam unam, iſtudq́; bouis precium erat, iſtud pecoris, ſtatutum ſanè etiam hic idem facientibus hocq́; iure utimur. Verum dubitant noſtri ſi lupus equum ab aliquo in paſcuis dimiſſum comedat, nunquid domino teneatur, et dicunt quod non, ſi conſuetudo ſic ſe habeat, alias tenebitur, & bene, quoniam, legum interpres optima eſt, præſumiturq́; ſemper proueniſſe à iuſta cauſa, rationabilis & non reprobata à iure. Dictuq́; mirum inſuper uidetur, quod ſi lupus Scyllam tangat (cœpe enim genus eſt) ſtatim contrahatur. quodq́; uelox fiat equus ſi à lupo feriatur dente, & quod denique dormit eiuſdem ueſtigia calcans. Mitto quod pecudum à lupo occiſarum caro facile digeratur, ipſarum lana

pediculos gignat texta, & lupi lotium denique ſtatim obdureſcat, quod iecur, inteſtina, & ſtercus lupinus hominibus etiam ſunt quàm maxime ſalútaria. Nec *calamo occludentes ſi fidis chorda ex lupi inteſtinis facta ſit, quod confringuntur aliæ protinus, & longe magis tympana unum ex his lupi pelle pariter intextum ligno ſentientia, & quoniam exempla iuris multo plura ſunt, quod uiuit uento. quod exit ſyluam non exiuit. quod ſues eripit, fruſtatim comedens agnos, & alia huiuſmodi. paucula hæc ſcripſiſſe ſit ſatis.*

Quod cautio idem ſonat, quod cautela & ſecuritas, quodq; unū pro alio ponitur, de cautelis multis multa, & quomodo caute denique ſeu cautelis homines uiuant ſecuriores. Cap. X.

M*Vlti multa de cautelis ſcripſerunt, ita ut ſuperuacaneum ſit in præſentia earum uerba facere, nihil enim reliquiſſe uidentur, quod à quouis poſſit amplius deſiderari; cautelaq; eſſet, ſi aliqua ſcribenda ſunt ea ſilentio præterire, quoniam rei demonſtratæ (ut noſtri dicunt) fruſtra fit demonſtratio, ſuperuacuiſq; laborat impendijs, qui ſolem facibus certat adiuuare. nec plenitudo adiectione indiget, tamen quia repetita præſtantiora ſunt, exagitataq; ueritas ſplendeſcit magis in lucem, & firmius memoriæ commendantur, aliqua nos etiam in hoc albo de-*

ſcribemus, & potiſſimum quod cautio idem ſo-nat quod cautela, quod plerunque unum ponitur pro alio, & quod cautio denique exponitur, ideſt cautela, & cautela ſecuritas. Hinc dicimus, quod abundans cautela non nocet, quod epiſcopus de extrinſeca utilitate & cautela debet eſſe ſollicitus; & quod templorum cautela non nocentibus ſed læſis datur à lege. & ultra quod poſſibile nõ erit tueri utrunque, cautela ſacrorum locorum, & lædentem & læſum, & q; abundans cautela non noceat, nec uitiet diſpoſitionem, ex eo etiam liquet, quod tabelliones in inſtrumẽtis plura uerba quàm expediat apponentes, excuſantur. Imò quod inuenta eſt ut nobis ipſis proſpiciamus, multaque nobis permittuntur, quæ aliàs à lege non permitterentur. & præſertim (quod exemplorum loco erunt) alienandi ſi filius prohibitus ſit, hoc idem facere ante legitimam ætatem annorum 30. ut patris ſucceſſionem repudiet iureiurando. Confeſſionem extraiudicialem reuocandi, ne indicium faciat, ut quæſtioni ſit locus, & tormentorum occaſiô iudicibus præbeatur, tuta etiam quòd error non doceatur, & explorandi denique oblationem uerbalem, ne ualeat, ſi dicat forte debitor. offero me paratum ſoluere, ut dicat creditor modo pari, & ego, offero me paratum accipere quod ſolueris; quia non ſoluente eo poſtea oblatio nihil operabitur, pro uerbisq;

uerba reportabit. eſt etiam cautela aduocatorũ contra petentes executionem inſtrumẽtorum te, ſi dicatur, tu non es in inſtrumẽto deſcriptus, inſtrumentũ non iuuat & ſimile: & relinquẽtium uxori ut omnia cõſequatur. quoniã fructus et redditus omnino differre uidentur, ut dicant uxori meæ, relinquo fructum uſufructum redditum & prouentus, omnium & ſingulorum bonorum meorum, & in pacto de dote reſtituenda, ut in eo apponatur precarium, quia mulier auctoritate propria poſſeſsionem ingredi poterit abſque alia ſolennitate, & in delictis. Carolus *enim magnus olim cum pater & filius eſſent patrati ſceleris crimine ſuſpecti & accuſati, nollentque aliquid confiteri, ambos iusſit ſuſpendi, cunque ad ſupplicium ducerentur, pater crimen confeſſus eſt, filiumq; ſic liberauit à morte.* Et Tudertinorum *quando ſcire uolunt, an ſummam maiorem per teſtes probare posſint, qui probare nituntur modicam.* Et *iudicũ ut pronuncient factum, de quo agatur notoriũ eſſe, quia multa figurantur talia, quæ tamen non ſunt.* Item *condemno condemnandum, et abſoluo abſoluendum, quã primus inuenit ex noſtris* Iacobus Butrigarius. Quando *etiam* Aurelianenſes *uolunt filios doctores fieri in ciuitate in qua oriundi non examinantur, curant uxores extra ciuitatem parere. & ſi ſcriptus hæres adiuerit hæreditatem inuentario non confe-*

cto damnoſam, eiq; occurrant creditores, utile eſt, ſi pauper ſibi litem moueat, uel etiam diues, quoniam ipſe inuentarium faciet, nec timebit hæres, & hoc modo creditores deludentur, cautela etiam eſt quando uult, adhuc teſtator quod executio teſtamenti ſui nunquam ad epiſcopum deuoluatur, ſi dixerit, relinquo Titium executorem meum, & uolo quod exequatur intra annum, alias exequatur Seius, quia ſi primus executionē non fecerit, onus Seio ſubrogato deuoluetur. & ſi depoſitarius pecuniā in ſacculo obſignatam reſtituat, ut dolo careat, uel corā prætore uel interuenientibus honeſtis perſonis pro mendā eſt, et in examinatione cuiuslibet teſtis, quando cā eſt ponderoſa & grauis. caute agit quis ſi alios adhibeat, ut examinatus de falſo conuinci posſit, ſi forte negauerit uerum eſſe quod ſcriptum reperitur. & in ſimili dicimus ad tollendam omnem præſumptionem metus, optimum eſſe ſi teſtamentum præſentibus amicis & conſanguineis fiat. & licet ſpurius non ſit capax relicti ſibi facti à patre, erit tamen contracta ſocietate omnium bonorum cum legitimo ſi legitimus inſtituatur, & ſi uellemus condemnatis executionem corporalem differre, cautela eſſet adhuc eos grauiori crimine accuſare, unde ueniret quoque pœna durior infligenda, & ſi tu cuperes etiam fundum habere ſine aliqua ſolutione, iubeas ſeu man

des, alicui amico tuo ut emat, quia ſi tuo nomine emerit pecunia tamen ſua, & longo tempore nihil dixeris; fructus computabit in ſortem; & fundum abſque ſolutione habebis. Cautela rurſum eſt, *ſi te aduerſarius tuus conueniat coram iudice incompetenti, ut tacens, quoniam inde proceſſus erit nullus, & quandocunq; opponi poterit.* Et *ad euadendum aliquem à morte, ſi formata cõtra eum inquiſitione, efficiatur clericus ſeu religionem ingrediatur, iurando ſe ante delictum cõmiſſum uotum religionis emiſiſſe; poteris etiam te à fideiusſionis onere liberare, ſi proteſtatus fueris nulli obligationi conſentire uelle.* Habebiſq; *libros præcipuos tibi à patre emptos, ſi clericus efficiaris, quod tamen haud eſt regulare. excuſantur quoque tutores uel curatores, aliquid facientes, ſi id non ſine matris pupilli, & attinentium conſenſum faciant, quia licet res male ſuccedat, non tenebuntur.* Nec *filius ad debita patris, ſi acquiſiuiſſet fundum ſeu emphyteoſim pro ſe & filijs ſuis, ſiq; filius ipſe patris hæreditatem repudiaſſet præter fundum emphyteoticum. Si quis promittat etiam rem uendere tibi & iuret, & uelit eam uendere alteri, poteſt impediri, ſi tu cui promisſio facta eſt, appellaueris à uẽditione quæ fieri debebat ad iudicem eccleſiaſticum peti eriſq; cogi uenditorem, & compelli ad obſeruantiam iuramenti, quia poſtea facta nihil ualebit.*

et ſi uelit debitor pœnam & moram euitare præſertim quando rationes ſunt intricatæ, offerat fideiuſſorem de eo de quo apparebit debitor. Di-*ctu mirabile rurſum ne inquilinus, ex ædibus expellatur à domino, etiam ſi eas uelit pro uſu ſuo, ſi promittat ipſum non expellere durante tempore conductionis ut uerba aliquid operentur.* Et *in beneficialibus quod licet renunciatio facta cum pacto, quod renuncians habeat penſionem non ualeat uti ſimoniaca, ualebit tamen libere fiat in manu* Papæ, *ipſeq́; ex officio penſionis onus apponat.* Et *ut ceſſet remedium reſcindendi donationem, quod donans dicat ex certa ſcientia dare & donare.* Cautela *eſt etiam quando timetur uarietas atteſtationum plurimorum teſtium, ut fiat articulus de unitate actus. alias præſumeretur pluralitas factorum quæ tamen communiter non præſumitur.* Et *quando cōductor cupit ne fundus in præiudicium ipſius alienetur, quod locatur in cōtractu locationis promittat nō alienare fundū in præiudiciū conductoris, obligetq́; omnia bona ſua, & ſpecialiter fundū ipſum, quia uirtute talis cōuentionis alienatio fieri nullo modo poterit. & mirabilis ſi uelit quis aduerſarij confeſsionem extorquere depoſiti uel alterius rei, ut mittat ſibi literas idipſum repetendo, quia eas ſimpliciter accipiendo, nec aliquid ad oppoſitum proteſtando, contenta fateri uidebitur, & hæc ſuf-*

ficiant quoniam (ut diximus) huiuſce rei, locu-pletiſsimi tractatus ſunt, Veronenſium, Thomæ Ferrarij, Durantis, & aliorum hinc inde in ſyl-uam collati, ueluti memoriæ prõptuarium quod-dam, quo per opportunitatem uti poteris præ-ter hæc ſi non ingratum tibi uidebitur.

De clauſulis quæ nihil aliud quàm breues ſen tentiæ eſſe uidentur, nonnulla de effectibus ipſa-rum, quod multæ & uariæ ſunt ferè tot quot in orbe figuræ. & quomodo uſui ac emolumento ho-minibus ſunt quàm maxime neceſſariæ. Cap. XI.

SIcuti de cautelis diximus proxime, ita nunc de clauſulis præfari libeat, quod multi mul-ta dixerunt, & adeo multa quidem ut inde uolu-mina in lucem exierint quam maxima, uixq; dici uerbum poteſt, quod ab illis prius non euolarit, ſed tamen & ſi noui quidquam afferre nobis con ceſſum non eſt, quod nihilominus haud affirma-mus, exitusq; demonſtrabit, quia breuitate ſaltē ſtudioſis conſulemus, calculatorum morem ſequē tes qui ingentes ſummas ære breuiori exprimūt, adijcientes multa ſanè ab alijs non dicta, à ſcri-bendo prædicta nos non auocabunt. Inter ceteras igitur clauſulas illa præcipua eſt. (ordinem enim nullum ſequi, ſed tantum quæ ſuccurrerint, expli care intendimus) quæ in teſtamentis apponi ſo-

let. Si non ualet iure teſtamenti ualeat ſaltem iure codicillorum, & omni meliori modo quo ualere poteſt. Adde quod reperta in teſtamento nullo ratione præteritionis paternæ uel maternæ, operatur hoc quod una tantum quarta detrahatur, legitima ſcilicet, & rogati, inde proximiores cenſeantur, reſtituere hæreditatem ſcriptis hæredibus. Et uocatur Codicillaris, quæ rurſum operatur conſeruationem relictorum, dato adhuc quod teſtamentum rumpatur agnatione poſthumi. & etiam ubi ſubſtitutio facta eſt per uerba mere directa, ſi non poteſt habere effectum iure directo, quod trahatur ad fidei commiſſum. Et minus bene dixerũt aliqui ex noſtris, quod ex cõſuetudine tabellionum apponitur, quia imò id uoluntate teſtatoris fieri ſolet. Et niſi aliud dixerit in dubio uelle uidetur, quod ipſi in teſtamento ſuo ſolitas & conſuetas conſcribant. Et dum dicitur quod ualeat omni meliori modo quo ualere poteſt, perinde eſt ac ſi omnia per ſingulas partes fuiſſent expreſſa. Et ad tabellionum propoſitum ſciendum, quod licet clauſulas in teſtamentis apponant, eas tamen non intelligunt. eſt etiam clauſula ſaluo iure domini uaſallum excuſans ſi eo irrequiſito feudum alienauerit. Ex quo non uidetur eſſe in dolo, quod maxime requiritur, ut in commiſſum incidat. Item uocatis uocandis, uocatis partibus, ſi de præmiſſis conſtiterit, ſi ita

eſt compellatis, & ſimiles effectum habentes ut non aliter procedi posſit, niſi ordo iuris ſeruetur. Et ſi adhuc illa appellatione remota fuerit poſita in principio commisſionis, repetita cenſebitur in medio. Alia *eſt etiam generalis plerunq; facta à filia patri quãdo renunciat iuri ſibi competenti, ratione legitimæ ex teſtamento uel ab inteſtato uel alia quacunq; cauſa, ut intelligatur facta ex cauſa de præſenti non de futuro.* Et *ſi in gratia illa, ex nunc prout ex tunc reperiatur, dic quod eam efficaciorem reddat, quodq; nũc ſignificat actum uerbi prolati, nunc uero effectum uerbi conſummati.* Si *alienatio etiam fiat ſub hac forma.* Vendo *tibi rem quandocunq; litigioſa eſſe deſierit, extunc prout ex nunc ualebit, quod uidetur mirabile.* Conſueuit *etiam in noſtris communiter apponi, maxime emphyteoticis illa, promittens in nullo contrauenire, uel facere aliqua ratione uel cauſa.* Item *& ſic, renuncians omni iuri per quod contra præmiſſa quocunq; modo uenire poſſet, quæ operantur, ut non posſit quis recuſare; quominus mercedem ſoluat ſeu canonem ex aliqua cauſa.* Nihilominus *aduertendum puto, quoniam clauſulæ iſtæ non excludunt exceptionem uenientem ex natura contractus, neque inſolitos includunt caſus.* Sed *quid ſi dictum ſit ut ferè ſemper dici ſolet; dedit, uendidit, & tradidit, an probetur uera traditio?* Reſponde *quod*

non, niſi res ſit in conſpectu, & plus quod in conſpectu eſſe non præſumitur pariter niſi probetur. Et ſi de clauſula ex certa ſcientia quidquã ſcire cupias tantæ uirtutis eſſe ſcias, ut ualidet gratiam, reſcriptum, ſeu priuilegium quod alias non ualeret. Cui proxima eſt illa quoque de plenitudine poteſtatis; quæ operatur ut princeps, licet iura naturalia tollere non poſſit tamen ea, quæ ſunt iuris poſitiui, quæq; pendent à poteſtate ipſius, tollens amplius in legitimatione omnes defectus, & ſi forte totiens quotiens dicatur, hæc actum iterabilem importabit. Apponitur plerunque etiam hæc. Sano principum conſilio tamen neceſſaria non eſt, ſed ad bene eſſe principis. Haud omittẽtes quod irritans, in bulla gratiæ expectatiuæ, reperta titulũ inficit, et poſſeſſionẽ ordinarij, ex quo poſſeſſio prouenit beneficialibus ex titulo. Et licet ex certa ſcientia multa operetur ut ſupra, ſecus tamen eſt, ubi in facto reperiatur error. Quem tamen excludit & non ſolum facti uerum etiam Iuris, ſi in contractu diceretur, Ex certa ſcientia & non per errorem iuris uel facti promiſerunt ſeu promiſit. In declinatione iudicis etiam cautela eſt, ne ſimpliciter fiat, addendo quoque uerba in futurum, ſed ut dicatur poſt declinatoriam, niſi ſi & inquantum arctetur de iure, quoniam alias Iudex declinantem poſſet reputare contumacem, & ad ſententiã

in contumacia procedere. De clauſula precarij & conſtituti multi etiam multa dixere. & nos quoque alibi aliqua, ſed obiter hoc unum adde nunc, quod regulatur ſecundum principalem diſpoſitionem. Et de clauſula non obſtante, quod ea ſolus principes utitur, nõ inferior, & quod æqui pollet illis de quibus paulo ante, ex certa ſcientia ſcilicet. & de plenitudine poteſtatis, imò quod omnia ſupplet. eſt uerum quod non ſufficit ubi ſunt plura obſtantia. Sed quam uirtutem habet illa, ſuper quibus omnibus & ſingularis, peto mihi de prædictis iuſtitiam fieri? Reſponde primum quod concluſum uidebitur in petitorio & poſſeſſorio, & poſtea ſi actor narrauerit in libello reſpicientia petitorium & poſſeſſorium, & expreſſe in poſſeſſorio concluſerit, quod poterit poſtea ſuper petitorio probationes inducere. Et ad ſupradictas clauſulas redeuntes, ex certa ſcientia, & non obſtante, eſt adhuc ſciendum, quod efficiunt ut principes uideãtur uelle uti plenitudine poteſtatis. Verum quæritur quando dicitur ſi eſt idoneus, ſi eſt dignus, clauſula hæc erit ne conditionalis? reſponde quod non. quodq; ſapit potius monitionem quandam. Et ſi diceretur conſcientiam tuam oneramus, quod iſto caſu citatio neceſſaria non erit. Eſt bene uerum quod facerent conditionem uerba hæc. Mandamus tibi quatenus de præmiſſis omnibus & ſingularis, & eorum

circun-

circunſtantijs te informes, quoad expeditionem ſcilicet actus commisſi. Non *omittentes rurſum quoad ſupradictam clauſulam non obſtante(natura enim ſemper nouas deproperat edere formas, nec inueniendis inuenta obſtant)quod derogat iuri communi, quodq́; etiam nihil operatur, ſi reſcriptũ ius alterius abſorbeat, imò quod hoc caſu reſpui debet.* Et *cum reſcripta obtinentur per importunitatem,quod obtinentur etiam clauſula non obſtante,in eis contenta.*Et *ſcitu dignum eſt præter hæc, quod de ueritate ſeu clarius ſi preces ueritate nitantur, ſemper reſponſionibus principum ineſſe uidetur,ex quo eis aliquid placere haud præſumitur, niſi iuſtum uerumq́; ſit.* Operatur *etiam clauſula,ac ſi de uerbo,ad uerbum &c.perinde ac ſi eſſet facta particularis expresſio contentorum in priuilegijs, ſi in eis eſſe reperiatur.* Q*uid de illa quæ eſt motus proprij, frequens & quandoq; neceſſaria? reſponde quod idem operatur,quod clauſula non obſtante,& ex certa ſcientia.*De*q́; illa decreti irritantis, ultra ſupradicta adhuc loquentes,ſciendum eſt, ſi adiecta fuerit diſpoſitioni conditionali, quod non operatur effectum quoad ea,quæ geſta ſunt ante conditionis exiſtentiam.alias & regulariter eſt magnæ importantiæ, penetrabilior omni gladio, & tam malignæ naturæ ut deſtruat quicquid inuenit,et in oppoſitum ducat.*Pl*erunque adijcitur*

M

*cauſa dubitationis tollendæ, & nihil operatur, ut illa.abſque præiudicio tamen illorum, qui in eiſdem bonis ab inteſtato ſuccederent parentibus,& conſanguineis.*Et *obſcura eſſet pariter ſi diceretur,*Cōcedo *tibi quicquid iuris habeo in tali re,& ut ſupra nihil operaretur, niſi appareret de iuribus concedentis.*Et *ad illas de plenitudine poteſtatis, & ex certa ſcientia redeuntes, declaramus nouisſime effectum non producere, niſi proceſſum ſit cum cauſæ cognitione. eſt etiã clauſula,non aſtringens ſe tamen ad probandum niſi neceſſaria,qua intentatum id uidetur communiter,ex quo leuius & facilius condemnatio ſequi posſit.* Vidi *dubitationem quam maximam quoque,quomodo in ſignatura dicitur à* Papa, Fi*at ut petitur, dequo fui his diebus interrogatus, & reſpondi quod talis ſignatura refertur ad omnia petita, quodq́; paria ſunt exprimere per ſe uel per relationem ad aliud, ita ut omnia pro ſufficienter expresſis habeantur. & ſi fuerit clauſula iuſtificatoria,dici ſolet, quod in uim citationis ſimplicis reſoluitur.* Verum *ponamus quod dictum ſit, etiam ſi de eo opus eſſet facere ſpecificam mentionem,an hæc conprehendat perſonas miſerabiles priuilegiatas?* Dic quod non.et *quod illa uulgariter pupillariter & per fidei commiſſum,celebrata toties inter filios appoſita, nihil operatur. & ſi à notarijs apponatur in te*

ſtamēto oportet quod ipſam intelligāt, & ſi operatur, certum eſt operari tantum, ut electionem habeat ſubſtitutus ueniēdi per directam uel fidei commiſſariam ſubſtitutionem. Aliarumq; pluriū *uim & naturā dicere poſſemus, ſed quia (ut præfatus ſum) alibi ab aliquibus dictum eſt, tractatusq; extant locupletisſimi, maxime uitalis cambani præ ceteris finem faciam, non pretermittentes tamen hoc unum pro complemento, quod licet una clauſula ceſſet, altera tamen remanet: Quodq; omnis clauſula habet ſe per modum acceſſorij.*

Quid ſit certamen, unde dicatur, quotuplex ſit, & an unus alteri ad emendam condemnetur, an uero principi potius, deq; Duello *ad propoſitum aliqua.* Cap. XII.

P*oſtquam certaminis titulus, inſcriptus eſt hic, nonnihilq; etiam à nobis ſcribendum reſtet, quo huic libro tertio ſatisfactum eſſe uideatur, non aliud certamen eſſe dicemus, quàm contentionem quandam, ſeu pugnam uel maius prælium, quod à non iniuſta uel inhoneſta cauſa ſuſcipitur. à certo proueniens, quaſi certum, ſiue pro certo habeamus id, cuius gratia in certamen deſcendimus.* Ex *quo inde quoque concerto ſit, ideſt ſimul cum alio certo, poſtea ſingulare cer-*

tamen appellatum eſt, cum bini ſcilicet congrediuntur, ut in ſacris literis Dauid *&* Golias. *apud* Homerum Hector Achilles, Glaucus et Diomedes. Nec *ignotus* Mantuani Vatis, Dares Entellus, Turnus *&* Æneas. Quid *quod certat cum* Thucydide Salluſtius, *&* Liuius *cum* Herodoto. Imò *& naturaliter cum magnete adamas, uſque adeo ut iuxta ferrum poſitus non patiatur illud (quod magnetis eiuſdem proprium eſt) abſtrahi, & ſi admotus magnes apprehẽderit ipſum rapit & aufert. & ad propoſitum quatuor certamina fuiſſe perhibent,* Olympia, Pythia, Iſthmia *&* Nemea, *celebratisſima. primum in* Iouis *olympij honorem, uictoresq; oleagina donabantur corona.* Pythia Apollini *ſacra erant, pomaq; referebant, ex apio uero coronabantur, cum* Iſthmia Palæmoni *dicata forent. & pinu denique ſi quis* Nemeo *uiciſſet, in* Archemoris *memoriam inſtituto.* Quæ *omnia* Nero *tunc, non ſine dedecore imperatoriæ dignitatis, obiuit.* Quæq; *etiam carminibus ſic decantata fuere,*

Quattuor exercet certamina Græcia ſacra.
Mortali duo ſunt, & duo ſacra deo.
Sunt Iouis, *& phœbi, atq;* Palemonis Archemorique;
Pinum *oleam atq; apium, malaq; uictor habet.*
& utile eſt etiã ſcire (ut noſtri diſputant) ſi unus alium ad pugnam prouocauerit nec prouocatus

recuſauerit,quo caſu debent ad emendam cõdem nari,an unius fiat condemnatio ut alteri teneatur,an uero princeps hoc ipſum uindicet, ueráq; deciſio principi obnoxium fore non parti, quia uolenti non fit iniuria,& præter hæc, quod non aliud eſt Duellum *quam certamen omni iure prohibitum,ciuili & canonico,imò & diuino, licet ex cauſa aliquando fuerit permiſſum,ſeu inſtinctu ſpiritus ſancti,quale illud* Dauid *et* Goliæ,*de quo ſupra.* Nec *ab re, quoniam eſt contra omnem humanitatem, & rationem naturalem. & ſi aliquo caſu permiſſum eſt, permittitur in redemptione patriæ & ſuorũ,licetq; etiam in perduellionis crimine,aliquem prouocare.* De *iure uero longobardorum in pluribus caſibus,præcipuusq; eſt proximus,ſi uaſallus carnaliter cognouerit uxorem domini.*SI *homicidium inter treuguam, ſeu poſt pacis oſculum, commiſſum ſit in parricidio in improperio fornicationis libere mulieris,in fornicatione facta cum alterius uxore.in periurio ſcienter commiſſo pro falſo prædiorum inſtrumento.pro rebus eccleſiarum; pro cauſis comitum & uiduarum,& alijs quam pluribus,quos referre longum eſſet.*Hoc *unum haud omittentes tamen,quod poteſt licite recuſari, ut fecit* Auguſtus *qui* Antonino *prouocanti reſpondit,ei multas uias patere ad interitũ.uel* Marius *alteri ſic.ſi cupidus mortis es,laqueo uitam fini-*

re potes. Imo cum Scipio parum pugnax diceretur, non aliud reſponſum dedit pariter, ſic dicenti, niſi quod mater ſua ipſum imperatorem nō pugnatorem pepererat, & eo caſu quo ſuſcipiatur ſciendum eſt adhuc plura neceſſaria fore. quòd prouocatus ſit diffamatus, uel ſaltim ſuſpectus. quòd non poßit probari per uerám probationē. quòd ille qui prouocat ſit maior uel par. quod caſus ſit perſonalis. & quòd denique uia electa nō ſit iudicialis ſtrepitus. Item quod dicitur Duellum duarum partium bellum. Quòd æquiparatur torturæ, & quòd tripliciter fit, purgatione legali, Canonica, & uulgari, & quia etiā huiuſce rei multi ſunt tractatus, multæq́; hinc inde quæſtiones & caſus Ioannis lignani, Guidonis Papæ. Io. Pariſienſis, Matthæi Afflicti, Iacobi caſtilli, Andreæ Alciati, aliorumq́; plurium hæc paucula delibaſſe ſufficiat.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE,

LIBER QVARTVS.

DE CASTELLO SEV CASTRO *quod idem eſt, quid ſit, unde dicatur, an dominus ſtatuta condere poßit, & alia multa ſcitu digna, quæ maxime ad praxim facere uidentur, nec minus pulchra ſtudioſis quàm utilia. Cap.* I.

CAſtellum ſeu Caſtrum non aliud eſſe, quam locum qui murotenus cingatur, indubitatum eſt à cuſtodiaq; dictum, ſeu à caſa, quod coniunctio quædam caſarum ſit uel quaſi caſa aucta, ſiue alia ideſt anguſta, inq; ſublimi loco ſita, ut ad cuſtodiam ipſius inde etiã pauci ſufficiant, & ab urbe differat, quæ ſimiliter ab uruo aratri curuatura dicta eſt. ex quo ueteres in condendis urbibus (quod ſanè omnibus innoteſcit) aratro circum agebant ſulcum, intrà quem urbem ædificarent, uel ab orbe, quod ſulcus in orbem duceretur, iuxta illud,

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro,

Et caſtellum ſeu caſtrum dixi, quia primum prō aquarum receptaculo etiam ponitur. ſed pro caſtro cuius eſt diminutiuum proprie. Quod etiam à prouincia differt ſicut ab urbe (ut paulo ante dictum eſt) quam nouiſsime conſtituit gentium congregatio ſimul in loco habitantium. Prouincia uero territorium amplum, iuriſdictioni unius domini ſuppoſitum. Verū ſi dubitetur ad propoſitum poſsit ne remitti, abſq; domini commiſsione à cuſtode, uel ſigno commiſsionis loco, reſpondebis quod non. Imò quod nec exire poterit, pro ſubſidio totius ciuitatis, nec etiam cum literis domini niſi ſignum habeat. & plus quod leui culpa, alias puniretur capitis, id eſt ultimi ſupplicij pœna. non prætermittentes quoq; ſi uēdatur, quod nihilominus uendita erit iuriſdictio ita ut in emptorem cum uniuerſitate tranſeat, eſt enim nomen uniuerſalium rerum, ut ciuitas, territorium, & ſimilia, quæ iuris ſunt omnimodo includentia. Sed nunquid caſtri dominus ſtatuta cō dat? reſponde quod non, licet collectas imponat, de nouo ædificet, & muros ſine licentia ſuperioris etiam reficiat. & quia Hieruſalem Caſtellum Chriſtus uocauit dicens, Ite in Caſtellum quod contra uos eſt, annotatione perpetua dignum uidetur, non ab re ſic dixiſſe, quaſi celeberrimum urbis nomen amiſiſſet, ob inteſtinas habitantium ſeditiones & diſcordiam malorum omnium ſemi-

narium quiddam. Memini me etiam legiſſe caſtrum quoddam uerecundiæ fuiſſe, imò et nunc in Africa reperiri, magna lapidum mole, nec ſine circunſpicientium admiratione extructum, cuius Dominus cum prouinciæ regem, illuc caſu tranſeuntem, hilari ac læta fronte excepiſſet, deluſiſſetq́; poſtea aqua merum deturbans, non immerito ab ipſo rege deluſus eſt, quem rogarat ille ut turpe nomen caſtri aboleret. Cui rex diſcedens hoc ipſum fieri nequaquam poſſe dicebat ridens, ex quo mores qui hominibus, à natura tribuuntur, tolli difficulter poſſunt aut mutari, ad id quod aquam mero miſcuiſſet pulcherrime alludens, documentoq́; nobis eſſet, non ita cum principibus magnisq́; uiris fore agẽdum ut ipſorum cum gratiam tum beneuolentiam extrudamus, ſed prudentia obſequio & liberalitate aſſequamur potius.

Quid ſit cõditio, quotuplex, an ſit de ſubſtãtia probationis, an ſufficiat ſemel extitiſſe, an poſſit impleri per hæredem, deq́; alijs quàm pluribus ad materiam facientibus, cum ſcitu tum auditu dignis. Cap. II.

Conditio proprie eſt illa, quæ ſe habet ad eſſe & non eſſe, & ſi futurum tempus reſpiciat, ſuſpendi, non autem ſi de præſenti fue

rit uel de præterito. Et *communiter per dictio nem ſi concipi ſolet, dixiq́; communiter quia quã doq; demonſtrat, quando teſtator his uerbis utitur, ſi primus hæres erit damnas eſto dare, quan doq; in ſe potius admonitionem habet, quàm con ditionem, cum dicitur tutorem do, ſi ſatiſdederit, uel aliter ſi decem cum petiero & ſimile.* Ex *quo uulgatum illud uerificari poteſt, à uerbis recedendum non eſſe, niſi de mente aliter conſtet. hæcq́; quoad uerba, conditionalia fore, non quoad mentem. & ſi ſimpliciter dictum ſit. ſi petiero (quod ad ultimum exemplum) ſecus. quãdoq; præter cetera etiam aliam interpretationem habebit, & pro quia ponetur, adiecta tamen diſpoſitioni certæ non incertæ.* Et *ſi adhuc appoſita repe riatur in lege, ubi reſultat intellectus abſonus, non conditionem denotabit, ſed facti contingentiam potius.* Et *cum dicitur modo ſi, (ut alibi) dummodo exponetur.* Non *omittentes quoque, ſa crum illud dictum, & ego, ſi exaltatus fuero om nia ad me ipſum traham, non proprie ac ad literam (ut iacet) legi, ſed hoc modo, ſi exaltatus. id eſt cum axaltatus fuero. & etiam ſi ideſt quamuis exponi, quando adhuc poſſet inde ſequi abſurdum.* Et *ſi conditio adiecta ultimo loco, reſolutioni promisſionis & obligationis inueniatur, non aliud dici denique poterit, niſi quod pura ſit non conditionalis. pluraq́; huiuſmodi ſunt non aliter*

referenda. Verum ad materiam ſcias, quod conditionum quædam cauſalis eſt, quædam poteſtatiua, & quædam mixta. Caſualis quæ pendet à futuro euentu, ut puta ſi nauis uenerit ex Aſia. Poteſtatiua ſi capitolium aſcenderis. Mixta uero ſi à duorum pendeat uoluntate, quia in dando conſiſtat. Quædam etiam inſtantanea eſt, quædam ſucceſsiua, quædam ad utrumlibet ſe habens, uſque adeo ut primo caſu ſufficiat extitiſſe tẽporis momento, ſecundo autem deſideretur perſeuerantia, & ultimo loco ſatis ſit rurſum quod extiterit ſemel. Vel & fuſius dicas, quod quandoq; apponitur ad producendam diſpoſitionem in eſſe, quandoq; ad executionem eſſe, quandoq; in contractu per relationem ad contractum, quandoq; in ultima uoluntate per relationem ad eam, quãdoq; ut euentus quidam, & quandoq; loco etiam finalis cauſæ. aut ſupradicta reformãtes quod neceſſaria ſit omni reſpectu unoq; tantum impoſsibilis in poteſtate naturæ, iuris, perplexitate, & facto, poteſtatiua (ut diximus) & caſualis. Et ſi uerba teſtatoris poſſunt ſe habere ad cõditionem & modum, potius modum quàm conditionem denotabunt. Et ſi conditio remiſſa fuerit, non cenſebitur ſublata totalis diſpoſitio, niſi appareat ex mente proferentis aliter actum fuiſſe. Et ſi nõ impleatur, deficit, uerificabiturq; uerbum hoc deficere, in eo etiam qui liberos non habuit. Nec

per hæredem regulariter impleri poterit. Et ſi poſſibilis fuerit implebitur, alias autem ſuperueniente impoſſibilitate excuſabit. Si uero poteſtatiua ut ſupra, habebitur pro impleta, dummodo impediatur per mortem eius à quo impleri debebat. hoc unum etiam non omittentes, quod omnis conditio eſt de ſubſtantia probationis, quodq́; defectus ipſius facit legatum deficere, quantumcunq; fauorabile. & quod ſubintelligitur tribus modis, ex natura diſpoſitionis, ex natura rei deductæ in ſtipulatione, et ex natura repetitionis. Cõditio rurſum, & ſtipulatio in diẽ ſunt ſimilia. Reſolutiuaq; non ſuſpendit diſpoſitionẽ in contractibus, in ultimis uoluntatibus autẽ ſic. Sed quia de modo et de conditione dictũ eſt, quomodo unũ ab alio cognoſcemus? reſponde primũ cognoſci ſi apponatur in conſequentiam alterius diſpoſiti, cõditionẽ uero, ſi apponatur in antecedentiã alterius diſponendi. Et dic præter hæc etiam, quòd omnes conditiones ſunt perſonales, cum à perſona non recedatur. Deq́; modo rurſum & conditione, quod hæc inducit effectum dum eſt in actu, non ſi ſit in potentia, modus uero quodlibet tempore. Eſt etiã conditio uolũtaria & neceſſaria, quæ nõ modo uerbis, ſed etiam re omnino differunt, quia illa in forma ſpecifica impleri debet, iſta uero per æquipollens. Et in materia præcipuum licet tollatur conditio. quod non tamen tollitur condi

*tionatum in dubio.*Et *quia conditionalia ſunt in certa,non ab re eſt etiam,ſi iudex cuius factum certum eſſe debet, non poteſt dare tutorem ſub conditione.* Nec *ſilentio inuoluendum quãdo ali quid relinquitur ſua conditione, quòd hæc eadem præſumitur finalis cauſa relicti, et pro complemento quòd conditio nihil ponit in eſſe. quodq́; non ſunt in diſpoſitione, quæ ſunt in conditione.* Et *quod denique uerba conditionalia non ante ſuam executionem trahunt quàm extet conditio. & hæc erunt ſatis.*

De *corona* Imperatoris,*& in genere cui conueniat, qua triumphantes ornarentur, quaq́; ſapientes olim.& quæ ſit denique illa quæ corona dignitatis appellatur.* *Cap.* III.

CO*rona* Imperatoris *triplex eſt. ferrea primum, qua fortitudine infideles uincat,& conculcet.* Ferrum *enim uiolentiam deſignat,& à feriendo dictum eſt, quod eo cetera feriantur,hacq́; ab* Archiepiſcopo Colonienſi *ornatur,in* Aquiſgrano,*ubi & concilia conuentusq́; principum celebrari ſolent, ex quo regni caput eſt,& locus inſignis, ut* Roma *caput mundi. ſed decipiuntur qui ita dicunt, ex quo iſta* Modœciæ *(ciuitas enim eſt lombardiæ non ignobilis)coronatur à* Mediolanenſi *pontifice,* Argentea *uero*

in Aquiſgrano Germaniæ *ut ſupra. ut puritatem munditiamq́; ſignificaret, ſicut argentum, quæ duo præcipua in eo quàm maxime deſiderantur.* Et *aurea denique* Rome *à* Papa, *in* Diui Petri *apoſtoli tẽplo, ut præ ceteris uirtute et moribus, non ſecus ac aurum fulgent & ſplendeſcat. & ad propoſitum diuidi non poteſt, quod corpus ſphæricum arguit, ex quo (aiunt noſtri) non ab re ſtatutum fuit, filium legitimam in regno, eligere nõ poſſe.* Nec *dari facile debet niſi optime meritis.* Spinoſa *enim eſt, feruntq́; regem ſibi oblatam aliquando exclamaſſe,* O *nobile magis quàm felicem pannũ, quem ſi quis penitus agnoſcat, quã multis ſolicitudinibus et miſerijs, ac periculis refertus ſit, nec humi quidẽ iacentem tollere uellet.* Spinoſam *dixit* Carolus V. Dixit Adrianus III. Pont.Max.& Hiſpanus *neſcio quis, qui etiam dum coronæ ſymbolo uteretur, eidem circũquaq; has inſcripſerat literas,* Mas *uale, merecilla. hoc eſt piu uale à meritarla.* Vnde *ciuice hinc, quibus donari ſolebant, qui ciuem ſeruaſſent, quiq́; eodẽ tempore hoſtem occidiſſent.* Obſidionales, *murales, nauales, caſtrenſes, ouales, & aureæ.* Obſidionales *etenim* Duci, *qui populum ab obſidione liberaſſet, donabatur pariter.* Muralis *primo murum ſubeunti. & qui ſimiliter ante alios maritimo prælio in hoſtium nauia introiſſet, naualem ſibi comparabat.* Caſtrenſem *uero qui hoſtium ca-*

ſtra, adhuc cordatior ceteris, penetraſſet. Et *ſi* Imperator *bellum abſq; cruore perfeciſſet,* Ouali *triumphabat, & aurea communiter. (prius enim myrto, mox lauro, quia nullo afflatur fulmine, coronari ſolebat, poſtremo auro) quam tamen ſeruus eodem in curru, ſupra triũphantis uerticem tenebat, ut humanæ fragilitatis memoria atque exemplo ipſius frangeret inſolentiam. eſt etiam corona dignitatis ſenectus.* Et *corona ſenum peritia multa.* Et *corona uiri mulier diligens. coronanturq; ſapientes denique, ut honeſto in honore habeantur.* Et *à chóro* Corona *dicta eſt, quod coronas geſtare in choris ſiue choreis et ſaltationibus mos erat. adeoq; generale uerbum, ut corona hominum quoque circunſtantum, conuentus appelletur, ſignum uenalium ſeruorum, et cœleſte etiam ſydus iuxta illud* Claudiani,

Seu tibi Dictæ *placuerunt aſtra corone.*

Et *ſcitu dignum inſuper quod ſicuti corona pudicitiæ efferebatur olim mulier, quæ unica contenta uiro migrabat, ita adulter lanea, conuictus tamen, ut mollis & effœminatus, apud* Gortynam *urbem, infamis amplius, nec munerum reip. particeps coronobatur. quodq;* Calen. Maijs *cum eſſet feſtus dies, ſolebant ueteres, coronam in focum ardere, perq; dies illos, lari familiari pro copia ſupplicare, ut nos idem quoque faceremus, ſupplices deum optimum maximum rogantes, no*

bis propitius ſit & adiutor, præſertim hoc tem-pore anni ſcilicet 1555. quo peſte perterriti & afflicti, annonæq́; caritate laboramus.

De crocodili natura, quomodo eſt lacerta Nili, immenſæ magnitudinis, & animal hominibus maxime infeſtum, quod puerorum more plorat, ſi quem eſt uoraturus, & quod denique perſe-quentes fugit, & fugientes perſequitur. Cap. IIII.

CRocodilus Nili lacerta eſt, immenſæ ma-gnitudiinis, quam debellauit Chneumon. Melle delectatur mirum in modum uſque adeo ut Ægyptij(dictus enim eſt ex eo, quod κροκοδ' εἰλεῖ ideſt Crocum fugit, ac eius odorem reformidat) hac de re ipſum ſternant mella conficientes, ſicq́; arceant, ne omnia abſumat, & diſſipet. Croco-dilus etiam conſpecto procul homine, lacrymas emittit, atque eundem mox deuorat. Quod uerũ eſt tamen eidemq́; fore lubricum ac periculoſum, ſupra Memphim citra uero mare uerſum(ut memo rantur ij, qui noui orbis inuẽtores fuere) nulli no cumento eſſe. Oua gignit in terra, eaq́; tegit ſabu lo. filij inde nati ſtatim enatant mare. perſequen tes fugit, & fugientes perſequitur. feruntq́;, uul nera, tametſi antiqua & inueterata, pinguedine ipſius ſanari protinus, & conualeſcere. Et quod

dictu

dictu mirũ uidetur, ſupino corpore oreq; aperto, multi plerunq; in litore iacẽt, ut albi quidã uolucres roſtro, eiſdem dente expurgent, & perpoliant, carnibus animalium (cetera etiã terreſtria flumini appropinquantia lacerant; & unguibus diſcerpunt, quos habent omni mucrone acutiores) conſpurcatos. Imò potius cum putreſcentes uermes pariant, ut abunde inde paſcantur, & quia aculeum capite geſtant uolucres, offendi etiam ſi ora obſtruant crocodili, minime poſſunt. quæ omnia cum ita ſint præſtant nobis argumentum ſanè, dicendi ſymbolum eorum eſſe, qui ſeſe ſimulant, angi grauiter aliorum incommodo, & illorum maxime quibus perniciem afferre ſtudent. in animo nil aliud habentes, quiq; ingrati beneficio afficiuntur, quammaximo, obeſſe uero nituntur, tametſi præpediti id omnino facere nequeãt. nec calamo occludentes quoque, quod lingua carent. coliq; in Ægypto, ut non ſolum ipſum muniat, uerum etiam quia Arabes atque Libyci, latrones, præ timore fluuium tranare non audent ut Diodorus ait. Alij uero Minam regem fuiſſe aiunt, qui cum à proprijs inſectaretur canibus in paludem Meridis profugit, inq; ulteriorem ripam à Crocodilo delatus eſt, quare ut gratiam pro ſalute referret, ciuitatem iuxta conſtituit, quam crocodilorum appellauit, tradiditq; indigenis, ut pro deis animalia hæc colerent, paludem

uero ipſam in alimentum obtulit. Cetera Plinius maior naturalis hiſtoriæ fuſius tibi explanabit.

De Ciconia *quòd caret lingua, & hoſte, quomodo eſt pietatis atque* Iuſtitiæ *ſymbolum, deq́; legibus* Ciconiarijs,*alijsq́; multis egregijs, & ad propoſitum ſingularibus ac perpetua annotatione dignis.* Cap. V.

TAm *raræ innocentiæ* Ales eſt Ciconia *ut hoſte careat, & ſit elinguis, non ſecus ac crocodilus, quod proxime etiam dictum eſt, in ceteris tamen longo differentes interuallo, ex quo fit ut non ab re* Theſſali,*eas lege uetent occidi, eademq́; pœna occiſores mulctent, qua homicidas. ſeu forte quia ſerpentibus, quibus abundant maxime, ſunt exitio.* Senectam *patris ſuſtinent inſuper. & quia* πέλαργος *adhuc uocatur,* Ciconia, *Æneam ex ea ſtirpe natum affirmant, quod alis, ipſa, hic uero humeris patrem ſuſtulerit, & plus quod pietatis cognomē ab atauis* Ciconiis,*hæreditaria quadam ſucceſsione recepit.* Clementiæq́; *ſymbolum* eſt & *iuſtitiæ, ſi (ut Ægyptij, faciebant) uirginem eidem inſidentem pingamus, quia (ut diximus) lingua caret, oris ſonitu parentes in nido ſalutat.* Ciconiariæq́; *hinc late leges, quibus liberi parentes rurſum alere iubentur, nec alia ratione pelargos dicta, quàm quod parentia*

bus gratiam retribuit, & antipelargoſis, ideſt beneficiorum retributio, exemploq; docet, non ſecus à nobis agendum eſſe, cumq; à parentibus eſſe primum, poſtea documenta & uictum acceperimus, quod eis gratiam rependamus pariter. Statuit enim hinc Solon (ut memoriæ proditum eſt) ſi quis parentes non enutriſſet, quod is ignobilis obſcuruſque eſſet. Imò quod ij ueluti dij colendi ſunt, ne dum alendi & obediendi, & ueluti diximus, quoniam poſt deum, eis primus debetur honos. hinc noſtri tradunt, ſine uenia in ius uocari non poſſe, uel ſit filius naturalis & legitimus, uel adoptiuus, uel naturalis tantum qui uocat. quia una omnibus parentibus, debita eſt reuerentia, quodq; decuriones non agunt contra patriam, niſi parentum gratia. & quod ſi filius iuſſu patris ducat uxorem infra annum luctus, non eſt infamis & ad Ciconiæ propoſitum uelim obſerues quoque ne dum alitem eſſe ut ſupra, uerum etiam menſuræ genus, ideſt regulæ machinulam, quam ruſtici ita uocant, ad altitudinem ſulci paſtini menſurandam.

De Gelphis & Gibellinis *ſeditioſis hominibus, unde ortum habuerint, Quid ſonent nomina iſta, an posſint habere ſtatuta, an ſit qualitas innata & partialitates licite nec ne.* Cap. VI.

TRactatum fecit Bartolus Saxoferratenſis noſter, de Gelphis, & Gibellinis, cum has duas factiones, in oppido Vmbriæ, quod Tudertum uocant ſuo tempore reperiſſet, in quo ſanè multa, aliquid huic rei, lucis afferentia cumulauit, & perpetua quidem commendatione digna, quæ hic tamen referre ad unguem non intendimus, ſed non nulla tantum, uelut adminicula quædam ſtudioſis adiungere, & potisſimum quod in Germania prius ortum habuerunt. Duo enim nobiles erant, horum nominum, Gelphi ſcilicet & Gibellini, duo pariter habentes caſtra, qui æmulatione quadam, perpetuo pugnabant ſimul, ſeditionibusq; inteſtinis animo adeo pertinaci æſtuabant, & rixis ſemper, ut coacti ſint milites Germani, inde diſcedere, quorum aliqui poſtea Gelphi uocari ceperunt, nonnulli uero Gibellini, pro uniuſcuiusq; uoto, hæcq; ſeditioſorum hominum nomina, propagata ita fuerunt, ut in Italiam hoc auſpicio etiam irrepſerint, atque remanſerint uſque in præſentem diem eo in loco, immutata penitus, cœpitq; hæc peſtis (ut memoriæ proditum eſt) anno 1138. alij alia dicunt, quod Friderici Imperatoris ſecundi tempore, cum in Italiam ueniſſet anno 1238. & à Gregorio 9. excommunicatus fuiſſet initium ſumpſit. Is enim, quia ciuitates in eum conſpirauerant, ſe defendere coactus eſt, et tunc Italia diuiſa in Gelphos,

& Gibellinos. qui enim Papæ adhærebant Gelphi, qui uero à parte Cæſaris ſtabant Gibellini dicebantur. Nec ab re poſtea Bonifacius octauus, Procheto Genuenſi Archiepiſcopo, die Cinerum ad pedes eius procumbenti, cum dici à ſacerdote ſoleat, Memento homo ex mutatis uerbis dixit, memento homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris, in eiusq; oculos cinerem iecit, non in caput ut mos eſt. hic eſt ille Bonifacius, qui Celeſtino ſuaſit, ut papatum relinqueret, quiq; captus in carcere mortuus eſt, de quo fertur, quod intrauit ut uulpis, quodq; regnauit ut lupus, & quod denique ut canis mortuus eſt. Florentiæ etiam ſerpſit, anno 1215. ob nobilis Bondelmontis mortem, quiq; cum Boldelmontibus erant Gelphi uocabantur pariter, Gibellini autem qui erant cum Vbertis occiſoribus, ex quo non parum detrimenti tunc florentiſſima & bene inſtituta illa Reſpub. paſſa eſt, & longe magis etiam quàm alia quælibet, quæ hoc eodem morbo laborarit. Sunt quoque qui Gelphos fidei ſeruatores appellatos fuiſſe affirmant, Gibellinos uero bellorum ac rixarum & ſeditionum ductores. & ad prædicta quod adhærentes eccleſiæ ſint Gelphi, Gibellini uero qui adhærent Cæſari, multi etiam ex noſtris dixerunt. & quod aliquando hac de cauſa, pontifices nonnulli fuerunt partiales, præſertim Gregorius

nonus, cuius paulo ante mentionem fecimus. eſt bene uerum quamuis in eadem ciuitate, non habeant locum factiones iſtæ, quod ij tamen poſſunt habere ſtatuta, Gelphi ſcilicet ſua, & ſua Gibellini. & ita ex noſtris conſuluit Raynerius Foro*liuienſis, quod non eſſent licite rurſus, in ciuitate* Tuderti, *tempore quo* Gelphi *expulſi recognouerunt dominium ciuitatis eſſe eccleſiæ* Romanæ, *dicens hanc recognitionem nihil uoluiſſe, quoniam aut fecerunt ut ſinguli, & tunc non præiudicant uniuerſitati, aut ut uniuerſi, & adhuc non potuerunt, quia uniuerſitas eorum non eſt licita, ex quo fit ut per talem recognitionem, nec ius nec probatio iure quæratur eidem, & dicunt inſuper alij quod ſunt paſsiones & partialitates animi, ſicuti amor & odium, non innatæ quia ueniant à principijs rationis, ſed mutabiles, & ſi ſtatutum uelit quod condemnatus ex proditione, pro* Gibellino *habeatur, quod adhuc qualitas innata non eſſet, ſed mutabilis ut amicitia & inimicitia.* Alij *quod ſunt nomina orta ab inuidia, iniuria & diſcordia, quodq; non illuſtrantur ſupremo nomine dignitatis.* Alij *in materia ſi tollerentur iſtæ duæ particularitates* Gelphus *ſcilicet &* Gibellinus, *quod etiam ipſa nomina eſſent ſublata, & nemo amplius poſſet uocari* Gelphus *uel* Gibellinus. Qua *factione denique, ſe ſe* Ligures *omni tempore ad lethalem inſaniam exer-*

euerunt, & hæc ſufficiant, reliqua ſubminiſtrabit tibi Bartolus *in loco ſupra citato.*

De comitibus Palatinis an ſint proprie comites, an posſint in alieno territorio ea facere, quæ ſibi priuilegio conceſſa ſunt, an hoc nomine alij etiam uocentur, & qui denique comites regionum eſſe dicantur. Cap. VII.

COmes proprie (ut noſtri dicunt) ille appellatur qui de comitatu inueſtitus eſt, ita ut Palatini ſine aliquo comitatu & territorio abuſiue comites dicantur. nec in diſpoſitione reſtringibili, comitum appellatione ueniant, dignitatem habentes tantum, abſque adminiſtratione, uentoſaque nomina ut epiſcoporum nullos capientes fructus, ſi eorum epiſcopatus à Saracenis & Turcis occupentur. Qua de re non mirum eſt ſi delicti ratione poſſunt ſemper conueniri, & quod ſit dignitas liquet ex eo (mitto quod hoc ipſum dicat lex) quoniam alias à notario ſiue tabellione non differret, cuius officium publicum eſt abſque dignitate, exerceturq; inter conſentientes, & ſi (ut diximus) proprie comites fuerint, in ſecundo gradu dignitatum erunt, ideſt illuſtrium. eſt uerum quo ad palatinos, & comites ſacri palatij, quod natalibus reſtituunt ſpurios & naturales, creant tabelliones, faciunt

doctores, & alia prout in eorum priuilegijs continetur. Imo *quod ius alienum quoque minuunt, & ſpurcos adhuc natalibus reſtituunt, legitimis etiam extantibus, dummodo ſit in eiſdem priuilegijs expreſſum, & legitimi ipſi conſentiant, alias non. & prædicta omnia ſecundum nos, quoniam* Saxonica *lingua uetere, comes iudicem ſonat, &* Lombardica *etiam, qua ut pupillis & uiduis, ne in eorum deſit cauſis, admonetur. Comites quoque aſſeſſores dicuntur, qui asſiſtunt alicui, ipſum inſtruentes ad rite & recte iudicandum, & aſſeclæ ſi ſequendo aliquem ſe maiorem comitantur. uulgatumq́; eſt comitem proprie in itinere, (quo ad iſtud) ſocium in periculo, in officio collegam, in præmio conſortem, & ſodalem in menſa dici ſolere.* Pædagogi *quoque ſunt comites largitionum, qui largitionibus* Imperatorijs *præerant. & ſi regionum fuerint eos* Lantgrauios *Germani uocant. Si certorum diſtrictuum* Marggrauios, *Burgorum* Burggrauios, *Centuriones* Centgrauios, & *Palatinos denique ut ſupra, qui hoc modo initium accepiſſe dicuntur.* Romani *enim cum certam edomuiſſent regionem, regeſque uiciſſent ſolebant regnorum adminiſtrationem permittere, regiumq́; nomen uel in ducem uel in palatinum commutabant. & licet dubitatio ſit an comes* Baroni, *uel* Baro *comiti ſit præferendus, certisſimi tamen iuris eſt, iſtum, illi ſemper*

eſſe præferendum. & ad palatinorum propoſitum rurſus, quamuis multa etiam hinc inde dicantur, addendum eſt. quod nihilominus ipſi natalibus reſtituere non poſſunt, nec alia facere prout in eorum priuilegijs quod etiam ſupra declarauimus, niſi in locis imperio ſubiectis, aliorum uero puta eccleſiæ & Venetorum, minime, ex quo ipſorum conſenſus requiritur. Quotidie tamen hæc omnia fiunt tacito eorum conſenſu, ut interpretes noſtri aiunt à ſimili, de his qui in exilium eiecti ſunt, ut interfici poſſint & impune quidem, ex forma ſtatuti, niſi fuerint tacito principis conſenſu, pariter tolerati, quia tunc non licebit, hæcq; dicta ex abundanti ſint, et ſufficiant ſatis ſuperq; ſatis.

Quid ſit conſiſtorium, quidq; fiat in eo, an ſolennitatem iuris deſideret, an uero meram ueritatem, & quare denique etiam in conſiſtorio ſignaturæ expediantur. Cap. VIII.

COnſiſtorium nihil aliud eſt quam locus, in quo conſultationis gratia homines conueniunt, ſiue conſiſtentium multitudo, large ipſum intelligentes pro quolibet Iudicis ordinarij, auditorio, ſtricte uero pro loco in quo cum alijs ſedet priceps, tametſi alij dixerint potius auditorium eſſe principis, conſiſtorium uero Papæ, &

male. & ad propoſitum ſicuti epiſcopi & uica rij idem eſt auditorium, ita eſt idem conſiſtorium dei & Papæ. Et ſi regis ſit puta franciæ, omnibus parlamentis dignius antiquius & excellentius erit. Verum nota (quid enim ſit parlamentum ſuo loco dicemus) qualecunque ſit, principis, Papæ, aut regis, quod in eo ſolennitas Iuris non ſeruabitur, nec ſubtilitas locum habebit, ſed mera ueritas. Et quia nemo rurſum tantæ auctoritatis exiſtit, ut poſſit nolẽtem principem coarctare ad ſuos proceres conuocandos, proditũ quoque eſt, nullum fatale currere, imò (adeo uerum eſt ad huc ſubtilitatem in eo reſpui) quod dantur nouæ dilitationes ſi cauſa in conſiſtorio principis uentiletur. Quodq; tunc ſecundum æquitatem proceditur, non ſecundum legem ſcriptam, cum et ipſe princepes conſiſtorij caput, ſit lex animata in terris. Et quod in eo denique fiunt ſignaturæ ſupplicationum, & quando fiunt, eo die omnia tribunalia ſilent, ut maior hominum numerus accedat, & uidentes admirentur, ex concurſu maxime prælatorum & magnatum maieſtatem principis. ex quo fuerũt quidam hinc, qui põtificem Romanum, admirabilem, alij uero qui ipſum mundi ſtuporem appellarunt. Et profectò ſicuti nomen ipſius eſt admirantis, non poteſt ipſe etiam unicus Orbis Monarcha, non admirabilis eſſe, & nõ omnes obſtupeſcere, quia ceteræ dignitates ſca-

bellum pedum ſuorum aſſe pariter dicuntur. & ſi ipſe rurſum admirabilis eſt longe erit admirabilius ex ſupradictis conſiſtorium eius.

Quid ſit curia, & unde dicatur, quomodo hinc curiales deriuantur, & nonnihil denique etiam de Romana. Cap. IX.

QVamuis curiæ uerbum æquiuocum ſit, et multifariam multiſq; modis ſumi poſſit, attamē proprie mihi quidē uidetur, quod ſit locus in quo ius redditur, ſeu prætorium palatiumq; publicum. dictaq; ſit curia etiam, quia de multis ibi cura habeatur. Vel à cura reddendi iuſtitiā, iuſtam cauſam fouentibus. uel à cruore, & curiales hinc (ut aliqui declarāt) ideſt ſanguinem fundentes, ad differentiā eorum qui ſtricte, et large curiales appellantur, ſicuti ſunt decuriones, & qui officia curiæ honeſta uel inhoneſta peragunt. Non omittentes quoque quod ij, qui in aulis principum uerſantur, multa mala & inhoneſta quidem committunt. Ex quo dubitatio iuridica oritur, an iſti epiſcopi eſſe poſſint, cuidam enim ad epiſcopatum electo hoc ipſum opponebatur, quod fuerat curialis, oſtendebat ſigillum regis & admiſſus eſt. alias ſecus ſi officium publicum adminiſtraſſet, quia nec mali ſuſpicione caruiſſet. curia etiam eſt quoddam ius uni-

uerſale, ſub quo principaliter comprehenditur iuriſdictio loci. Item locus extra caſtrum, qui defenditur ab hominibus caſtri. ſeu in quo homines conſiſtentes caſtrum defendunt. Et quandoq; quoque ſumitur pro territorio, ſiue comitatu ciuitatis uel caſtri. Eſt & curia Bulgari in qua conſuetudo illa inducta eſt, quod uxor relicta domina & uſufructuaria bonorum mariti, habeat ut habebat eiuſdem mariti tempore, maxime extantibus maſculis, præminentiam in domo tantum, et non aliud; ſecus uero ſi maſculi non extarent. Et curia in feudis, quadruplex, Domini, omnium partium complexiue, partium electorum, & iudicis ordinarij, & Romana, quæ ibi eſt Papa, uaria fragilis, & incerta, ſuis tamen temporibus ſequenda. & uaria propter mutationes pontificum, auditorum, & aduocatorum, quia neceſſe etiam eſt, ut obſeruantias ſuas mutet, ſequenda tamen (ut dixit) quia magiſtra eſt omnium, ſtylusq; eius & conſuetudo conſtitutioni innititur, & pro conſtitutione obſeruandus, obſeruandaq; eſt. Et inter cetera ortographiam ualde curat, quia eius ui literæ apoſtolicæ iudicantur defectiuæ & reſcribende, omniaq; ſubtiliſſime ruminantur ibi & tranſeunt ſicuti per purgatorium quoddam. neque facile eſt cuiq; eam adire pro iuſtitia obtinenda, ob ſumptus & expenſas, quæ fiunt ea de cauſa. Dicta ipſa quoque à cura propter fre-

quentes curas quæ ibi adhuc ſunt. Et ultimo loco curia quoque Germaniæ ciuitas antiquisſima ex tructa alias animo Chriſti CCCLVII. à Rheno diſtans itinere dimidiæ horæ, munita turribus, elegantisſimisq; domibus ornata. vel dic quod ſit etiam planicies terræ, & aduocatio iuridica. & breuiter uerbum indifferens, quod ſumi debet ac referri, ſecundum materiam ſubiectam. uſque adeo ut hac de re, ſi in ordinatione facta in proceſſu alicuius cauſæ, dicatur uiſis actis, curia ſic ordinat, talis ordinatio ualeat. Non tamen prætermittentes iſtud ipſum quoque, quod Tribu etiam fuit, ideſt curia, à tributo dando ſic appellata. Vel Tribu ideſt progenies à tris dicta, quia à principio Romani homines, trifariam partiti fuerunt à Romulo, in ſenatores, milites, & plebeos. Imò quod quinque & triginta tres tribus, quæ etiam curiæ (ut diximus) uocatæ fuerunt, in iudicio Populi Romani, reum ſuffragijs ſuis uel damnabant, uel abſoluebant. Athenis quoque duæ erant curiæ, quingentenaria, quæ de pecuniarijs iudicabat cauſis, & Areopagitarũ quæ publicis iudicijs occupabatur, ut Venetijs Quadraginta uiri, qui tum pecuniarias tum capitales iudicant pariter. Sed ad curialis propoſitum, quale eſt eius ſymbolum? ſi canis capite humano pingatur, qui aſſecla ſit regis, his uerbis in baſi inſcriptis. Si Ariſtippus crudis oleribus, didiciſſet

eſſe contentus, canis regius utiq; non eſſet, ſymbolum erit curialis, cum quo finio, quia de curia deq; curialibus dictum eſt ſatis.

Quibus cuſtodia ſit maxime neceſſaria, Cuſtodiæ ſignum quale, et quo in loco poni ſoleat, ſi filius in cuſtodia matris relinquatur, an uideatur facta tutrix, & ſi iubeat denique Iudex, *aliquem poni ſub cuſtodia, an in carcerem mitti debeat.* Cap. X.

SI *cuiquam cuſtodia maxime eſt neceſſaria, eſt inquam* Tyrãnis, *qui in libera ciuitate dominationem ui occupant, ut olim* Pyſiſtratus Athenis, Dionyſius Syracuſis, Nabis Lacedæmone, Sylla & Cæſar Romæ. *quiq; non principes ſed peſtes, ſunt ciuitatibus,* Thurreni *prius appellati, à* Thurrheno Lydorum *duce, poſtea* Tyranni *à præcipua eius gentis crudelitate. timent enim ſemper, eoq; fit ut infelices etiam habeant ſemper exitus. uſque adeo ut non ab re* Thales Mileſius *interrogatus quid eſſet difficile, uidiſſe reſponderit* Tyrannum *ſenem.* Trecentosq; *equites ad ſui cuſtodiam elegerit* Romulus, *quos celeres appellabat.* Cuſtodia *egent quoque ſontes, & qui in carcere continentur. feruntq; luna in nocturna genitura natos exiſtente, carceri præponendos, ſiue cuſtodiarum cuſtodes eſſe.* Imò *quod*

carcerarios ipſos, ac damnatos, cuſtodias uocabant, exempli gratia (ut noſtri dicunt) his uerbis idem ſignificantes. Carceri præpoſitus, ſi precio corruptus, ſine uinculis agere cuſtodiam, uel ferrũ uenenumue, in carcerem inferri paſſus eſt, officio iudicis puniatur. Item ne quis receptam cuſtodiam, ſine cauſa dimittat, mandatis ita cauere. Milites ſi cuſtodias amiſerint. ipſi in periculum deducentur. pluraq; huiuſmodi ſunt non referenda breuitatis cauſa. eſt bene uerum ad propoſitum tamen, quod ſi Iudex præcipiat aliquem, ſub cuſtodia poni, quod carcerem deuitabit. ex quo aliud eſt in carcerem mitti, & aliud ſub cuſtodia detineri. quodq; uerba bene attendi debent, quãdo captus cuſtodiendus aſſignatur, iuxta illud regum. Cuſtodi uirum iſtum, quod ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius. ex quo fit ſicuti depoſitario, rei cuſtodia committitur, ut pari modo commentarienſi perſonarum ſiue cuſtodiarum (ut ſupra) cuſtodia commitatur. Relinquitur plerunq; etiam filius à ſimili, ſub cuſtodia matris, ſed quia cuſtodiæ nomen non trahitur ad officium tutelæ, ſciendum eſt, quod non propterea ex his tutrix eſſe dicetur. Caſtra etiã cuſtodia indigent. & uetus dubitatio eſt, an Domini ad id ſubditos cogere posſint, deciſa ex multis non poſſe. Id unum quoque haud prætermittentes, quòd cuſtodia rurſum eſt quid indiuiſibi-

le, quodq; codex communis ab unoquoque pro poſſe cuſtodiendus eſt, ne rationes ad ignoti per ueniant manus, & conturbentur. Cuſtodiuntur templa, ex quo fit ut non ab re ualuis ipſorum Leones, architecti cuſtodiam ſignificantes ſculpant, poſtesq; pulcherrimo hoc ſymbolo exornent undiq;. Item urbem ne dum caſtra ut ſupra, ædes, Theſauri, filij, filieuæ, imperia, præcepta, leges, fama, & cetera quæ uel auferri uel lædi modo aliquo poſſint. Et ſi quæ tandem cuſtodia ab homine deſideranda eſt, cum pſalmo dicat, Eripe me domine à uiro iniquo, ab eo qui acuit linguam ſicuti ſerpens, quiq; uenenum habet in labijs, cuſtodi me de manu paccatoris, & ab hominibus iniquis rurſum eripe me. pone cuſtodiam ori meo & oſtium circunſtantiæ labijs meis.

Quod cor eſt principium uitæ, an ſit paruum uel magnum, quomodo ſe habeat in homine, an ſit rurſus uenarum & arteriarum fons, & quid denique ſibi uelit ſymbolum illud Pythagoricum, cor edendum non eſſe. Cap. XI.

Sine dubio principiũ uitæ eſt cor; habẽs (ut inquit philoſophus ille grauisſimus Albertus magnus) ſicuti omne principium uniuerſale; influẽtiam ſuæ uirtutis ad omnia, ſedes animæ, fons uenarum & arteriarum, tanquam rex & cuſtos,

ac dominus arcis,paruum quantitate,uirtute tamen magnum pyramidalis formæ, ſignum ſanè excellentis caliditatis,& breuiter in humano corpore,ut in orbe intelligentia prima, ex quo non ab re fit, ſi uulgo dicitur, Cor *contritum & humiliatum deus non deſpicies.* Cor *deus interrogat, non manum aut caput.* Cor*dis inſpector eſt deus.* Im*duratum eſt cor* Pha*raonis.*Cor *regis in manu dei. Surſum corda, & ſimile,ut pote, quia omnia à corde proueniant, & in quo uoluntas omnis, cogitatus affectusq́; noſtri conſiſtant pariter.* Im*ò quod non alia ratione,*Cor Promethei *in* Cau*caſo(fabula nota eſt)illo monte relegati, aquila tundit,niſi ea ratione quia huiuſmodi ſymbolo, non aliud, quàm triſtis & alta cogitatio ſignificatur,nec* Py*thagoricum illud,* Cor *edendum non eſſe nō ſemper corrodendum, alia quàm animum triſtitia curaque asſidua pariter haud eſſe affligendum.* Q*uod faciunt ij, qui auaritiæ ſtudent,qui luxuriæ dediti ſunt, quiq́; ſuperbiæ ſe altisſimo fore ſimiles, ſine ſale contendunt, ea de re bene dictū eſt alibi, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* For*nicatio uinum & ebrietas auferunt cor.* Su*perbia cordis tui extulit te,habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſoliū tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram?* Mu*ndum igitur ſit cor noſtrum, ipſumq́; etiam cum ad deum ordinatum ſit,in deum*

O

dirigamus. Item ad dexteram bonorum æternalium, non ad ſiniſtram temporalium, quia cor ſapientis eſt adhuc in dextera eius, fatui uero in ſiniſtra. Quod à ſimili nos quoque flumina docent, ad mare labentia, docet & ignis cuius proprium eſt, in ſublime ferri, & aſcendere, nec non uiator qui recto tramite, ad terminum tendit. & quod præcipuum quiddam in homnine ſit Cor. uulgo ſolemus etiam, cum dictum aliquod egregium ac ſingulare docentes extollimus exclamare ſæpe, hoc ipſum digito cordis alliga, quo rurſum anulos geſtamus, & in amicis ſi uere amici ſunt, uidentes adhuc quomodo opus cordi, Cor uero uerbis, indubitato quodam affectu reſpondet, Cor mundum igitur in nos creet deus præter cetera, & ſpiritum rectum innouet in uiſceribus noſtris, ipſumq́; ex toto diligamus corde, & ad cor altum denique accedamus, quia ſic, ſic inquam exaltabitur ipſe deus.

Credulum eſſe, ſeu credulitas, an ſit error uel culpa, uel potius leuitas quædam, quæ reprehenſionem habent, qui facile credant, deq́; huius uerbi ſignificatione multiplici. Cap. XII.

CRedere non facile debemus, quoniam qui cito credit leuis eſt corde, imò quod nec bono uiro etiam creditur, quodq́; imputatur quis

ſi fuerit credulus, & quod credulitas uituperdã bilis eſt. Dicunt tamen aliqui facilitatem in credente ad præiudicium alterius, bene reprobari, & quod prælatus ſeu iudex hoc caſu, facile credere non debet, referenti, ſed ubi credere non tendit ad præiudicium proximi, quod tunc non eſt uituperanda facilitas ſed laudanda potius bonitas in ſignum innocentiæ. Credendum eſt etiam optimis conſilijs, nec abſque illis aliquid agendum eſt, quia quæ conſilio geruntur, firmitate nituntur. & ibi multa ſalus ubi multa etiam ſunt conſilia. Cordi non minus quàm unguento & odoribus uarijs, grata ac delectabilia, & ſi credulitas in ſe quidquam indignum habet, id error eſt potius quàm culpa, faciliusq; credunt fœminæ, quàm mares, iuuenes quàm ſenes, ægroti quàm ſani, miſeri quàm beati ac felices, & ſimplices denique quàm aſtuti. Imò (quicquid dictũ ſit) quod credulitas ſi nimia fuerit, quandoque pro crimine etiam habenda eſt, quodq; mollis & tener animus facile huc atque illuc impellitur, illi qui leuibus offenſis quoque frangi, ac debilitari ſimilis. & ad propoſitum ſciendum eſt, incredibilia ea fore, quæ ſuperant hominum fidem: Contra uero ſi in hominis ſenſum cadant, probabilia & referenti credenda. dummodo aut doctrinæ & eruditionis aut morum & uitæ defectio haud poſſit eidem imputari, nam ad idem

dicebat Chriſtus D. noſter, cui nihil obijci poterat, quis ex uobis arguet me de peccato? ſi ueritatem dico uobis, quare non creditis mihi? & credulitatem inſuper medium eſſe, inter ſcientiam & neſcientiam; ad quam gradibus quibuſdam, ſuſpicione ſcilicet, opinione, & confesſione peruenitur, atque ultimo loco, uerbum iſtud quoque, aliam ſignificationem habere, & quandoque fictionem, nonnunquam obedientiam, interdum commisſionem, & ſæpe etiam conſenſum oſtendere, & licet ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere, ſæpe tamen ignoramus, quid alius crediderit, crediturq́; id credidiſſe quod dixit, etiam ſi cauſam credulitatis non expreſſerit. Nec omittentes adhuc uerbum credere, ſeu credit alias aſſertiuum non eſſe, nec præciſum, eoq́; litis conteſtationem haud fieri, ex quo per negationem uel confesſionem fieri ſolet.

De his qui non ſecus, ac ſi pedibus habuiſſent alas, uelociter currebant, quæ præter cetera uelocia ſint, quotuplex ſit curſus, & quo modo eiuſdem celeritas, non modo utilitati in re bellica laudabilis eſt, uerũ etiam ſaluti. Cap. XIII.

Licet currere nil aliud ſit quàm uelociter uerſus aliquem terminum ſe mouere, nec fraudandi hac laude Troglodita, quos pernicisſi

mis pedibus fuiſſe teſtatur Herodotus, grauisſimus auctor, non Caniſtius Lacedæmonius, non Alexandri Philonides, & Ladas. Qui pari modo alites potius quàm homines, eſſe uidebantur. Qualis etiam Polymneſtor adhuc puer ille Mileſius, Pelopidas Thebanus, Papyrius, Sertorius, Pompeius, Alexander ipſe Macedonicus, & ille tandem, quem unice uelocem pedibus appellabat Homerus poetarum maximus, antiquitatis parens, locum uero in quo omnes inde uicerat δρόμον ἀχίλλεω idest curſum Achillis. Tamen modus etiam in currendo adhibendus eſt, ne currendo curſores fatigẽtur (iuxta illud philoſophi, acres in principio, franguntur in fine) & ante terminum deſiſtere compellantur. Vnde & bene etiam Lyricus poeta, hoc ipſum expresſit dicens,

Coſi il deſio che ſeco non s'accorda
Ne lo sfrenato obietto uien perdendo
Et per troppo ſpronar la fuga è tarda.

Vnde ad idem; qui nimium properat ſerius abſoluit. Imò belluarum exemplo, hoc idem curſores agere debent, qui non ſtatim curſu pariter, ſibi ſecuritatem cõparant, præſertim lupus, (ut experientia docet magiſtra rerum efficax) ſed certo quodam modo, ſe ſe ad id accingunt, & cum necesſitas urſerit uelociter mouentur. In Ioanne & Petro etiam præfiguratum, ille enim præcucurrit citius iſto, inq; monumẽtum domini intra-

uit iſte adhuc, tardius. eſt etiam curſus naturalis ſtellarum, certus & conſtans, lunæ & ſolis, uerborum, rerum, uocis, à uita ad mortem, ſeu (& melius) à morte ad uitam. Nihilque uelocius tempore, & cum breuis ſit hominis uita, hac de re conſolari debet, quia curſus quoque ad gloriam eſt ſempiternus, & ſi celeritas laudem habet, in re bellica maxime laudabilis eſt, quoniam non modo utilitati, & commodo nobis eſt, & conſulit, uerum etiam ſaluti.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE,

LIBER QVINTVS.

DE CONCLVSIONE IN CAVSA quid ſit, deq́; eius effectu, An poſtea aliquid iuris uel facti produci poſsit, Quibus uerbis uterentur ueteres, & an in criminalibus iudiciis concluſio in qua tota libelli uis conſiſtit, eſſet neceſſaria. Cap. I.

QVONIAM (ut noſtri dicunt) tota uis in cõcluſione conſiſtit, ex quo libellum declarat, ſciendum eſt fore determinationem, & exitum totius orationis. quodq́; rurſum ab ea dependet tota forma libelli. & quod ipſius aptitudo atque ineptia ſtat in concluſione. attendenda etiam in reſcriptis. Vnde ad propoſitum uulgo quoque dicitur, non eſt uis quid narretur, ſed quid concludatur. ſufficerentq́; ad idem uerba precatiua, uel ſupplicatiua. & maxime termini aliquid miſericorditer implorantis. & licet tacite ex mente loquentis, colligi poſſe uideatur, & ex narratis ſequatur, tu

tius tamen eſt ſi ſpecifice adijciatur. licet rurſum in excipiendo neceſſaria non ſit, ſufficiatq́; factũ narrare abſque concluſione, puta quod dicat quis ſe eſſe clericum, & forum declinet ſeculare. Neque *in ſupplicatione, quæ etiam ſine concluſione procedit, quod tamen non firmo, niſi ſit in ea conſultatio potius quam petitio.* Pro *indubitato tamen habentes in multis alijs caſibus, iudiciũ procedere, quanquam libellus concluſione careat, præſertim ſi criminalis cauſa fuerit, ex quo iudici concludit lex, & non accuſatori. & ad commodum fiſci non priuati ſemper.* Vel *iura realia, quoniam inhabilis abſque concluſione toleratur hoc quoque caſu.* Vel *ſi* Iudex *ex officio poſſit ſupplere: aut in eo apponatur clauſula illa quæ habet,* Et *de prædictis peto mihi ius & iuſtitiam miniſtrari.* Vel *& ultimo principi porrigatur. et etiã ubi proceditur ſine figura iudicij. Sed quid de concluſione in cauſa, quæ fit eo ipſo quod renunciatum eſt allegationibus, productionibus, & alijs iuribus partium, quæq́; eſt non cognoſcere ſed cognitum eſſe? & effectus eius nihil poſtea, iuris uel facti produci poſſe, niſi aliqua iuſta cauſa iudicem moueat, uel notorium ſit id quod pars producere intendebat?* Dic *quod & ipſa neceſſaria eſt, in requirentibus figuram iudiciorum, alias non, ſed ſufficit proceſſus publicatio. quæ communiter præambulum eſt ad ipſam*

concluſionem in cauſa, eo caſu quo neceſſaria eſt, ſicuti primum decretum ad ſecundum, & actio ad exhibendum rei uendicationi. Et *ſi dubitetur rurſum an concluſio in cauſa reſpiciat præterita uel futura, re ipſa patet, reſpicere præterita, uſque adeo ut fructus percepti poſt eam, etiam in iudicio ueniant.* Et *quia (ut dictum eſt ſupra) tunc concluſum in cauſa dicitur, quando renunciatum eſt omnibus probationibus, optimũ erit ſi iudex hoc ipſum faciat, ſaluo iure reuocandi concluſionẽ in cauſa. & ſi terminus aſſignetur ad probandum, & probatum habendum, per omne probationis genus, iſtud uim habebit concluſionis in cauſa.* Sed *quare eſt, quod poſthac nihil amplius produci probari'ue poteſt?* Reſpon*de hoc ideo eſſe, quoniam paria ſunt ſententiam latam fore, & in cauſa concluſum; ſed poſt ſententiam nihil produci poteſt, ergo neque poſt concluſionem in cauſa.* Quod *tamen uerum intellige, in his quæ ſunt de natura litis, quia ſi eſſet beneficium aliquod extra litem, ſecus.* Vnde *in peroratione cum finimus hac de re, uerbo,* Dixi, *utimur, & mittebant iudicem in conſilium ueteres, quando omni allegatione finita, dimittebatur, ut ſententiam ferret.*

Defenſio naturaliter ineſt omnibus, neque tolli poteſt niſi in caſibus. Quid ſit, Quotuplex ſit, & an aliquis aliũ defendere teneatur. Cap. I I.

SCio me alibi in collectaneis de defenſione multa quantum ſatis ſit dixiſſe, ſed tamen quia inueniendis (ut eſt in prouerbio) inuenta non obſtant, naturaq́; nouas ſemper deproperat edere formas, aliqua etiam addenda ſunt, & potiſſimum quod naturaliter ineſt omnibus. Imò quod iure gentium ciuili & diuino permittitur, Et hac de re dicimus quod eſt multum fauorabilis, & ſi quis defenſionem allegauerit quod abſolui debebit, quodq́; probari poteſt uere uel præſumptiue, & quod probatio defenſionis denique præ ceteris eſt multum priuilegiata. (admittuntur enim teſtes hoc caſu, qui alias repellerentur) et quod tolli inſuper nõ poteſt, etiam ſi pacto uel ſtatuto tollatur, uel à principe, ſi tamen defenſio mera ſit, quoniam ſi uim offenſionis haberet, effectumq́; mixtum ſecus. Vel ſubeſſet aliqua iuſta cauſa, puta in pœnam inobedientis, aut notoriũ eſſet non competere. De facto quoque prohiberetur, quando offenſio eſſet licita. Et ſi quæratur quid ſit, dicam nil aliud eſſe in ſubſtantia, quàm protectio quædam, & in qualitate uerſari, circa tria, ne fiat cum exceſſu notabilis quantitatis, cõiuncta ſit uel quaſi offenſioni, ab aduerſario il-

latæ, & cauſa defenſionis iuſta. Et *ſic clarum quod ibi non cadat, ubi non eſt impugnatio.* De*ſenſio etiam eſt proprie, & uera quidem, quæ de facto uel de iure crimen excludit & perimit, nõ illa quæ proceſſum retardat.* Et *plus quod negatio quoque defenſio eſt, ſiue negetur ius ſiue factum. & longe clarius quàm ſupra dici rurſum poteſt, cum unicuiq; competat, cum moderamine tutelæ inculpatæ, quod moderamen hoc in tribus conſiſtit, in qualitate, in tempore, & in defenſione ipſa, ut fiat eiſdem armis quibus ſit offenſio, incontinenti, & animo ſe defendendi non ulciſcendi. quodq; animus conſtat ex tribus pariter, ex qualitate, facti ex qualitate perſonarum, & quia aliud remedium non erat.* Et *licet ponere manus ad arma ultimum refugium ſit, nihilominus ex quo natura (ut diximus) hoc ipſum permittit per fas et nefas, inque nobis inſita ſit. dulcedo quædam uiuendi, non debet quis pati ut percutiatur, maxime quia hoc idem ſeruile eſt & inhonoratũ.* Differt *etiã defenſio & exceptio: ex quo hæc actionem oppoſitione reddit nullam, illa uero ipſo iure annullat intentionem agentis.* Et *hac de re ſi ſtatuto tollatur exceptio, non tamen tollitur defenſio. adeo fauorabilis etiam præter cetera, ut pater filium, & contra maritus uxorem, ſeruus dominum, clericus eccleſiam, ſponſus ſponſam, ſocius ſocium, et ſimile iuuare poſſint, et*

*teneantur.*Imò *quod quilibet poteſt illum defendere,qui uiolentiam patitur, licet nullo iure teneatur, ciuili uel canonico exceptis caſibus ſupra dictis.dictatq; humanitatis ratio, ut eidem etiam inuito,nō minus quàm ſepulturæ mortuorum faueamus. & ſi de ſalute patriæ ageretur, clerici quoque arma ſumere poſſent.*Arietē *quoque pro defenſione* μεταφορικῶς *ponit* Cicero. *et haſtas quas nos patronis miniſtrare dixit, ideſt ius ſuggerere, quo patronus ſe ipſum tanquam miles haſta defendat.*Et *quod defenſio naturaliter (ut dicebam ſupra) omnibus inſit liquet ex eo,quod mures ſeſe denticulis utcumq; tuentur.* Apiculæ *læſæ ſæuiunt aculeo. ciconia quam odit ueſpertilio,nidum platano munit.*Apio Hirundines.Columba Lauro.Accipitres *hieracio.*Coruus *aro.* Verbenaca Cornix. Turdus *myrto.* Arundine *perdix. &* Aquila *auium regina denique* Gallitrico *ſiue hormino.hæcq; corollarij loco affluenter dicta ſint,ut præmoniti nos quoque, quaſi defenſione quadam, obtrectatoribus occurramus, eorumq́; ac aliorum perditorum hominum conſuetudinem deuitemus.*

Quid ſit Dialectica,*quo modo abſque ea non facile pateat aditus ad ceteras diſciplinas; qualis ſit eiuſdem lex, & qualiter eius officium diuidatur.* Cap. III.

SI cupias ſcire quid ſit dialectica, dic quòd eſt diſputandi ars, per quã aliquid aut probamus, aut improbamus, ex interrogatione itidem & reſponſione diſſerentium. Vel breuius quod ſit ueri & falſi quaſi diſceptatrix, & iudex, diſciplinæq; lex affirmatio aut negatio. Vel & adhuc aliter quòd ſit ars docendi rem uniuerſam, diſtribuendi in partes, explicandi latentem diffiniendo, explanandi obſcuram interpretando, uidendi primum ambigua, deinde diſtinguendi, poſtremo habendi regulam, qua uera uel falſa iudicentur. Ex quo fit ut non ab re, omnium maximam dixerit Seruius Sulpicius, & quaſi ducem ad ea quæ ab alijs docentur, quem Cicero Scæuolæ quamuis legũ olim peritisſimo præfert, quod Dialeticen ſcientiæ iuris addidiſſet. Teſtatus amplius fieri non poſſe, ut ceteras diſciplinas ſine ope & adiumento Dialectices adipiſcamur, & certe non tantum opum aut diuitiarum merciũ ille pater Oceanus orbi conuehit uniuerſo, quantũ artiũ una hæc Cyclopediæ Dialectica. nec ullo pharmaco magis, aut uegetũ aut acre, nulla harmonia reddi poteſt, ingenium elegãtius. A Rhetorica maxime diſcrepãs, quia illa ad rem, iſta ad uerba pertinet. illa rurſum breuius iſta fuſius rem eloquitur. Et quia Dialectica primas cauſæ lineas ducit, ab eaq; neruos & robur orationis petimus, Rhetorica uero orna-

tum,uiuoſque colores adiungit. Quas Zeno Stoicus pugno,apertaque demonſtrabat manu. Meri ergo ſunt ex his hiſtriones, qui hac errent arte, quiq; ſine ea putant ſe alijs artibus ſatisfacere, poſſe (ut dictum eſt ſupra) ſpurij à Platone appellantur,procul ab omni literarum tractatione ſubmouendi ut ſpurij ab hæreditatibus. Verum eſt Dialecticam contentioſam eſſe, & pertinacem profectamq; (ut aliqui aiunt) ab ingenio diabolico: imo quod & Cicero ipſe ſic eam, dialecticosq; etiam deteſtatus eſt. omnes dialectici amphibologias aucupantur. Alieni ſermonis moleſti interpellatores ſunt,et ſcripti ſui tum odioſi, tum laborioſi interpretes. & dum caute ac expedite loqui uolunt,infantisſimi reperiuntur. huius infantiæ diſciplina igitur garrula contemnenda eſt. Sua tamen laude non caret quod oſtenſum eſt ſupra, & experientia magiſtra rerum efficax docet, & ipſe Cicero adhuc, multis alijs in locis,palinodiam recantat,gloriaturque Diodorum græcum hominem præceptorem habuiſſe apprime doctum,& quamuis (ut dictum eſt)iuri noſtro Seruius Sulpicius dialecticem addiderit, nobiſqueneceſſarium ſit ne dicam utile,aliquando dialectice loqui, propter prima principia, differt tamen hæc noſtra iuris peritia in multis à Dialectica.Nos enim genus dicimus,quod apud dialecticos eſt ſpecies. ipſi uerborum corticem:

conſiderant, nos mentem. Voluntq́; in alternatiuis, quod ad uerificationem ipſius, ſufficiat ſatiſque ſit, alteram partem eſſe ueram, ubi nos plerunque eam pro copulatiua ponimus, ad cuius ueritatem requiritur concurſus utriuſque copulati, & quod deniqué oratio particularis, in uno tantum uerificetur, ſecundum nos uero, uniuerſalis ſit, & non uerificetur niſi in omnibus, quando contrahentium mens colligi poteſt ita fuiſſe ex præcedentibus. Et breuiter ut finiamus dicunt Dialectici officium tripartitum fore, inq́; diſiunctionibus conſiſtere, diuiſionibus & concluſionibus, in diſiunctionibus demonſtratio, in diuiſionus dialectica, & in concluſionibus ſophiſma.

Qui proprie doctor dicatur, Vnde dicatur, quæ docenda ſint, quo modo probet quis ſe eſſe doctorem, An doctoratus ſit dignitas, an dicta doctorum posſint allegari, & an probabilia ſint, uel neceſſaria, an ſit iudex, & cuius, ſeu in quem iuriſdictionem habeat, aliaque in materia pulchra & non contemnenda. Cap. IIII.

DE doctore multa dixi alias in libello locorum communium 42. unà cum Dialogis impreſſo, ſed multa etiã dicenda præter ea ſuperſunt, maxime quod doctor is proprie eſt, qui actu

docet. licetq́; ex eo uidere, quia (mitto quod Vl*pianus noſter etiã hoc dicat) ad* Trebatium *ſcribens* Cicero *ſic ait.* Libri *iuris ciuilis quanquam plurimi ſunt doctorem tamen lumenq́; deſiderãt. et alibi ſæpe. dictus etiam à docendo. et in* Gallia *potisſimum uſus loquendi ita ſe habet. uſque adeo ut ceteri non doctores ſint ſed licentiati, communiter tamen quia (ut memoriæ proditum eſt)* Romanus *ex noſtris, licentiatus fuerat, & nihilominus docebat* Bononiæ. Et *ad propoſitum doctoris quidquid ſit, habe, quamuis à tutela uacationẽ nõ habeat, quod multis tamen alijs priuilegijs gaudet. quod uehiculis utatur in urbe, inqua eſt* Imperator. Quod *ſit* Vicarius *imperij, ſi annos* 20. *docuerit.* Et *comiti* Duci'*ue par ſit & æqualis.* Ne *inuitus ad iudicium trahatur.* Quod *à præſide eidem ſcribente aliquid, uocetur pater.* Quod *à muneribus perſonalibus realibus & patrimonialibus ſit excuſatus.* Quod *ſolo ipſius teſtimonio credatur ſuper peritia ſcholaris.* Quod *ſit executor contra exercentes ludos uetitos.* Quod *eius interpretationi ſtetur, probabili niſi inquãtum iuri obuia ſit.* Et *quod denique iuriſdictionẽ habeat in ſcholares ſuos, non clericos tamen, & nolentes.* Ex *quibus omnibus & alijs ſanè multis, quæ ratione breuitatis cõſulto prætermittimus, conſtat doctoratum dignitatem eſſe.* Imò *quod etiam doctores ſacerdotes appellantur, ſacra iu-*

ra & leg. adminiſtrantes. ex quo fit ut non ab re anulo aureo cohoneſtentur, in prælationis & eminientiæ ſignum. auroq; lux repreſentetur, qua nihil eſt nobilius, & de doctore intelligo qui cathedram faciat, non cathedra doctorem, quoniam eſſet tũc ſicuti aſinus ille Cumanus, qui cum leonis induxiſſet exuuium, ſibi ipſe etiam uiſus eſt aliquando leo. eſt bene uerum (ſupradictis addentes) quod eidem credendum eſt potius, conſulendo quàm legendo, ex quo eſt actus magis deliberatus, quodq; ciuis eſt loci etiam in quo docet. Et ſi geſſerit ſe pro doctore, cum tamen non eſſet talis, quod tenebitur crimine falſi. Dictu quoque mirabile eſt, quod etiam quis ſi notorie fuerit doctus, ſine examine poterit approbari, & ſi de doctoratu dubitetur, probabitur priuilegio. uel ſi amiſſum fuerit aut incendio perierit teſtibus, uel quod decennio ſe pro tali geſſerit, ſatiſque erit. Neque examinari poterit niſi iuri ſex annis operam dederit, & ſi exauctoratus fuiſſet non habebit teſtamenti factionem, etiam in quaſi caſtrenſibus. Quod ſæpe Neapoli euenit, et quia proprie (ut dictum eſt) doctor a docendo uocatur adhuc ſcire expedit, quod docendi modus triplex eſt, diffinitiuus diuiſiuus & exemplificatiuus. quodq; utilia docere debet, & inutilia prætermittere, ut ij qui legunt roſas, qui ſentes deuitant pariter, & eſſe in docendo facilis,

facilemq́; ſe auditoribus præbere et nihil eiſdem occultare, quia nec eſt (ut prouerbio aiunt) abſque ſocio iucunda poſſesſio, candidasq́; & apertas muſarum ianuas eſſe oportere, & ſi pro mittat maria & montes, ei non eſt credendum, & quia habitus uirum oſtēdit pro ſigillo prædictorum, non rurſus omittendum, publice non ſecrete doctoreis infulis exornari, uarumq́; hinc ipſum ferre debere, ut ab alijs dignoſcatur, & præter cetera quod militi etiam preferēdus eſt, reliqua in locis communibus (ut ſupra) pro motu animi tui legito.

Non eſt uicus, qui detractoribus nō abundet, Quiſque ſuos detractores habuit, Quod quidam putant obtrectationi alienæ ſcientiæ, ſibi famam poſſe aucupari, & quo modo hoc genus hominum ab omnibus ſtudioſis bonarum artium atq́; diſciplinarum contemni debeat. Cap V.

ADeo contriſtatus ſum hoc mane, & alias ſæpe, cum legiſſem ingratum diſcipulum Baldum Peruſinum, præceptorem ſuum Bartolum Saxoferatenſem lumen illud noſtrum iuris à quo quicquid boni habet, ceu à fonte riuulus hau ſerat, temerario auſu Doctorellum appellare: ad eoq́; ſtomachatus ut non potuerim nō excandeſcere, & certe difficile eſt aliquando (ut ille ait)

*Satyram non ſcribere.ſed quia peſtis hæc ubiq; ſemper inualuit,ſuoq; tempore quiſque detractores habuit:*Homerus Sagarim,Xenophontem: & Zoilum:*Heſiodus* Cecoprem, & Xenophanem:Simonides Thimocreantem, Pindarus Amphimenem: Alcibiades Hyperbolum: Thales Pherecidem, Anaxagoras Soſybium, Cicero Clodium, Scipio Carbonem, Plato Ariſtotelem, & Eubilidem *ipſe denique,parum curandum eſt.* Maxime *quia ſic obtrectat etiã luſciniæ cuculus,& quia regiũ eſt(dicebat* Alexander*) cum bene feceris male audire.*Noſtri *fuſius,maledictum ſi ex leuitate proceſſerit contemnendum,ſi ex inſania, miſeratione dignum fore, ſi uero ab iniuria remittendum.*Imò *quod effrenati oris,atq; iniuſtæ amentiæ finis eſt infelicitas, uetusq; prouerbium in detractores,à* Thorace *cauendum eſſe.* Daphitus *enim* Grammaticus *quidam reges meledictis inceſſebat à ciuibusq; ſuis in* Thorace *monte urbi finitimo cruci affixus eſt, & iure merito. eſtq; ad propoſitum hac de re ingens periculum aliquid edere. & plus quod quidam tam iniquo ſunt animo ut putent etiam obtrectatione alienæ ſcientiæ famam & gloriæ fumum,ueluti* Templi Ephesini *incenſor ille ſibi poſſe aucupari. uſque adeo ut* Hippaſus Metapontinus Pythagoricus *detractorum calumnias ueritus, ſcriptum nihil reliquerit,ſilentioq; perpetuo tacuerit.* Pyrrho

eodem pudore percitus, compluresq; alij doctiſſimi & præſtantisſimi uiri. præſertim quia eorũ natura eſt, laudabilia tacere, calũnias quærere, Theonino dẽte lædere, non audẽtes corã cõgredi, ſed à tergo ſparſis probris hominem contaminare. & licet plerunq; reſpondentes publice detrahant id tamen libenter in angulis legunt & obſeruant. ſed hoc hominum genus (ut dixi) contemnamus & cum Plinio dicamus. Optima quæque malunt contemnere pleriq;, quàm diſcere. reperient aliquando ſimiles labra lactucas. continget malo modo malus cuneus. putemusq; ſemper nobis nec animum nec ocium eſſe, cum hac luctari ſcabie, quodq; repræhenſiones uitare non poteſt, niſi qui omnino nihil ſcribit.

Qualis debeat eſſe præceptor, qualeq; ipſius officium, quod non minus præceptoribus debeamus, quàm parentibus, an ſint neceſſarij. & an in pueros iuriſdictionem habeant, ut doctor in ſcholares, quod ſupra loco ſuo declaratum eſt ſatis. Cap. VI.

ILlud certum eſt atque indubitatum, talem cuique præceptorem eſſe debere, qualem habuit Achilles, phœnix enim à Peleo patre (ut eſt apud Homerum) eiuſdem curæ tunc præficitur, cui foret & dicendi & faciendi ductor ac magiſter. in

corruptis ſcilicet moribus, & cuius uita nullis criminibus obnoxia ſit. nec ab re quoniam euenit poſtea, ut quemadmodum coloni ſepes arbuſculis circumponunt, ita præceptores (ſi huiuſmodi fuerint) conſona diſcipulis inſtituta, & admonitiones inſerant, unde rectisſima morum germina pullulent. dicantq; ex noſtris quidam, quod bonus quis ſeu malus, ex pluribus præſuminur, tum maxime ex præceptoribus, quos ſibi ipſe uel parentes ſui delegiſſent, contra uero ex uitijs diſcipulorum, de præceptoribus male ſentiendum, qui alias ſingulas quaſq; actiones, quotidie emendant, donec illos ad optimam redigunt frugem. adeo neceſſarij inſuper, ut Pythagoras Mēphiticos uates, Plato Ægyptum, et Archytam Tarentinū, eandemq; Italiæ orā, quæ quondā magna Græcia dicebatur, laborioſisſime peragrarit. & ex ultimis hiſpaniæ Galliarumq; finibus uenerint nobiles, ut T. Liuium noſtrum lacteo fonte eloquentiæ, manantem uiderent, & intuerentur, perduxeritq; fama unius hominis, quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat. Sed ad propoſitum non eſt prætermittendum, nos non minus præceptoribus debere, quàm parentibus, qui mentes hominum, quodammodo dum formant generant. Imò quod plusquam ferreis animis, prædicti ſunt, qui beneficijs affecti ſummis ac maximis, & amore quidem patrio inuitati, non redamant,

ſine mutua beneuolentia eos non diligunt & non reuerentur . quodq; deo,parentibus & magiſtris par gratia rependi non poteſt . Deus enim creauit hominem,parens genuit corpus,magiſter uero animum format . Alendi à ſcholaribus ſunt præceptores ſi egeant,munere cohoneſtandi, eorumq; opiniones uſque ad ſanguinem ſi maxime rationabiles fuerint,defendendæ.& quod neceſſarij ſint nullaq; ſcientia uel ars ſine doctore eſſe poſſit,liquet ex eo, quod cũ S.Eunuchus,Eſaiam legeret,à Philippoq; interrogatus fuiſſet , num quæ legebat intelligeret,reſpondit,quomodo poſſum ego intelligere niſi aliquis me doceat?præceptorem habuit Philippus Epaminundam , Ariſtotelem uero Alexander filius.gratiasq; pater agebat dijs,quod eiuſdem Ariſtotelis temporibus ſibi natus fuiſſet. Nec Alcibiades Pericle caruit Ariſrone,Socrate, & Zoilo. Minusq; Hercules Atlante.Qui tantũ auctoritatis & nominis præter hec etiam ſibi compararant ueteres,ut diſcipuli inde ab eis denominarentur.Socratici,Academici,Cyrenaici,Megarici,Peripatetici, Ionij, Itali,Eleatæ,& ſimiles.Non habentes tamen iuriſdictionem in pueros,ſicuti olim habebat pater in filium,uel olim & hodie Doctores in ſcholares ius Cæſareum profitentes. ex quo fit ut blanditijs potius quàm uerberibus & minis allici debeant,ne(quod ſæpisſime euenit etiam) hebetio-

res reddantur, accipiantq́; ſiniſtra doctrinam quamuis dextra (ut Theodorus cognomento atheus dicebat) ſibi porrigatur. et breuiter ſiquid ab his deſiderandum eſt, id maxime parentes cupiant, curentq́; primo, (mitto quod duabus potiſſimum rebus diſcipulos inſtituant hortatu ſcilicet & præceptis) ut omnia ad breuitatem redigant, demum ad ordinem, poſtremo uero quæ ſic ordinata fuerint memoriæ commendent. Eoq́; magis quia memoria quaſi cubiculum eſt, inquo quicquid boni habent diſciplinarum reponi debet, iure optimoq́; mentis humanæ theſaurus appellatur. & quia etiam tenaciſſimi ſunt eorum quæ rudibus annis percipiunt. Nec quoad ordinem ſilentio inuoluentes multo clarius peruenire eos, quo tendũt, qui ſemitas compendiarias nouerint, quàm qui amnem (ut ait Plautus) ducem ſequuntur, & quia in infinitam loquacitatem incidunt (quod reprehenſibile eſt) qui ſingula inani quadam diligentia, enarrare contendũt. hæcq́; omnia longe gratiora uidebuntur, ſi rogati præceptores adhuc curam ſuſceperint, non rogantes, atq́; etiam diſcipulos ambientes, Vitruuij exemplo ſic dicentis. Neque enim mirandum eſt, quod ego pluribus ſim ignotus, ceteri architecti rogant, & ambiunt ut architectentur, mihi autem à præceptoribus eſt traditum, rogatum non rogantẽ oportere ſuſcipere curam.

Quòd diſcipuli utilia diſcere debent, & inutilia declinare, quod nulla ætas ad dicendum eſt ſera, quodadiſcentē credere oportet, & quod denique multa diſcit, qui cupiditate diſcendi flagrauerit. Cap. VII.

Diſcipuli proficere cupientes, uolentesq́; eſſe aliquando magiſtris præſtantiores, utilia diſcant, inutilia uero declinent, exemplo eorum qui roſas legunt, quiq́; ſentes toto poſſe deuitant pariter. et cum admiratione quadam eiuſdem præceptoris amore excitentur ad aliquid agendum, quicquid ipſe dixerit aut fecerit imitari conentur. credant facile, quia facile etiã diſcent, non ſecus ac mulier illa Samaritana, Chriſto docẽti, quæ dixit. Domine (ut uideo) propheta es, & præ oculis habeant ſemper, id unum conſiderantes, quod nemo repente fit ſummus, quodq́; oportet prius quem eſſe diſcipulum quàm doceat, & remigem (ut Romana iuuentus irridens dicebat, cum Marij Iunioris caput Sylla pro roſtris appendiſſet) quàm ad gubernacula manus admouere; ne (quod eſt in prouerbio) carruca boues præcedat. Imo quod nulla ætas ad diſcendum ſera eſt, niſi fortaſſe turpius eſſe putet quis, aliquando diſcere quàm neſcire. quodq́; Socrates diſcendi gratia aliquid noui athenas perrexit, & uniuerſam Græciam atque Aſiam

peragrauit. Nec non Pomponius noſter, diſcendi cupiditatem, quam ſolã uiuendi rationem optimam eſſe putabat in octauum & ſeptuageſimum ætatis annum duxit.memor eius ſententiæ etiam, quam dixiſſe fertur Iulianus, & ſi alterum pedem in ſepulcro haberem adhuc addiſcere uellem, & certe qui hac diſcendi cupiditate flagrant, multa diſcunt & procliuius ea quidem, quæ alij magnis laboribus ſibi comparant, magiſtro tamen (ut paulo ante diximus) credentes. Neque improbum eſt, aut pudendum,ſiue ſciant hoc idem facere,dicebat rurſum Socrates cum uacaret, & fidibus canere didiciſſet. Caueant præterea ne ſe flagitijs dedant,quandoquidem hæc in præceptores refundantur, ut Neronis in Senecam,Pupilli in Socratem,& in Quintilianum denique adoleſcentum temeritas,uiros alioquin ſanctisſimos tamen, & inculpatæ uitæ, & præter hæc mala omnia ſuſtineant ac patiantur oportet, præceptores reuereantur, & quem delegerint ſemel ſemper ſequantur, nec ab illis unquam recedere, Diogenem imitentur amplius,& Dionem Syracuſanum, quorum unus cum Anthiſtenes neminem admitteret, eidemq; plagas claua minitaretur,patienter caput obiecit,dicens.nullus tam durus erit baculus qui me tuo obſequio diſiungere posſit.Alter uero adeo Platonem admiratus eſt ne dicam amauit, ut omnibus poſtpo-

ſtis ſe totum eidem tradiderit. Digni ſanè non minori laude, quàm reprehenſione fuerint alias Ariſtoteles & Demoſthenes ſimul, ille enim cum adhuc Platonē deſeruiſſet abeoq; receſiſſet, eidem occaſionem præbuit ut diceret, Ariſtoteles in nos recalcitrauit, non ſecus atque in matrem pulli geniti, iſte autem ad Caliſtratum ſe tranſtulit, & ſic ingratisſimi cuculi (ut alij etiam hoc tempore multi) iudicati fuerunt, quiq; hac ingratitudinis nota inurerentur.

Quæ dicatur dignitas, à quo creetur, quomodo cognoſcatur, an dignitas à perſonatu & officio differat, & quomodo etiam una res altera dignior eſſe posſit. Cap. VIII.

QVoniā de dignitate aliqua dicenda ſunt ſcire primum oportet, nil aliud eſſe, quàm præeminentiam quandam, in gradu iuxta illud, In multitudine populi dignitas regis: quod alibi etiā oſtēditur quando (& melius) dicitur. Statuit illi teſtamentum pacis, & principem fecit eum, cui ſacerdotij dignitas eſſet in æternum, Præter ſacerdotium & regnum tamen, alij etiam dignitatem habent, & præeminentiam in gradu, uerbumq; eſt generis. Imò quod quandoque prærogatiua in eccleſia dicitur, aliquando ſecularis, nonnunquam poteſtas, interdum

pro ordine & ſæpe etiam pro conditione capiatur. & ſi eccleſiaſtica fuerit cognoſcitur ex tribus, ſi quis officium habeat, & præſit iuriſdictioni cum adminiſtratione, ſi nomen de iure communi dignitatem ſignificet, et ſi denique ex conſuetudine pro dignitate habeatur. Vel & aliter quod dignitas ſit adhuc, ſi electiua fuerit, ſi administrationẽ bonorum temporalium, ſi ſtallum in choro & uocem in capitulo habuerit, & utile eſt hæcq; non ignorare expedit, quoniam noſtri etiam nolunt, niſi dignitate præditis aut perſonatum obtinentibus, ſeu eccleſiarum cathedralium canonicis, cauſas auctoritate literarum ſedis apoſtolicæ uel legatorum eiuſdem committi poſſe. & quamuis ſecundum aliquos inter dignitatem officium & perſonatum differentia ſit, & dignitas præeminentia quædam cum adminiſtratione, officium adminiſtratio ſine prærogatiua, perſonatus uero honor abſque adminiſtratione, tamen quo ad incompatibilitatem idem ſunt. & communiter dignitas maxime ducatus, marchionatus, & comitatus, ab imperatore uel rege in regno ſuo creatur. excepto Venetorum principe, qui creatur à Senatu & ex conſuetudine. quiq; hac de re potius præeminentiam dignitatis habere dicitur quàm dominium. eſt & dignitas ſcientiarum quoque, & una quidem altera maior, ex parte rei, finis & modi, rei ut medicina cum ſit

de corpore ſano, ægroto, & neutro, corpus autem animæ actuumq́; humanorum omnium organum. Finis uero noſtra hæc iuris prudentia, quæ ad conſeruationem publici iuris, ordinata eſt. & conſequenter priuatæ utilitati præferenda habentes ſe tamen poſtea reſpectu modi, ut excedentia, & exceſſa, quoniam ſicuti illa ex uarietate complexionum etiam uaria eſt, ita iſta uariatur, ex uarietate conditionum populi. Et breuiter ratione dignitatis homines præſunt hominibus, Angeli angelis, & dæmones dæmonibus. Plantæq́; nutriuntur terra, animalia plantis, homines autem plantis & animalibus. Silentio etiam non inuoluentes, in teſtamẽto ueteri, dignitatum quatuor fuiſſe genera. Patriarcharũ Pontificum, Regum, et Prophetarũ. Patriarcharũ ut Abraham, Pontificum ut Moyſes, regum ut Dauid, prophetarum ut Eſaias, & ſimiles. & cum in his detur (ut dictum eſt) gradus, conſentaneum quoque uidetur ut digniora minus dignis præferantur honorentur, & prærogatiua aliqua gaudeãt, ex quo fit ut non ab re ſit in concilio (cetera de induſtria prætermittentes) ſi primum ſedet Papa tanquam caput, poſtea cardinalis Epiſcopis Hoſtienſis, tertio Patriarcha Conſtantinopolitanus, quarto Alexandrinus, quinto Anthiochenus, ſexto Hieroſolymitanus, ſeptimo Aquileienſis, octauo Bituricenſis, nono Granden.

Decimo & ultimo Catuarienſis. Hinc nos præ-dium dominans dignius eſſe, & quidem attenden-dũ, à iudice minus digno ad digniorem appellan-dũ, et minus dignum denique trahere ad ſe magis dignum, retulitq; mihi hodie Ioãnes Muſaracius Cretenſis auditor meus ſolers & induſtrius, ſi Turca & Chriſtianus Conſtantinopolis con-tendant ſimul, non ab alio quam à Patriarcha Conſtantinopolitano poſſe iudicari, quod iſte illo ſit dignior, & ſic à iudice competenti. Imò & obiter dictum ſit, quod ipſemet Turcarum Im-perator in aciem deſcenſurus, prius ab eo uult benedici, & quoniam ad propoſitum habere iu-riſdictionem dignitas eſt, eamq; habent in ſcho-lares docẽtes publice, non aliud dici poteſt etiã, niſi quod doctoratus apex ſit dignitas, & do-ctor in dignitate conſtitutus ut ſupra, alibiq; de-claratum fuit à nobis ſatis, & nouisſime ſi dup-plicata fuerit, quia utriuſque iuris quis ſit talis, præferetur habenti unum gradum tantum, quod eſt quotidianum obſeruandumq; ſemper.

Deum eſſe omnes fatentur, Quid ſit, an nomẽ habeat, eiusq; notio apud nos, num eſſe posſit, unde dicatur, quare optimus maximus, Quomo-do colendus ſit, et quibus uerbis Turcæ ipſum in uocent. Cap. IX.

DE deo nos in libro, qui enchiridion rerum ſingularium inſcribitur multa dixiſſe ſcimus, ſed quia infinitum eſt quiddam, nonnulla adhuc dictis tunc, in præſentia ſuperaddenda exiſtimauimus, & primum quòd nemo tam rudis eſt, adeoq; feris moribus, & ab omni cultu tam alienus, qui deum non fateatur. Imò Ethiopes ulteriorem Nili regionem incolentes immortalem dicunt, quia rerum omnium ſit cauſa, colunt & fatětur. Turcæ quibus nihil immanius dici poteſt, in eorum templis lingua turcica Meſchit appellatis nullas habětes imagines uerba hec tantum. La Illah Ilellah, nil aliud niſi hoc ipſum ſonantia, nō eſt deus niſi unus, Alla Bechber, ideſt deus uerus unus, Elhemdù lillahi ideſt gloria deo meo. hinc pulcherrimus orbis, dierum ac noctium gratisſimæ uices, anni circuitus, ſolis & ceterorum ſyderum mirãdi curſus, terræ fœcunditas, et tota rerum naturam denique, ad agnoſcendum deũ propoſita eſt. qui ἀσώματος, καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀνωνόματος eſt, ideſt incorporeus, indicibilis, & innominabilis. Non uoce ſed cordibus adorandus. ubiq; locorum præſens & ubiq; totus, eſſentia, præſentia, & potentia, gratia non niſi ſint qui in nomine ſuo congregentur. uſque adeo ut Maximilianus Imperator olim, cum in Italia eſſet magno exercitu inſtructus, ſerio potius quàm ioco militibus ſuis dicere ſolebat in cōcionibus ſæpe,

ut à pileatis cauerent, (ij ſunt qui ſtrathiotę uocantur lingua noſtra) quoniam(huc enim & illuc curſitant ſemper & quieſcunt nunquã)ubiq; ſunt ut deus.et ad propoſitũ qui aliter credũt fatui ſunt & inſipiẽtes,iuxta illud,Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt deus. Exquo Diagoras etiã, Atheos cognominatus eſt,quia deos eſſe negabat. Et de unitate ſcribens D. Auguſtinus inquit. ſit in æthere Iuppiter,in mari Neptunus, in terra Pluto,in domeſticis Veſta,in fornace vulcanus, in Syderibus Sol Luna, Stellę, omnes tamen omniaq; referuntur ad deum.quem præter hæc præſtantisſimũ ex tribus eſſe dicebat Plutarchus Cheronen. grauisſimus auctor,immortalitate,potentia,& uirtute.& cum ſit rurſum optimus maximus,optimus uirtute,maximus potentia,imitandus eſt à nobis;cognoſendus,& amandus; ut ſola eiuſdem participatione beati efficiamur. Mens æterna & infallibilis, menſura rerum omnium, & cuius nutu reguntur omnia. Nomen non habens,cuius notionem nos ad plenum habere poſſimus.Iuſtus Iudex gratioſus & pius, à dando dictus,uel à metu & timore,uel quod ei nihil deſit.& licet (iterato dixerim fuſius tamen)Saturnus in latio,Iupiter in creta, Iuno in Samo,Bacchus in India, Iſides in Ægypto, Veſtę in Ilio, Pallas in Africa, Mercurius In Gallia, Minerua Athenis,Apollo Delphis,Diana in Delo, Venus

in Cypro, Mars in Thracia, Vulcanus in Lemno fuerint, aliáq; id genus plura, quibus Dæmon, orbem idololatria dementauerat, Dij tamen ſunt & ridendi. Quid quod uana religione deceptus quoque Scæuola noſter, tria deorum genera eſſe dicebat, (& ferè idem eſt) unum poetarum alterum philoſophorum, Tertium Politicon. nugatorium ſcilicet & mendax, quod ad Theatra ſpectet, parietibus incluſum, quod ſpectet ad mundum, & populare denique, quod urbibus quàm maxime conueniat, quodq; intra Romana pomeria olim creauit deorum numerus, ad irriſionem uſque. Miſſis igitur nugis his, quoniam à Chriſto Domino noſtro, Dei uiui filio, ceu fonte omnium bonorum ſumma omnia proficiſcuntur, & in quo Paulus omnia ſe poſſe gloriatur, et cognoſcere ſtudeamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatum imitemur, imitantes eo fruamur, quia fruentes immortali fælicitate potiemur. Et cum fandi nefandiq; memor ſit, eſt quoque timendus, mali uindex, & boni (ut diximus) remunerator. & quia etiam ſine dei ope, nullus humanus (quamuis magnus) conatus ad effectum perduci poteſt.

Quid

Quid ſibi uelit hoc uerbum Dæmon, an à Dæmonibus dicantur aliqui prognati, Quæ ſit eorum natura, & quibus in locis uerſentur denique ultra dicta alias copioſe. Cap. X.

ILlud Euangelij dictum, Samaritanus es tu et Dæmonium habes, declarantes, adhuc meminimus, de dæmone alibi docuiſſe ſatis, ſcripſiſſeq́; multa, ita ut parũ plus addi poſſe uideatur, ſed tamẽ quia intellectus noſter in infinitum decurrit, prædictisq; alia ſuccedunt in dies, non ab re conſentaneum eſſe putauimus, ſi quando ſuccurrere ut nunc, ea alijs inſerere. Sciẽdum igitur eſt, Dæmones inimicos eſſe, & uexatores hominũ, quod etiam affirmat Aſclepius, eosq́; Angelos malignos appellat Trimegiſtus, non ignorans ex celeſtibus deprauatos terrenos eſſe cœpiſſe. & inter cetera humano ſanguine delectari plurimum, ut Mars qui græce etiam αἱμόχαρις ideſt ſanguine gaudens uocitatus eſt. ex quo facile etiam prouocantur, ſi in coniurationibus apponatur. Vbicunque etiam ſunt, præſentialiter tametſi potentialiter crucientur. & creditum amplius in fodinis uerſari, uſque adeo aliquando quoque metallicos necauerint. Et dum olim Romani homines damnatos ad mortem in metallos deſtinaſſent, cuius pœne mentionem, ſæpe noſtri faciunt in pandectis, legimus cacodæmones eos ſic illuſiſſe. quo-

rum natura media eſt inter diuinã, & humanam genijq; à Theologis, ſeu Angeli dicũtur ijq; uel boni uel mali: dictoſq;(inquit Iſidorus) à græcis Δαίμονας ideſt peritos ac rerum præſcios ſed deceptores. Idollatræ tamen aliqui ſunt, in urbe Calechut uocata, Aſiæ maioris, qui Dæmonem colunt cui Deumi nomẽ indiderunt, inq; huius templis, nil aliud quàm dæmonum ſtatuæ horribiles uiſuntur, affirmantes dei ſpiritum eſſe, ab eoq; miſſum Iuſtitiæ qua regna imperiaq; conſeruantur, gratia. Narſinge regem amplius comitem habentes hac religione uana & ridicula, imò diabolica captum. & plus quod alij ſunt etiam quos Pauerũ uocant, adeo præſtigijs & incantationibus inſtructi ac perditi, ut omnia ſibi facilia eſſe perſuadeant, cumq; dæmonibus uiſibiliter loquantur. à quibus maleficisq; mulieribus, præter hæc ferunt adhuc aliqui Hũnos prognatos fuiſſe (ij enim ſunt qui duce Atila totam pene Europam fœdiſſimis affecerunt Cladibus) forte ob abominabilem ferocem uitam horrendaq; facta. Vnde nos etiam prouerbio uti ſolemus, cum eſt aliquis uis ſanguinarius & moribus ferinis imbutus, talemq; ipſi omne malum imprecati prius Dæmonis filium appellare.

Edictum quotupliciter capiatur, quid diffe-rat ab interdicto, quod proprie prætorum eſt, in quo ordine eſſet prætor, & quare peremptorium ultimum dicatur. Cap. XI.

EDicta Romani uocant, Græci Diatagma-ta *quæ à iureconſultis interpretantur, ut illud de rebus creditis, de iure deliberandi, quan do prætor dicit, ſi tempus ad deliberandum pe-tieris. dabo de* Tributoria. *de perdendo abſti-nendi beneficio. Si quis omiſſa cauſa teſtamenti, de collationibus, quo iure, à quo, & quare in-uentum ſit.* De *coniungendis cum emancipato li-beris, & proprie edictum prætorum eſt, quo-niam alias eſt etiam, quando iudex aliquid lite-ris iubet & ad propoſitum prætor ex ordine ma giſtratuum tertius eſt. Specialisſimũ uero quid-dam edictum. conſtitutio ſubalternum, lex gene-ralisſimum. & dictum adhuc, quaſi à dominis di ctum uocatur. à quo tamen declarando, concor-dando, exponendo, ſubaudiendo, ſupplendo, de-trahendo et impropriando denique recedere etiã poſſumus, & licet dicatur uerbis edicti inhæren dum eſſe, eiq; nihil uel addendum uel detrahen-dum, fallit tamen quando hoc idem ex mente uel ex identitate rationis fit. & durante quandiu durat magiſtratus, ius municipale non dicetur, ſed bannum (ut noſtri aiunt) potius, habens uim*

ſententiæ interlocutoriæ non diffinitiuæ aut legis. ex quo non eſt propoſitum perpetuæ iuriſdictionis cauſa, eſt etiam edictum cõmittere ideſt aperire inſtitutis ut bonorum poſſesſione contra tabulas agant, & aperitur à præteritis, quorum beneficio rurſus inſtituti ad idem admittuntur. edictum perpetuum quoque exponitur ideſt generale, uel dicamus quòd proprie ſit huiuſmodi, quoniam lege Cornelia condita, prætores ex edictis ſuis perpetuo cœperũt ius dicere. capique poteſt ſtricte, large, & largius. ſtricte ut tantum id eſſe dicatur quod edicit prætor, large uero pro qualibet conſtitutione prætoria, & largius pro omni conſtitutione, quam promulgauerit habens poteſtatem legis condendæ, & quia peremptorij mentio facta eſt alicubi, ſciendum arbitror ideo ſic dictum fuiſſe, quia ultimum eſt & diſceptationem perimit, alibiq; fuſius declarauimus. Differreq; edictum ab interdicto, nec aliud iſtud eſſe, quam quod inter duos redditur à prætore, illud uero quod motu proprio facit. Imò quod quoddam monitorium ſit, aliud conuentionale, aliud citatorium, & aliud denique peremptoriũ fuit olim etiam edictum Tiberij calamo non occultandum, cum urbem egrederetur, ne ipſum quis interpellaret, ne ue in itinere obiter etiam eum adiret, ut Capream inſulam ingreſſus omnes imperij curas abdicaret. Fuit et Claudij, quo quiſ

que poſſet uentris crepitum emittere, eiq́; uenia daretur, cum præ pudore quendam, ex continentia periclitatum intellexiſſet. Fuit & Athenis *denique* Demetrij *adulatorium huiuſmodi,* Quodcunque Demetrius iubet, id apud Deos ſanctum, & apud homines iuſtum eſto. *hanc enim adulationem quamuis manifeſta eſſet irriſio, non aſpernabatur, ſed cum omnia crederet, ſeq́; parem ſuperis omnino arbitraretur, affectabat potius. & ſic non ſolum prætorum, ſed etiam principum largiſsime tamen hoc ipſum ſignificãtes, ut ſupra, quale illud quoque,* Exijt *edictum à* Cæſare Auguſto, *ut deſcriberetur uniuerſus orbis. & illud,* Propoſuit *edictum, ut domus* Dei *ædificaretur.* Darius *rex propoſuit edictum, & ſimile.* In *alboq́; ut legi uideriq́; poſſet ad propoſitum prætores illud ponebant, licet hodie in uſu non ſit, pœnaq́; amplius coercebatur, ſi quis illud corrupiſſet, ut nos alibi etiam fuſius docuimus, quod tabula gypſata erat, non paries (ut aliqui exiſtimant) quam* λεύκωμα *appellabant. ideq́; eſt quod candor, unde ſabini alpum non album dicunt. etiam eſt uox græca* ἀλφὸν, *ideſt candor. hinc alpes à nimium candore, & oculorum albugo ſeu album oui quod uitellum ambit. &* Albani *(ut* Solinus *refert) quia albo crine naſcuntur, capillorumq́; color genti nomen dedit.* Et Britannia Oceani *inſula* Albion *quoque appellata, ab al*

bis montibus, qui primo ad eam nauigantibus apparent à Britone rege. & hæc preter alias dicta, de edicto nunc ſufficiant.

De æmulatione quomodo eſt inter pares, qui præcipue fuerint aliorum æmulatores, & quòd ex imitatione quadam potius prouenire debet, quàm à ſimultate & inuidia, ne ſecum reprehenſionem afferat. Cap. XII.

Eſt ut plurimũ æmulatio inter pares, ſicuti (& bene) expreſſit Heſiodus, cum dixit:

Æmulus eſt figulus figulo, atque fabro æmulus artis;

Protinus eſt conſors. Laudabilis tamen ſi ex imitatione quadam proueniat, & ſtudio eiuſdem rei, non à ſimultate & inuidia, quoniam tunc digna eſſet reprehenſione, ut de Pompeio legitur, qui cum Lucullus Mithridatis copias ferro fameq́; afflixiſſet, & Tygrane Armeniæ adiutum magnã uictoria ſuperaſſet, per ambitionem obtinuit, ut Lucullo qui iam bellum confecerat, reuocato, eidem ſuccederet, quod quidem paruo poſtea labore confecit, nam Mithridatem ad uenenum, Tygranem uero ad deditionem compulit; uſque adeo ut Lucullus audiens Pompeij aduentum dixerit, illum accedere ad ſimulacra, umbrasq́; belli expugnandas. hiſtoria nota eſt. Me-

lius ergo Theſeus, qui geſta Herculis æmulatus eſt; & Marcellus Cæſaris, (ſi Ciceroni credimus) dicentis ipſum æmulum imitatorem ſtudiorum ſuorum extitiſſe. Sic Ariſtoteles Platonem præceptorem ſuum. Cicero ipſe Demoſthenem. Virgilius Homerum. Plautus Epicarmum Siculum. Gallus Euphoriona Calcidenſem: Hannibal quoque euerſo Sagunto, patefactis alpibus in Italiam traiecit Herculem adhuc imitatus, quem primũ (aiunt) eaſdem tranſiſſe. Idemq; Alexander qui peragrata perdomitaq; India cum ad ſaxum miræ magnitudinis, miræq; aſperitatis peueniſſet, in quod multi populi confugerant cognouiſſetq; eundẽ ab expugnatione illius, terremotu prohibitum, æmulatione quadam motus, ſummo labore ſaxo potitus omnes gentes eiuſdem loci in deditionẽ accepit, qui ſe totũ etiam ad Achillis exemplar componebat, & Ilion ingreſſus multa uidens, eaq; diligenter Homerica lectione inſtructus conſiderans, interrogatus num uellet paridis Citharam cernere, non (inquit) ſed Achillis, qua non illecebras Veneris, ſed fortisſimorum Ducum res præclarisſime geſtas canere conſueuerat, cumq; ipſius Alexandri ſtatuam uidiſſet Cæſar Gadibus in templo Herculis ingreſſus exarſit, & ad ſummam rerum accenſus eſt. Plato rurſum doctrinam Socratis æmulatur. Horatius Ennium Plautũ, & Lucilliũ, totamq; poetarum uete

rum cohortem. & ad alios tranſeuntes, Traianus Imperator omnium laudatiſſimus, eruditione & elegantia morum, qui Plutarcho præceptori ſuo, non tam aures, quàm uniuerſam uitæ rationem commiſit. Themiſtocles uero cum adoleſcens ſanè uoluptuoſus eſſet, qui quotidie compotationibus, mulieribusq; operam dabat, poſt Miltiadis uictoriam qua potitus fuerat, in Marathonijs cãpis, nihil niſi laudabile, perpetuaq; commendatione dignum egit. Percunctantibus autem quibuſdam, unde ſic repente mutatus fuiſſet, quia ſæpe (reſpondit) Miltiadis tropheum mihi ſomnum ademit: ratus ſicuti clauum clauo, truditur, ita æmulatione uirtutis ac gloriæ ſtudio, uoluptates quoque malorum omnium irritamenta, pelli poſſe penitus, & in fugam uerti. Magnorum hominum uirtute etiam crebris uſurpãdæ ſunt ſermonibus, ut cũ eos nobis cognitos fecerimus, prædicemus, prædicatos diligamus, & dilectos denique imitemur. quia nec aliud erit imitatio hæc, quàm æmulatio quædam ſanè, ab omnibus appetenda. Et certe ſic (quod idem ferè eſt) recte agunt, qui in rebus gerendis, illuſtres ſibi proponunt Duces, inq; magiſtratus adminiſtratione fortunaq; uaria, diſquirunt ſecum optimos quoſq; uiros, qui ætate eã ſunt, aut longe ante fuerunt. Quid uidelicet in eodem caſu egerit Plato. Quid dixerit Epaminundas, Qualem ſe exhibuerit Lycurgus,

uel Ageſilaus, perinde atque illi, qui ſeſe exornant ad ſpeculum, dicta factaq; indecora ibi diſcẽdo, ut ea deuitent. nihilq; libẽtius ſpectaſſe exiſtimamus græcorum exercitum ad Troiam *quàm unà incedentes* Heroas *Achillem & Aiacem.* Cæ*ſar aduerſus* Germanos *pugnaturus, præter hæc etiam, cum pro concione dixiſſet, ſe eo die nullius opera, niſi decimæ legionis uſurum, effecit, ut, ubi* Decumani *tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio, concitati fuerunt, ceteri pudore uel æmulatione potius, ne penes alios gloria uirtutis eſſet, concitarentur acrius.* Cantores *ad idem ac citharœdi, qui ſoli canunt in theatro remiſſe & languide ac minime accurate ſe habent, cum alijs uero, ſi certamen & contentio inciderit, non ſolum magis intendunt animum, uerum etiam inſtrumenta ſua, diligentius concinnant & accuratius.* Et *æmulationis ſtudio uelut attritis ſilicibus, innumeras uirtutum ſcintillas excudunt, & tanquam cotibus, ſi inertiæ rubigo obtuderit ingenium exacuũt, ac uelut in officina quadam tornatim animorum ſenſuumq; ſimulacra effingunt.* Dicebantq; *inde* Q. Maximus *& alij illuſtres uiri (ut apud Criſpum legimus) cum maiorum imagines intuerentur, animum ad uirtutes accendi uehementiſſime & inflammari, non cæram illam ſcilicet, neque figuram tantam in ſe uim habere, ſed memoria geſtarum rerum, eam flammam egre*

giſs in corde uiris creſcere, ut non prius ſedari poſſe uideatur, quàm famam atq; gloriam adæquarint. Laudis *auiditas et æmulatio gloriæ pericula contemnit.quæ ſemper inter* Athenienſes *& lacedæmonios fuiſſe perhibetur.filij ad paternæ uirtutis æmulationem, ſe componere debent.& optimos ipſorum parentum mores pro legibus habere.* Magnetis *æmulus eſt adamas, qui admotus non permittit ferrum abſtrahi, abſtractumq; aufert.* Virtutis *fortuna, quæ præſtantium uirorum conatibus obſtat ſemper & aduerſatur, iuxta prouerbium, fortis & ipſe quidem, fortior alter adeſt, hypothecaria(ut noſtri dicunt)pignoratitijs actionibus.* Et *niſi elementa conflictarentur inuicem nullius bonæ rei eſſet generatio.haud omittentes denique pro complemento, quod ſic etiam(ut non ſecus agamus nos)* Ioãnis *apoſtoli ſanctitatem mirè expresſit* Egnatius. Egnatij Polycarpus. Baſilij *magni* Nazanzenus, *& huius literas ac mores uir ſanctisſimus* Hieronymus. *quodq;* Demoſthenes, *Caliſtrani rhetoris inuidia & æmulatione motus inter ceteros eloquentiæ uiros primus habitus eſt, atque omnes ſui temporis oratores præter* Demadem *tamen ſuperauit.* Ariſtoteles *quoque cum uidiſſet* Iſocratem *magnam ſibi gloriam comparaſſe, in dicendo floreq; nobilitate diſcipulorum, turpe (inquit) eſt tacere cum barbaris, patiq;* Iſocratem *dicere, ſeq;*

confeſtim ad oratoriam tranſtulit. Et *uere uirtutem non amat uehementer, niſi qui æmulatione præſtãtiſſimorum hominũ ardet. ſicuti nec eſt uerus amor, ſi Zelotypia careat.* Nec *ab re philopœmenes* Alexandri *hiſtorias libenter audiebat, tanquam uera uirtutis irritamenta.* Excitabaturq; Alphonſus Aragonius *olim* Neapolis *rex, ad uirtutes & gloriam (ut ipſe dicebat) cum Cæſaris nummiſmata, quibus ſupra modum oblectabatur, uideret & contemplaretur.*

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE,

LIBER SEXTVS.

DE HOMINE QVID SIT, QVOT genera hominum, quis uere ſit homo appellandus, & alia ad idē multa, quæ breui argumento comprehendi deſcribiq́; minime poſſunt, & ſanè non ignoranda. Cap. I.

QVANQVAM à me dicta ſint multa, in multis locis, de homine, adhuc tamen aliqua ſuperſunt addēda. Et primo quod Microcoſmos dicitur, ideſt paruus mundus, iuxta illud etiam, ſic enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam, mundum ideſt hominem, mundus eum non cognouit ideſt homo. Secundo addendum eſt, ipſius fabricam, ex ſeptenario conſtare numero, in primis anima ex quinque ſenſibus, organo uocis, & poſtrema ui genitali. Corporis item partes externæ, caput, pectus, uēter, manus, & pedes. Internæ uero ſtomachus, cor, pulmo, lienes,

iecur, & renes. Imò *quod & in capite ſeptē rurſus inſtrumentis utitur, oculis, auribus, naribus & ore. ad eundemq́; numerum ſpectat uiſus, ſeptemq́; ſunt adhuc quæ conſpiciuntur; corpus, diſtantia, figura, & magnitudo, color, motus, ſtatus præterea nihil. uox ſimiliter in ſeptenarium numerum capit, acuta, grauis, circunflexa, aſpera, leuis, longa, breuis.* Motus *ſeptem, ſurſum, deorſum, dextroſum, & ſiniſtrorſum, prorſum retrorſum & in orbem.* Excremēta *ſeptem lacrymæ ex oculis, purgationes capitis ex naribus, ex ore ſaliua, antica, poſtica, lotio, & ſtercus.* Quid *quod mulierum quoque fluxus, menſtruus ad ſeptimum durat diem. fœtus in utero ſeptem menſibus animatur.* Et *acuti morbi ſeptimo die ferè terminantur.* Ethnici *etiam exiſtimabant, (quod longe eſt admirabilius) ſingulas in homine partes, & membra ſingulos deos obtinere.* Iouem *caput,* Mineruam *oculos,* Iunonem *brachia,* Neptunum *pectus,* Renes *& inguina* Venerem, *& pedes* Mercurius. Aliter *Iulius Firmicus quod Saturnus in homine dextram habet aurem, ſplene ac melancholiam,* Iuppiter *aurem ſiniſtram & hepar,* Mars *hepar cum* Ioue, *natesq́; cū* Venere, *posſideat; ſol ſpiritus caput ac dextrum oculum;* Venus *cum* Marte *nares.* Mercurius *os linguamq́; & orationis humanæ adiutrices manus.* Luna *oculum ſiniſtrum.* Auris *rurſum memoriæ conſecrata eſt,*

frons genio, dextra fidei, & genua miſericordiæ. Aliter Lilius Gregorius, *quod cũ naſcitur homo in mundo, à Sole ſpiritũ, à* Luna *corpus, à* Marte *ſanguinem, à* Mercurio *ingenium, à* Ioue *deſiderium, à* Venere *cupiditatem, & à* Saturno *denique honorem ſortiatur.* Et ideo *antiqui ſuperis omnia deberi putabant. homo deus in terris eſt, animal prope diuinum ac cœleſte, dei nuncius, in ferorum dominus, ſuperiorumq́; domeſticus, & ſi dixero naturæ uinculum præter hæc, ipſiusq́; miraculum & magnum quidem, non errabo.* Tertio *addendum eſt ipſum adhuc, ex omnibus animalibus, uti ſermone diſtincto, reliqua uero omnia confuſa uoce affectus indicare.* Boues *mugitu, hinnitu, equi canes latratu, oues balatu,* Elephantes *barritu,* Leonesq́; *rugitu. eaq́; omnia rurſum ratione ſuperare, in eoq́; eſſe quaſi igniculos quoſdam prudentiæ & uirtutis ad res præclare gerendas.* Quarto *addendum eſt, tripliciter conſiderari poſſe, ut indiuiduum ex anima & corpore conſiſtens. ut corpus* Iconomum; *ciuile & politicum.* Quinto *quod ad ſui ſimilitudinem. ipſum hominem formauit* Deus, *non tamen ut ei ſimilis eſſet, niſi in ſanctis & diuinis operibus. unde* Lucifer *deiectus eſt, quia uoluit eſſe ſimilis altisſimo; probroq́; datum* Camillo *(hiſtoria nota eſt) albis equis triumphanti, quod dijs ſimilis eſſe uoluerit, qui albis equis etiam uehi ſolebant. et*

ut tria quandiu uiuit meditaretur. quomodo bene ſapiat, quomodo bene dicat, & quomodo bene agat. Contemplareturq́; non modo terrena, uerũ etiam cœleſtia. Quãdoquidem mirabilis ille artifex deus, cum ipſum è luto finxiſſet, ad ſui contemplationem erexerit iuxta illud,

Quid mentẽ traxiſſe polo? quid profuit altum,
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant?

Vel & melius,

Pronaq́; cum ſpectent animalia ſingula terram
Os homini ſublime dedit cœlumq́; uidere iuſſit,
Et erectos ad ſydera tollere uultus. hincq́; Antropon *(quod in ſupraſcriptione dicitur) græci uocant, quaſi ſurſum ſpectantem. religionis ac iuſticiæ cauſa, rurſum figuratus, ut deum agnoſcat non ut urna terebrata ferat aquam, quod iniuſti & deum parum timentis ſymbolum eſt. Laudaturq́; hinc Anaxagoras, qui cauſa uidendi cœlum, hoc eſt deum ſe natum eſſe dicebat. Anima hominis etiam templum dei eſt ut* Xiſtus *Pythagoricus aiebat &* Paulus *apoſtolus his uerbis:* Neſcitis *quia templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis. & homo dei ſimulacrum, omnia continens quæ in deo ſunt. in memoria enim eſt pater, in intellectu filius, & in uolũtate ſpiritus ſanctus.* Ira *rurſum furor & concupiſcentia, quæ quamuis in deo paſſiones non ſint, analogice tamen paſſionum nomine eas nuncupamus, & ſi-*

cut in homine ita in deo eſſe reperiuntur, quod ex eo uideri poteſt, quia dixit Propheta, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, hic eſt filius (complacentia enim ex concupiſcenti uirtute eſt) meus dilectus in quo mihi bene complacui. Quid plura, caput, oculi, nares, os, lingua, manus, pedes, digiti, & cetera huiuſmodi quæ humana ſunt, deo etiam tribuuntur. Sexto addendum eſt, quod in hac pulcherrima mundi fabrica, uelut, in admirabili quodam theatro, ipſum conſtituit ut eſſet menſura rerum omnium, quodq́; in eo adhuc quatuor elementa inueniuntur. terra in carne eius, aer in anhelitu, humor in ſanguine, & in uitali calore ignis. Septimo & ultimo, quod hominum (ut noſtri dicunt) octo ſunt genera, Quidam aſcriptitij, Quidam cenſiti, alij perpetui, nonnulli conditionales, Quidam inquilini, origionarij, ſimplices, & rurales. Quibus tamẽ affines ſunt ligij, et non ligij, ligij, qui homagiũ Imperatori ſoluunt. nõ ligij, qui Baroni uel militi. Et ſi quid amplius corollarij uice addendum eſſet, illud addi poſſet, quod homo eſt etiã ueluti arbor inuerſa, pro radicibus capillos, pro ramis manus & pedes habens. Imò quod eiuſdem ſit quoque ad Syluã comparatio, appellantq́; græci præciſe homines quaſi arbores cõtrarias. homo rurſum plerunq; protheus eſt, et chæmoleõ. plures habens uoces, anſatus & male occupatus.

et homini lupus non cognitus. qui tamen cum puluis ſit & cinis, graphicus eſſe deberet, ideſt omni ex parte abſolutisſimus, hominiq́; prodeſſe potius (quo nihil eſt iucundius) quàm obeſſe & nocere. uſque adeo ut ille, qui nomina gratijs Aglaia Euphroſine, et Thalia impoſuit nõ aliud ſonãtia, fuerit iudicatus omniũ ſapientisſimus. Qui hoc modo operatur igitur, quiq́; ſuo nomine digna fecerit, homo erit proprie appellandus, ut ignis ſi ardeat, uel lux quæ ſplendorẽ emiſerit, alias Bellua (ut ſupra) & quaſsũ uas, quod ad nullũ ſit uſum.

Quod uirtus præcedit, honor uero ſequitur, quomodo hinc multi, multaq́; honorarij, & honoraria dicta fuerunt, nec ad honores pateat aditus niſi per uirtutẽ, an à dignitate differat an honores appetendi ſint, & quale ſit honoris ſymbolum. Cap. II.

EX quo honor, cum aſpiratione, ſeu h, deſcribitur, quæ litera non niſi quadam uehementi cordis aſpiratione pronunciari ualet argumentum planè apertisſimum eſt, naturali quodã impetu atq; deſiderio hominibus, inſitum eſſe ad honorem hunc & gloriam aſpirare. ſed hoc ipſum conſequi nos nõ poſſe, niſi uirtute auſpice; ex quo Romani homines olim hac de re uirtutis delubrum ante poſuerunt. & inde poſt, honoris, ut

oſtenderetur aditum non patere ad uerum hono rem conſequendum (ut diximus) niſi uirtute ipſa. quam non immerito ueteres etiam alatam ea ratione pingebant, quia ſcilicet honor & gloria ex uirtute oriri dicuntur. Imò *ferunt* M. *Marcellum, omnium pugnaciſſimum fuiſſe, qui & ma nubijs ſyracuſanæ prædæ honoris numini templum uouit, eiq́; cum ipſum extruendum mangoni bus iniunxiſſet, præuiam & pro ueſtibulo uirtutem eſſe uoluit.* Sed *miſſa hæc faciamus & dicamus ad idem quod honor (ut inquit* Plato*) diuinũ quoddam bonum eſt, ſententia his uerbis expreſſa* θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἥ τι μή. *quodque alit artes, præmium uirtutis eſt rurſus, & quod denique omnes gloria incenduntur ad ſtudia.* Cui *capite aperto ſacrificari ſolebat, quandoquidem gloria adhuc res clara ſit & ſplendeſcens, nullo modo occultanda.* Q*uamobrem uirtute heroica præditis etiã hoc modo exhibetur.* Q*uaſi honor qui huic deo erat debitus ſuis etiam debeatur.* Honoris *ſymbolum gallus gallinaceus, & leo ſimul.* Ab *honore etiam* Ius *prætorium honorarium dictum fuiſſe perhibent honorarium tutorem, & ſalarium aduocatorum.* Et *hinc quoque actiones honorarias, et honoris inſignia,* Togam, *prætextam, curulem ſellam, ius* Imaginis *in memoriam poſteritatis, ueſtemq́; purpuream.* Nõ *omittẽtes tamen à dignitate differre, quoniam (ut noſtri di*

eunt & uerum eſt) liberti dignitatem habere non poſſunt, honorari autem ſic. Et *licet hoc uno homines, præſtare ceteris animantibus uideantur, quod honoris cupidi ſint, nullumq; laborem fugiant, nullum periculum ſubire recuſent. attamen appetendi non ſunt facile, nec inſolentibus hominibus conferendi, niſi reipublicæ neceſsitate.* Quam *ob rem* Cato *iunior, amicis hortãtibus ut tribunatum peteret, id ſe parum decere reipublicæ tempore haud neceſſario, reſpondit.* Poſtea *cum* Metellum *hominem turbulentum, potentem uideret, ipſe quoque candidatus in campum deſcẽdit, ut tribunatu ſuo eiuſdem* Metelli *inſolentiæ obſiſteret.* Idemq; *ut* Craſsi *&* Pompeij *deſſignatorum conſulum potentiam frangeret, præturam ut banam ſibi mandari acriter curauit. alias fieri nequit, ut qui per largitionem adepti ſunt honores, non uelint ex eis quæſtum facere.*

Quod *nobilitatis uirtus præcipua eſt humilitas, quod excelſa* Iupiter *humiliat, humiliaq; extollit,* Quod *ingreſſus eſt* Chriſtus *hac uia in præſenti uita, & conſequenter quod eius actio noſtra inſtructio eſſe debet, & ad idem ſane exemplum omni alio præclarius.* Cap. III.

MEmoria *teneo me de humilitate aliqua alibi etiam dixiſſe, ſed non quod nobilitatis eſt comes, quodq; rurſum nihil eſt quod in*

homine, & longe magis in principe, ſplendeſcat magis. caput omnium uirtutum, qua de ſummis cœlorum, ad ima mundi deſcendens Chriſtus dei filius, temporalem tandem ſubijt mortem. quaque uult hominũ corda, ſurſum afferri, non humana ſuperbia in inferiora demergi. ex quo interrogatus Chilo ille Lacedæmonius, quid faceret Iupp. excelſa humiliat reſpõdit, et humilia extollit. Cui proximũ quoque illud eſt, Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles. humiliamini ſub potenti manu dei. Qui ſe humiliat exaltabitur. Quod dictum pro ſymbolo olim genitor meus Io. Petrus Benauidius, ſibi deſumpſerat, & ad unguem (ut aiunt) ſeruabat. præ oculis habens ſemper Chriſti exemplum, cuius actio noſtra inſtructio eſt, qui humiliauit ſemetipſum, obediens factus uſque ad mortem. ſed audi humilitatis exemplum, omni alio pulchrius. Philippus Macedonum rex, cum proſpere aduerſus Athenienſes, pugnaſſet, ne uictoria elatus ſuperbe ſe gereret, puero mandarat, ut illud mane in memoriam reduceret, quod homo eſſet, atque id unum potiſſimum curaret, quare non prius accedebat ad regem neque alius introibat, quàm puer ter quotidie alta uoce cum clamore pronunciaſſet, Philippe homo es. Cui nec aliud eſt Nicomedis Bithyniæ regis inferius, qui abraſo capite atque pileo inde ſumpto, (quod elargitæ libertatis erat indicium) hu-

militate regia ſe Romanorũ libertum uocare nõ erubuit, & certe humiliari optimum eſt, quoniam (ut ille ait) nihil eſt quod dari poſſit bellum gerenti, & fortaſſe aliquid erit, quod concedi poterit roganti. Summopereq; laudandus Paulus quartus Pontifex maximus, qui hoc æuo hæreticos ad ſanctam catholicam fidem reuerſos, humiliterq; pedibus ſuæ ſanctitatis procumbentes ac ueniam petentes, lacrymis benigne, cum dixiſſet prius tamen, eccleſiam nunquam claudere gremium ad ſe redeuntibus, diuinumq; fore nunquam ſerum, pœnitentibus auxilium, & Barbaricæ feritatis amplius in proſtractos ſæuire, pie ſancte & paternaliter non ſecus ac ille, prodigum filium, è longinquis regionibus uenientem pariter, ſuſcepit admiſit, & amplexatus eſt. iidemq; euenit ut Steſichoro, qui quoniam Helenam carmine fuerat inſectatus, in cæcitatem incidit, Palinodiam recantauit dicens,

Non uerus ſermo ille fuit, nec nauibus altis,
Exiſti fugiens, nec adiſti pergama Troiæ.

ſtatimq; uiſum redemit. Humilitas eſt etiam pœnitentiæ fundamentum. & ubi non eſt, ibi eſt neceſſario falſitas. humilitatis exercitiis rurſum deuitanda. Cuius conſuetudine uti optimũ eſt, ne in arrogantiæ, et uanægloriæ delictũ incidamus, ſed his omnibus potius curam adhibeamus. hæcq; ſufficiãt, cetera (ſi cupias) loco ſuo fuſius leges.

Quid ſit hiſtoria, quod hiſtorias ignorantes ſemper ſunt pueri. Quod res præclare geſtas, nobis quaſi in tabula quadam ſpectandas repræſentant & multa denique, quæ ſub hoc includi poſſunt, propemodum infinita. Cap. IIII.

NOn intendo hoc loco, ſeruare ordinem, ſed res ipſas ad hiſtoriam pertinentes, prout ſuccurrerint dicere, & prout me legiſſe recordabor, tametſi ſciam alias, ordine in omni uitæ ratione nihil eſſe pulchrius, quia intellectum præparat, ſenſum aperit, & applaudet ueritati, imò quod ibi non eſt ſubſtantia, ubi ordo non eſt, quodq́; omnia in oratione pereunt, quoniam hæc quæ à nobis dicenda ſunt, adeo multa & uaria ſe ſe offerunt, ut uulgatum illud dici queat potius, ordinem eſſe in eiſdem ordinem nō ſeruare. Sciendum igitur eſt in primis, quod hiſtoria nihil aliud eſt, niſi teſtis temporum, magiſtra uitæ, & lux denique ueritatis, quodq́; hiſtoriam ſiue hiſtorias ignorantes ſemper, erunt pueri, & proinde ab omni reip. adminiſtratione ſummouendi; ex quibus omne artium genus manat. nec minore incommodo afficitur animus, ſi his careat quàm mundus ſole, & quod nemo denique Ægyptiorum ſapientiam, Hebræorum cultum, Græcorum doctrinam, Romani Imperij maieſtatem, maximorum principum, regum, ac re-

gnorum gloriam, nec res omnium gentium, perēni laude dignas intelligere abſque hiſtoria poterit. quod ad prædicta attinet igitur, non eſt ignorandum (ut à noſtris incipiamus) quod Iuſtinianus ad Imperium peruenit anno ſalutis DXXIX. *natus obſcuro loco & parentibus, quodq́; Imperij ſui anno* III. *iusſit codicem concinnari. edidit* XVI. *Cal. Maij. intra quadriennium uero, quinquaginta libros, pãdectarum euulgauit.* XVII. *Cal. Ianua. inſtitutiones aut intra menſes* XI. *concinnatæ fuerunt, editæ anno Imperij* VIII. XI. *Cal. Decemb. Secundo ſciendum eſt, quod ab urbe condita ad Imperium Iuſtiniani, non interfuerunt niſi* MCCXL. *anni. Tertio ſciendum eſt, quod popularis applauſus, Draconi poſt latas leges, exitialis fuit, quandoquidem illi fauſtis acclamationibus, iniectis tunicis ac ueſtimentis promiſcue ſub põdere misſiliũ ſuffocatus interierit, quodq́; Romani exemplum ſanctisſimarum Solonis, quibus tunc annis* C. *Athenienſes rempublicam gubernarant, petierunt. Quarto ſciendũ eſt, quod Narſes Eunuchus, Iuſtiniani cuius, paulo ante mentio facta eſt, cubicularius, Italiam à Gothis iam occupatam ut infra, Romamq́; Imperio redemit. Venetijs Templũ Diui Theodori ubi nunc eſt eccleſia S. Marci extruxit, nec non Diui Geminiani, quod illi obuiũ eſt, & Rauennæ S. Apol-*

linaris. Q*uinto ſciendum eſt, quod* Theodoricus Gothus, Theodorici *filius*, Fabaco Sarmati*æ rege,quæ hodie* Polonia *uocatur*, Conſtantinopolis *à* Zenone Imperatore Leonis *ſucceſſore, ſtatua equeſtri,& patriciatus dignitate cohoneſtatus eſt,& declaratus inſuper* Itali*æ rex* Theodorici *magni cognomẽto,ætatis ſuæ anno* XVIII. Odoacres *etiam natione rubeus*, Merulorum *rex, habitator olim ubi nunc eſt* Valachia *ultra* Danubium, *ualidisſimo exercitu* Italiam *adhuc inuadere auſus eſt, & regis titulum ſibi comparare anno* CCCCLXXI. Nec *aliter* Pipinus Caroli *regis* Franciæ *filius, quàm rex pari modo* Italiæ *declaratus eſt à* Leone III. *Pontifice maximo, ſanctisſimo natiuitatis* Chriſti *die anno*, DCCCI. *miſſæ ſolennibus peractis in* D. Petri *apoſtoli memoriam.haud omittentes* Gothos *annos* DCC.*regnaſſe,&* Alaricum *horum regem, cepiſſe* Romã *poſt annos* MCLXIIII.*ex quo facta eſt*. Sexto *ſciendũ eſt,legẽ,niſi à* Germanis Imperatorem *deligendum eſſe factã fuiſſe à* Gregorio V. *in* Romanorum *odium,& dedecus*. Sep*timo ſciẽdum eſt quod ſedes apoſtolica olim fuit in* Anthiochia,*poſtea* Romam *à* Petro *iubente domino miraculoſe translata eſt*. O*ctauo ſciendum eſt,quod* Alexander *&* Auerroes,*animæ mortalitatem & unitatem intellectus tenentes, à* Leone X. Pont.*maximo anno* MDXIII. *in con-*

cilio Lateranenſi, ſesſione VIII. XIIII. Cal. ianua. condemnati fuere. Nono ſciendum eſt, adhuc quia paulo ante Gothorum mentionem fecimus, quod prima eorum manſio fuit, iuxta paludem Mæotidem. quodq́; omnibus barbaris ſapientiores extiterunt, & pene græcis ſimiles. Decimo ſciendum eſt, quod Taraboſtei, & pileati uocabantur, qui inter eos generoſi extabant, ex quibus tantum reges & ſacerdotes, (ut ſcribit Dion hiſtoricus) ordinabant, adeo laudati ut dicerent Martem etiam apud eos fuiſſe progenitum. Scythæ quoque dicti fuerunt. Deq́; iſtorum ſtirpe deſcenderunt Amazones, & dictu mirabile eſt, quod Cæſar, qui omnem pene ſuæ ditioni ſubegerat mundum, Gothos ſæpe pertentans nunquam tamẽ ſubijcere potuit. Vndecimo ſciendum eſt, quod Mithridates ponti rex, cum Romanis annos VI, & XL. uaria fortuna bellum geſsit. Viriatus Luſitanus, Marte uario pariter X. Duodecimo ſciendum eſt, olim Domitianum magnificum fortunæ reduci Templum extruxiſſe, abeunte enim principe (eidem enim ſacrificabant ut incolumis rediret) unde Martialis,

Hic ubi fortunæ reducis fulgentia late
Templa nitent fælix area nuper erat.

Decimotertio M. Agrippam Corona roſtrata, ab Auguſto cohoneſtatum fuiſſe, quia Sextum Pompeium Pompeij filium in Sicilia Piraticam

exercentem certamine uicerat, ex quo nummiſma eiuſdem uidemus. Neptunum *a tergo manu dextra,* Delphinum *tenentem, ſiniſtra uero tridentem, ſicq́; cum* Poeta *quoque cecinit,*

Tempora nauali fulgent roſtrata corona.
Habet *etiam* Tiberius *Cæſar, uerba hec, circunquaque inſcripta,. Ciuitatibus Aſiæ reſtitutis, quia terremotu colapſas, à tributo liberauit ædificijsq́; reſtituit.* Et Auguſtus *alia ſic expreſſa,* Saluius *otto.* I I I. *uir* Æ. A. A. F. F. *ideſt ære, auro, argento, flando ferundo. erantq́; ut* Venetijs Viri *monetales.* Decimo *quarto ſciendū eſt, in templos* Caſtoris, *olim quod erat in foro* Romano: *pecunias deponi ſolitas, quo eſſent tutiores.* Decimo *quinto ſciendum eſt* Romæ, *aliquando* Soli *à* Nerone *coloſſum æneum pedum* CXX. *fuiſſe dicatum, quem* Zenodorum *ab* Auernis *ciuitate* Galliæ *accitum feciſſe dicunt.* Alius *etiam fuit in* Rhodo *inſula, mira magnitudine charetis opus, ſoli dicatus pariter, à quo* Rhodij *poſtea* Coloſſenſes *appellati fuere.* Alius Thebis Mēnonis, *qui ita erat extructus, ut ſplendeſcente die crepitum emitteret, uelut ſponte auroram ſalutans.* Et *ad* Neronis *propoſitum nec omittendum cenſui, quod certamina græciæ obiuit, quodq́; tragœdias egit. & quod denique ſtatuas etiam ſuas, citharœdico habitu poſuit, eaq́; nota quoque nūmum percusſit.* Decimo Sexto *ſciendum eſt,* Ro-

manos Aquila aurea poſt Marium in exercitu ſemper uſos fuiſſe. & cum ſit primus auium honos, non ab re ioco potius quàm ſerio hoc ponendum etiam duxi, quod de Cardinali quodam ferunt eueniſſe, qui (à Cæſare enim ſe prognatum eſſe dicebat, coniunctumq; ſanguine Vrſinis & columnenſibus ſymbolum ferens, Aquilæ & Vrſi ferrea torque columnæ alligati) ſic carmine à Paſquillo (uti mos urbis eſt) deriſus legitur,

Redde Aquilam Cæſari, columnis quoq; redde columnam,

Vrſinis urſum, ſola catena tua eſt.

Domitianus etiam de quo ſupra, ædem Herculi magnis ædificauit impendijs ubi ſe coli amplius iusſit. Auguſtus ſimiliter cædem Iulij Cæſaris ultus, Templum erexit Martis ultoris. Decimoſeptimo ſciendum eſt, Studium Paduæ ex longiſſima conſuetudine inſtitutum fuiſſe, Bononiæ à Lothario Imperatore, Pariſijs à Carolo Magno, & ex priuilegio, generale etiam Mediolani, quia ciuitas regia eſt et Metropolitana obtinẽs principatũ inter alias Lombardiæ. et aliquando conceſſum Florẽtiæ quoque à Clemente VI. Auinioni exiſtente anno MCCCXLVIII. Decimo octauo ſciendum eſt, quod Ferraria recognoſcit Pontificem in ſuperiorem, imò quod in patrimonio Petri, ſimulq; Marchia eſſe dicuntur. Decimonono, quod regnum Apuliæ eſt emphyteoti-

cum, & ſui natura uadit in poſteros ſanguinis regalis, iuxta gradus eorum, nec reuertitur ad eccleſiam. Vigeſimo quod Dux Sabaudiæ eſt uaſallus imperij, & Marchio Salutiarum homo ligius Imperatoris. Vigeſimo primo, quod Romanus populus, primum in claſſes quinque fuit diſtributus, poſtea in centum nouaginta tres. Vigeſimo ſecundo quod idem Carolus Magnus, de quo paulo ſupra Florentiam à Gothis deſtructam & à Totila, ac ſolo æquatam reædificauit. Vigeſimo tertio quod D. Thomas, Neapoli docebat anno M C C X L. deinde iuſſu Celeſtini pontificis Lugdunum proficiſcens ad concilium, in itinere obijt. per hæc tempora M C C X L V I. floruit Accurſius noſter, ad uiuam effigiem mihi nunc allatus, & in muſæo meo cum alijs antiquitatibus poſitus. Floruit & Ioannes gloſator decreti, anno M C C L V I. & F. Petrarcha anno M C C C X X X V. temporibus Baldi Vbaldi, Peruſini, quo ſchiſma etiam erat inter Vrbanum ſextum, & Clementem ſeptimum, pullulauit & uires ſuas extendit, ita ut eſſet in toto orbe partialitas. Vigeſimo quarto ſciendum eſt, Conſtantinopolim à Turcis captam anno domini. M C C C C L I I I. Iunio menſe, Imperatore occiſo, & multa chriſtianorum ſtrage. Vigeſimo quinto quod S. Vincẽtius ordinis prædicatorum qui in patria Britanniæ ſepultus eſt, Romæ tunc

à Calliſto III. anno MCCCCLV. fuit canonizatus. Bernardinus de Senis uero à Nicolao IIII. anno Iubilei MCCCCXLVI. qui multo tempore prius in patria Pedemontium, cũ concionaretur, annis VII. ante mortem, multis claruit miraculis. Vigeſimo ſexto ſciendum eſt, quod tota Sicilia eſt de patrimonio eccleſiæ. Vigeſimo ſeptimo, quod Lugdunum condidit Munacius Plancus Ciceronis diſcipulus, cum Galliam comatam regeret. Vigeſimo octauo quod Pilatus amiſſo ſceptro in Gallia exul mortuus eſt, uocabaturq; Pontius, proconſul in Hieruſalem, patria lugdunenſis. Vigeſimo nono ſciendum eſt, ad Romanos redeuntes, quod adeo Cannenſi pugna erant conſternati militum animi, ut de relinquenda Italia cogitarent. Eo enim tempore quatuor in locis, grauisſima gerebant bella. in Italia adhuc contra Hannibalem. In Hiſpania contra Aſdrubalem, illius fratrem. Inq; Macedonia contra Philippum. & in Sardinia denique aduerſus Sardos. Nec non M. Æmilio & Q. Catulo, Coſs. quatuor, unum in Hiſpania, aliud in Pamphilia & Cilicia, Tertiũ in Macedonia, Quartũ & ultimum in Dalmatia. Trigeſimo ſciendum eſt, Federicum ſecundum Imperatorem ab Honorio III. coronatum fuiſſe, in Feſto D. Martini promulgata lege, nos Federicus; poſita poſt tractatum feudorum. quam idem Honorius poſtea

approbauit.et canonizauit Bonifacius Octauus, anno MCCXX.& Federicus iunior appellatus, poſtea ab Innocentio IIII. depoſitus, & Panormi ſepultus iacet, carmineq; hoc tumulo eius incſripto,

Si probitas ſenſus, uirtutum, gloria, cenſus,
Nobilitas orti, poſſent obſiſtere morti,
Non foret extinctus, Federicus qui iacet intus.

Trigeſimo primo ſciendum eſt, quod tempore Conſtantini Imperatoris, quando donauit temporalem iuriſdictionem eccleſiæ, non erant Cardinales. Trigeſimo ſecundo, quod Iulianus noſter, qui fuit iuris peritus, quiq; edictum perpetuum, compoſuit, Elium pertinacem interfecit. Trigeſimo tertio quod Pyndarus poeta lyricus, græcus fuit tēporibus Neemiæ Prophetæ, et Lucretiæ Romanæ fœminæ pudiciſsimæ. & quo ſeculo quoque fœliciſsimo nunciauit Angelus Beatæ Virgini, Aue Maria. Lucretius uero poeta latinus, Pompeij, quo tempore floruerunt etiam Catullus, Tullius, Saluſtius, & Diodorus Siculus. et ſeculo Dionyſij Areopagitæ (is enim eſt quiChriſti mortem cognouit, ob inſolitam ecclipſim ſolis; quando dixit, Aut natura ruit, aut deus patitur) Lucanus, Statius, Perſius & Seneca. Et T. Liuij Patauini, Ouidius Valerius Maximus, Cornelius nepos et Strabo. Trigeſimo quarto ſciendum eſt, quia à noſtris de ludis Circenſibus plerunq; fit

mentio,quod olim Circi tres maxime fuerunt Romæ, *Maximus inter palatium et* Auétinum, Flam*minius qui apollinaris dictus eſt*, & Neronis *in* Vaticano. Trigeſimo *quinto quod eccleſia* D. Antonij *confeſſoris noſtri prius*, S. Maria *mater domini apellabatur, præciſe ubi idem corpus ſepultum eſt*, Ezelini Romani *tempore*. Trigeſimo *ſexto, quod* Chriſtus D. *noſter, aſſumpta carne humana annis* XXXIII. *peregrinatus eſt ſemper prædicando*. Paulus *uero apoſtolus* XXXVIII. Ioannes L X. Trigeſimo *ſeptimo, quia (ut dicimus nos) libellus in ſcriptis offerendus eſt, ſciendum arbitror cœpiſſe ſic offerri tempore* Iuſtiniani. Trigeſimo *octauo* Lilia, *quæ inſignia* Galliæ *ſunt, à* Carthaginenſibus *ad* Gallos *translata fuiſſe, quibus milites ornari ſolebant*. Trigeſimo *nono ſciendum eſt*, Mœnia *portamq;* Turriſellarũ *facta factamq; fuiſſe, ſeu capta cœptamq; anno* M C C X. Palatium *uero iuris* MCCXV. & *quia de ſtudio* Papienſi *ſupra, nil dictum eſt, ſcias* Carolum Pipini *filiũ uiris doctis inſtituiſſe, ſicuti* & Pariſienſe, *poſteaquam* Longobardos *perdomuit, & primum olim in* Ægypto *ordinatum fuiſſe, ubi & ſacerdotes ad ſcientiarum inuétionem iuſſi ſunt. & ſicuti ab hiſtoria cepimus ut cũ hiſtoria finiamus, tametſi omnia hæc ad hiſtoriam ſpectent & pertineant ac ſub præſenti titulo contineãtur, ultimo ſciendum eſt, quod à*

principio Romæ non erant hiſtoriarum ſcripto-res, ſed annalium libri tantum, hæc quid pul-chrum, quid utile, quid turpe & honeſtum ſit docet, nullum iucundius animi alimentum, quàm ſcientia & memoria rerum geſtarum, qua nulla uitæ pars neque publica, neque pri-uata uacare poteſt. Nec ab re poſt Cicero-nem ſupra magiſtram uitæ eſſe diximus, quia ſi prudentia eſt quæ uitam ducit, prudentiam absq; dubio, multarum & magnarum rerum cognitio parit. quam nemo inter ſcriptores me-lius hiſtorico tradit, omniaq; uelut in tabula quadam ſpectanda repræſentat. Quadrageſimo primo tamen adhuc ſciendum eſt, quod uetus te-ſtamentum ab Abraham cepit, Diluuium à Noè, ſacerdotium ab Aron, à Ieſu Naue filio Syrach Pontificatus, à Dauid regnum. Quadrageſimo ſe-cũdo quod Paulus apoſtolus Athenis olim uenit, & cum aram uidiſſet, in qua ſcriptum erat, Ara ignoti dei in quo uiuimus, morimur, & ſu mus. cepit prædicare, aperiens illi eſſe ignotum quem prædicabat, cui Dionyſius Areopagita di-xit, ut cæcum trãſeuntem illuminaret, affirmans ſe crediturum ſi id feciſſet. Quod ſtatim inuoca to Chriſti nomine factum eſt, & credidit. Quã-drageſimo tertio, quod Moyſes apud nos primus hiſtoriam ſcripſit, apud gẽtiles Dares Phrygius poſt Daretem Herodotus, & poſt eum Pherecides.

des. Quadrageſimo quarto, quod Hiſtoria grecæ ἐφημερὶς *uocatur, ut ſupra, latine Diarium, id eſt geſtio unius diei. Calendarium quod ſit ſingulis menſibus, & Annales res ſingulorum annorum. hiſtoriæ igitur dent operam iuuenes, lectioniq; hiſtoriarum incumbant, ut eorum mentes & animi quanquam tepeſcentes præclariſſimorum facinorum memoria, ad gloriæ & immortalitatis ſtudiũ accẽdantur. faces et ſtimulos ſibi comparent, & rerum omnium deniq; utilitas apud poſteros propagetur.*

An alio nomine Elephas appelletur, Quid ſibi uelit pœnorum lingua, hoc uerbum, Quomodo incedant, Quæque ſit eorum, & cum quibus naturalis pugna, & alia ſcitu digna. Cap. V.

ANte omnia ſciendum eſt belluam hanc maxime diſciplinabilem eſſe, atque ubi ſemel ſub homine uiuere coacta eſt, ab homine omnia perferre, morum ſimilitudinem ab ipſo capere, gaudereq;, non ſecus ac catuli, ex manu cibum capere, uenientem etiam promuſcide complectitur, caputq; intra fauces immittere, hominem patitur, adaperto rictu, tandiu permanens quoad libitum fuerit, & breuiter (ut inquit Cicero) cum humano genere ſocietatem habet.

Noctu ferunt ſuam deplorare ſeruitutem ingē miſcētem, etſi ſuperuenerit homo, querelā ſiſtit; quaſi uerecundia quadam commotam. Itaq; ſibimet imperat & naturæ perſuaſio magis ipſam ducit quam is qui ſuperſedens, ipſam gubernat. Sunt Elephanti longiſſimæ uitæ. capiuntur ad bellicos uſus, pugnantq; onuſti turribus, quibus decem aut quindecim homines ſuperſtant. Campeſtres benigni perhibentur, manſueti & imitatores, tripudiant, & ad fiſtulæ ſonitum ſaltant, ſeq; à terra ſaltando ſubleuant. Cateruatim incedunt, & Duce utuntur, ſenectutiq; maxime deferunt. hæcq; ſatis eſſent. ſed habe rurſum quod Elephas, alio nomine etiam Barrus appellatur, ita ut ebur à Barro quoque dicatur. ideſt Elephanto, iuxta illud;

Quid tibi uis mulier nigris digniſſima barris? quodq; Elephas pœnorum lingua, ſeu maurorum nil aliud ſonat, quàm Cæſar, ab Elephanto in pugna cæſo, & quod denique inter Elephantes & Dracones, perpetua eſt dimicatio. Nam Draco cauda illū conſtringit, elephas uero pede & promuſcide alias proboſcide Draconem proſternit. pleraq; alia dicerem, ſed quia libri Ariſtotelis, Plinij, & Strabonis, pleni ſunt, tranſco. hæcq; pauca delibaſſe ſufficiat. Et ſi quid amplius addendum eſt, illud addi poteſt, quod etiam morbus elephantiacus inuenitur, cui maxime Ægiptus

obnoxia dicitur, non ſecus ac Roma hemitritæo, Podagræq; attica regio. & magis ad propoſitum quod elephātes iuncti primum aphrico triūpho M. Pompeij currum traxere, quodq; primus elephantorum pugnam dedit in circo Cn. Pompeius, ludis quibus Theatrum à ſe factum, dedicarat, & quod denique uicto etiā Pyrrho, (ipſe enim fuit qui eos numero XX. in Italiam primus, inuexit, quos boues Lucas, à Romanis appellatos aiunt, eo quod in Lucanis primo uiſi eſſent) Curius Dentatus Romam quatuor duxit.

Quod hæreſi laborātes ex conſuetudine ſunt comburendi, Vnde ortum hoc habuerit, quiq; aliquando combuſti fuerint, & quæ requirantur denique ne quis ut hæreticus pœna mortis puniatur. Cap. VI.

DE hæreſi deq; hæreticis multa, pariter hinc inde dicuntur, ſed tamen ne uacuum ſit hoc genus, aliqua à nobis etiam adijciēda ſunt, ut hac de re locuturi, omnia non ſolum in promptu, uerum etiam in conſpectu habeant, & protinus ſe ſe uel non quæſita oculis oſtendant. Primum igitur ſciēdum reor, quod hæreſis nil aliud eſt quàm propriæ opinionis electio, longe differens ab opinione eccleſiæ, proueniens ab animo hominis omnium arrogantisſimi. Seu hæreticus

qui falſam de fide uel gignit uel ſequitur. quiq; aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus ſpiritus ſancti flagitet ſacramentorum peruerſor, & in fide dubius. hæreticus etiam eſt, qui dicit Romanam *eccleſiam, non eſſe aliarum caput. & qui nõ obedit ſtatutis illius. & qui (quod plus eſt) tenet fornicari, non eſſe peccatum, neque donationem* Conſtantini *ualuiſſe, à multis imperatoribus con firmatam; hæreticus more ſimiarum, quæ cum homines non ſint, formam humanam tamen imitantur, uultum eccleſiæ catholicæ, & auctoritatem ſibi, & ueritatem uendicat, cum ipſe in eccleſia non ſit, benedicit cùm à deo ſit maledictus. uitam pollicetur cum ſit mortuus.* Deum *inuocat cum ſit blaſphemus, ſacerdotium adminiſtrat prophanus, & munus denique ponit ante altare ſacrilegus.* Quid *quod hæreticorum particeps, etiam hæreticus eſt, niſi ſe à communione illorum ſeparauerit, dicẽte domino per* Moyſem, Separamini *à tabernaculis hominum duriſſimorum.* Imò *quod in cœna domini quotannis participantes excommunicantur.* Scelus *adeo deteſtandum, tametſi oporteat hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant, ut de hæreſi cognoſci poſſit etiam poſt mortem, intra quinquẽnium tamen. hæreticum eſſe delictum eſt, & quidem punibile, ad* Iudæi *differentiam. & nõ ab re mendax eſt, quia pater mendacij, eſt pariter* Diabo-

lus. & mirum dictu præter hæc uidetur, quod eccleſia legibus imperatorũ noſtrorũ utatur, in hoc hominum genus contra ſe uero nunquam. Vel *dicamus, (experientiaq́; ipſa docet magiſtra rerum efficax) quod ex conſuetudine comburantur ij, qui hac perfidia conſpurcantur, quodq́; (& bene ac ſancte) à* Chriſti *ſententia ortum habuit, dicentis,* Si *quis in me non manſerit, excidetur, areſcet, & in ignem mittetur, & qui non uult ſeuerisſima hac morte puniri, incontinenti reuertatur ad fidem, ſponte errorem ſuum publice abiuret, & congrue ſatisfaciat. & ſi quis, rurſum inculpatus fuiſſet, qui talis non eſſet tamen, proteſtetur ſe catholicum fore, tenereq́; & tenuiſſe ſemper* S. Chriſti *fidem, & quam tenet eccleſia* Romana, *aliorum domina & magiſtra, & (ut paulo ante dictum eſt) caput.* Quorum *neutrum cum facere noluiſſent, non ſuſpecti tantum ſed hæretici & conuicti quidem,* Ioãnes hus, *&* Hieronymus, Boëmi, *à* Conſtantienſi *concilio prius condemnati uiui combuſti fuerunt anno domini* MCCCCXV. *qui quaſi ad epulas, inuitati ad incendium properabant, nullam emittentes uocem, quæ triſtis animi indicium eſſet, ſed (ut memoriæ proditum eſt) hymnum canentes potius, quem uix flamma & ignis fragor intercipere poterat.* Hæreſis *inſuper ex his diuiſio interpretatur, & hæreticus ab hærciſcor, ciſceris, ideſt*

diuido diuidis, inde (ut nos) iudiciū familiæ hæreciſcundæ ideſt diuidendæ. & Eremita hoc eſt ab alijs diuiſus. hæreſis grando eſt, & tempeſtas, hæretici locuſtæ. eorumq; doctrina caput cō turbans, & febres inducens ut auena & lolium niſi euomatur. Ipſiq; inſani & dementes, quæ dementia tamen pro abuſu rationis capitur, nō pro præciſa animi carentia. Non prætermittentes, quod leuia ſufficiūt ſigna ad præſumēdum quem hæreticum eſſe, dummodo præbentur plene. & ſufficere ſi libri reprobatæ lectionis, apud eum inueniātur. & quod iſto caſu impune hæretici omnes occidi poſſunt, & ciuitas exuri amplius ubi habitant, & à quocunque iſtud etiam fieri.

Quomodo humanitas maxime popularem gratiam, fauoremq; conciliat, Quod homo ab humanitate dictus eſt, Quot modis oſtendatur, & quod humanitate multa fiunt, quæ alias de iure non procederent, neque admitterentur. Cap. VII.

INter cætera popularem gratiam, fauoremq; conciliantia, & quam maxime quidem, id unum mihi præcipuum uiſum eſt, ſi princeps aditu, alloquioq; ſit perhumanus et facilis, imò quod abſolute hominis proprium eſt humanitas. quæ ſi in eo non fuerit, à qua dictus appellatusq; eſt,

ne dum ab humo, iam non homo erit, ſed bellua, ex quo Cæſar cum ſibi Pompeij caput delatum fuiſſet, lacrymas (quod longe magis mirandum eſt) continere non potuit. Nec Paulus Æmilius Perſe, *nec* Scipio *Carthagine uictis. & non ab re ueteres, non hominem ſed homonem appellabant, à quo hominium ideſt humanum deſcendit, quod eſt (ut diximus) hominis proprium, quodq́; proprie ſpectat ad hominem. unde* Poeta,

Homo *ſum, nihil humani à me alienum puto.*

hincq́; artes liberales, quæ humanitatis ſtudia appellata ſunt, ſoli homini dantur. humanitatem hanc deus ex multis oſtendit, fatigatus ex itinere. Miſericordia *motus. perſecutionem fugiens, & id genus plura quæ ſcribere non intendimus.* Cuius *actio tamen inſtructio noſtra eſt, & ad propoſitum tanta* Cn. Pompeius *ualuit, ut difficile dicta eſſet, utrum hoſtes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem uicti dilexerint.* Tanta Alexander Macedonicus *ut ueteranum militem ui frigoris ſtupefactum confeſtim manu apprehenderit, blandisq́; uerbis in ſellam regiam collocauerit, facete inquiens. amice tibi ſalutare futurum eſt, quod* Perſis *exitio eſſe ſolet, ſolium regium ſcilicet occupaſſe.* Quid *quod* Archelaus *etiam regni ſocius, dicere* Charilao *ſolebat,* Quo *pacto non eſt uir bonus* Charilaus, *qui ne ſceleratis quidem eſt moleſtus.* Non

omittentes rurſum, ſicuti fortitudinis præceptū eſt, ne miles locum in acie deſerat, iuſtitiæ, ut promiſſa fides pacta iuſiurandumq; ſeruetur. Temperantiæ quod quisq; manus, & ab alieno abſtineat, ne uc ſtuprum uel adulterium committat, prudentiæ, principi reipublicæ uel amicis rectum afferre conſilium, ita manſuetudinis ac humanitatis eſt, ne quis hominem cædat, pulſet, aut uerberet, quam breuiter in obuium, in afflictum, & in conuiuam amplius exercemus. & præter hæc à noſtris etiam maxime conſiderabilis, quia dicunt quod ſemper humanior interpretatio admitti debet, quod legatum factum ſeruo ſine libertate, non ualet, niſi humanitatis intuitu, & quod denique lex ita loquuta, ad alium caſum extendi non debet.

Hoſpitalitas maximam habet laudem, hoſpes qualis eſſe debeat, Quod iura hoſpitij nō ſunt uiolanda, & quod denique regū ac diuitum eſt proprium hoſpitem excipere. Cap. VIII.

QVia hoſpitalitas maximam habet laudem, contra uero ἀμιξία ideſt inhoſpitalis reprenſionem rationabilem, non ab re Abrahā ciuitatibus à domino ſubuerſis incendio ob ſolitudinem aliò ſe tranſtulit ut hoſpitalitatem exerceret. Coluitq; Iouem hoſpitalem

antiquitas, & ſiquis peregrinum poſt ſolis occã ſum nõ ſuſcepiſſet reus erat pœnæ. Verum *eſt tamen hominem (prouerbium enim uetus eſt) neque nimis hoſpitalem, neque omnino inhoſpitalem eſſe oportere. ideſt hoſpitem inuitandum non compellendum. uolentemq; accipere nolentem dimittere. hoſpitio* Helenus Priami *filius* Chaoniæ *rex* Æneam *ſuſcepit.* Perſarum *rex pariter* Themiſtoclem & Alcibiadem. Ianus Saturnum. *Terraq; peragrantes* Iouem, Neptunum *ac* Mercurium Hircus. *& præter hæc nota etiam hiſtoria* Hyli Herculis *filij, qui ab* Euriſteo *rege pulſus, cũ reliquis ex* Alcide *mortuo ſuperſtitibus* Athenas *cõfugit ibiq;* Clemẽtiæ Templũ, *in hoſpitij ſibi ab* Athenienſibus *impenſi teſtimoniũ inq; deiectorum refugium extruxit magnificentiſſimum. hoſpitio* Phryxus *à nouerca deiectus à* Colchorum *rege* Æete *ſuſceptus eſt.* Et *ab* Eſone Iaſonis *patre naufragio eiectus* Cithorus *phryxi filius.* Neque *ſolum regum eſt, proprium hoc idem facere ſed omnium abſolute, maxime diuitum iuxta illud poeticum,*

Iuppiter *hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.* Peculiare *ac genuinum* Germanorum, *quibus inſignem hoſpitalitatis laudem tribuit* Cæſar. Imò *quod hoſpitaliores, artifices hominesq; mediocres, & plebei eſſe uidentur apud quos apoſtoli etiam libentius humilitatem docentes, diuerte-*

bant.ſed miſſa hæc faciamus,hoſpitem declarantes inde eum non eſſe tamen qualem Rhodi apud Lacydam hortabatur Diogenes, ut apparatū lautum abijceret,& cum acciperet,ut in Iliade Homerus Heroas. in pelle bouis Sylueſtris & ſineret corpus quibus aſſuetum erat diſcumbere; ſeruus unus miniſtraret,pocula ex uili luto fictilia, ex fonte aqua,cibus panis, pulmentum, ſal uel naſturtium,ſed pro ſtatu & conditione perſonarum tum hoſpitis tū hoſpitem ſuſcipientis. Iuraq; hoſpitij uiolanda non eſſe, quod bene ſic poëta cecinit,

Ille ut opes fractæ Teucrorū et fortuna receſsit;
Res Agamemnonias uictriciaq; arma ſecutus,
Fas omne abrumpit, Polydorū obtrūcat,et auro
Vi potitur, quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? hoc ipſumq; ſemper maximi fuiſſe ſceleris ſatis declarat Homerus. Et non abre, Lycaonem(ut fabulantur poëte) quia ſuſceptos hoſpitio necabat,aliquando in Lupum à Ioue ſuſcepto pariter,poſtquam epulas ei appoſuiſſet humanas conuerſum fuiſſe.In Lyncem uero ferā coloris uarij à Cerere mutatū Lyncum Scythiæ regem quod Triptolemum ab ea miſſum frumenta hominibus monſtraturum interficere cogitaſſet,ut in ſe gloria tanta migraret.Buſiris etiā Neptuni filius hoſpites dijs immolabat,& ipſe quoque ab Hercule hoſpite occiſus eſt.à Theſeo uero

Sciron latro, ne ſuos in mari (quod facere tamen conſueuerat) præcipites daret. Certareq́; fas non erat apud Ægyptios ne fieret iniuria hoſpiti. Gratitudinis ſigno igitur ijs à quibus hoſpitio ſuſcepti fuimus agendæ ſunt gratiæ deteſtatione illorum qui hoſpitij iura (ut dictum eſt) impietate aliquando uiolarunt.

Epitaphium Syllæ quale fuerit, Quale Africani, Darij, Demoſthenis & aliorum plurium, ex quibus multa ſanè & quidem pulchra ac utilia elici poſſunt. Cap. IX.

Indubitatum eſt epitaphium nil aliud fore, niſi inſcriptionem ſiue titulum, qui tumulo in defuncti hominis laudem apponitur. Simonidis poetæ inuentum, quem primum fuiſſe dicunt Næniæ ſiue Monodiæ inuĕtorem, Næniamq́; ueteres Deam, cuius Sacellum erat extra portam Viminalem, coluiſſe. ſed habe ad propoſitum præſtantiſſimorum uirorum fuiſſe huiuſmodi, & primum Syllæ. Nemo me amicus beneficentia, nemo inimicus quoque in ferenda iniuria ſuperauit. Africani uero, Ingrata patria, ne oſſa quidem habebis mea. Literni enim exilio conſenuit, & illuc uita functus eſt. Darij, Amicus amicis fui, eques, ſagittator, uenator, quæcunq́; uolui facere potui. Demoſthenis autem, Si pares ingenio uires

Demoſthenes habuiſſet, nunquam greciam Macedo ſubegiſſet. Sed præter hæc, alia etiam multa fuere, ſanè pulchra & ſcitu digna, præſertim Bedæ adhuc tale. Hac ſunt in foſſa, Bedæ uenerabilis oſſa. nec ab re in Sanctorum cathalogo poſitus, quod tamen uenerabilis dicatur, quoniã cum lapidibus concionaretur, à quibuſdam ſuaſus, ioco potius quàm ſerio, (oculis enim captus erat) hominum multitudinem eſſe, id firmiter credens, & concludens tandem per omnia ſecula ſeculorum, amen uenerabilis pater, reſponderunt lapides. Vel quia rurſum clericus eiuſdem amicus, tumulo inſcripſerat, hac ſunt in foſſa, Bedæ ſancti oſſa, miraculoſeq; uerbum additum eſt, uenerabilis, ſancti uero deletum, ut cacophonia uitaretur. ne ue contra carminum legem, ſic inepte ipſum legerent, uiatores inde tranſeuntes. Fuit et aliud pulcherrimum ſilentio non committendum L. Munacij Planci, his uerbis inſcriptũ,

L. Muna. L. F. L. N. L. pron. Plancus, Cos. Cens. Imp. Iter. VII. Vir epul. Triumph. ex Rhetis, Aedem Saturni, F. de manubijs, agros diuiſit in Italia Beneuenti, in Galliam Colonias deduxit, Lugdunum & Rauracum. quod ſic exponitur. Lucius Munacius Plancus, Lucij, filius, Lucij nepos Lucij pronepos, conſul, cenſor, Imperator iterato, ſeptumanus in ſacerdotio, Triumphator ex Rhetis, ædem hanc Saturno fundauit,

ex facultatibus bello partis, agros Beneuēti diuiſit in Italia,& in Galliam in ciuitate lugduni,atque Auguſtæ Rauracorum nouos collocauit colonos.Aliud Baſileæ ſic annotatum cuiuſdam Rodulphi comitis Habiſpurgenſis in templo D. Annæ.

Hic iacet arte Plato, Cato uita, Tullius ore;
Vermes corpus alit,ſpiritus aſtra petit.

Aliud ijs Septimij Seueri hic etiam ſic exſcribendum.

Imp.Cæſar L.Septimius Seuerus, pius ptinax, Aug.Arabic.Adiab.Parthicus,Maximus Pontifex,Max,Trib.pot. VIIII. Imp. XII. Cos. II. P. P. Procos.& Imp. Cæſar Marcus Aurelius Antoninus Pius,Aug.Trib.pot.IIII. Procos.E.uias & pontes reſti.A. Camb.M. P. XI. Quod hanc habet interpretationem pariter.

Imperator Cæſar Lucius ſeptimius Seuerus, Pius,pertinax,Auguſtus,Arabicus,Adiabenicus, Parthicus,Maximus Pōtifex,Maximus Tribunitiæ poteſtatis nonies,Imperator duodecies,cōſul bis,Proconſul,Pater Patriæ,& Imperator Cæſar Marcus Aurelius, Antoninus Pius Auguſtus, Tribunitiæ poteſtatis, quater proconſul,uias & pontes reſtituerunt, à Cambidono millibus paſſuum undecim. aliud Cōradi epiſcopi Vuirceburgenſis, ordinis Theutonicorum inſidioſe occiſi, quia rapinas, cædes, direptiones aliaq; ſcelera

acerrime uim dicabat, quod ſic ſe habet ceteris pulchrius apud Vuirceburgum,

Hoc procūbo ſolo, ſceleri quia parcere nolo:
Vulnera facta dolo, dent habitare polo.

Quibus addi etiam poteſt (multo plura enim referre poßemus, ſed ne totum epitaphiorum librum, hic, quod tibi pro exemplari promptum ſit, ſi ea ſcire cupias, excribere uideamur, hæc paucula ad titulum facientia ſatis erūt) aliud Semiramis, Ægyptiorum Reginæ, forte ut regum taxaret cupiditates, ſi quis (quod uerba indicabant in hunc modum) facere pertentaſſet, qui regum pecunijs eget, monumentum demoliat, ſibiq́; ſumat quantum uelit. Quod cum poſtea feciſſet Darius, uerbis deluſus alia ſic dicentia legit. Niſi malus fuiſſes & pecuniarum inexplebilis mortuorum loculos non mouiſſes. Nec ridiculum poſtremo omittit, Sardanapali ſcriptum ea in urbe quam ipſe ædificauit, quamq́; Anchialam uocant, ſic ſe rurſum habentis. Ede. bibe lude,

Et cum te mortalem noris, præſentibus explo
Delitijs animum, poſt mortē nulla uoluptas.

Quod (ut inquit Cicero) potius in bouis quàm regis ſepulcro ſcribi debuit. quodq́; etiam cuidam Alphonſus Aragonius Neapolis rex olim dixit, ſummum bonum in uoluptatibus conſiſtere affirmanti, Bouis uerbum eſſe ſcilicet non hominis. & huic ſimile aliud quoque Medici neſcio cuius, Ve

ronæ, parum credentis legitur, dicentisq́; . Si re-ſurgam me uidebis.

De iureiurando multa, quomodo eſt quid perſonale, nec indiſcrete deferendum, Quod eſt de iure naturali, Quod obligat ex præcepto. Quod ſpectat ad eccleſiam, quale græcorum, & militare, Quod comites habere debeat, & adeo multa hinc ut plura eſſe non poſſint. Cap. X.

IVſiurandum (ut noſtri dicunt) perſonale eſt, ita ut contra hæredes nõ tranſeat, nec ipſum ſeruare teneantur. tametſi tranſeat ad eos robur contractus ac conualidatio. De iure naturali, obligat ex præcepto, & quandiu ſeruari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, ſemper ſeruandum eſt. ſed habe quod ſpectat ad eccleſiam, nec poteſt hac de re, ſtatutum aliquid diſponere ſuper eo, ueluti ſuper re ſpirituali. & diſponens in prohibitione alicuius actus, in dubio non intelligitur in caſu inquo iuramentum interueniſſet. quodq́; indiſcrete deferendum non eſt, ſed cum interrogationibus debitis & opportunis ad ueritatem inueniendam, alias ſeruandum non eſſet, nec ualeret, ſicuti non ualet contra publicam utilitatem. In dependentibus ab animo ſtatur iuramento. & cũ nemo præſumatur eſſe immemor ſalutis æternæ, tollit & ſubmouet omnem malam præſumptionem. &

defertur non ab re in actione iniuriarum reo. Vbi tamen cauſa foret ardua delationi locus nõ eſſet. Non *extenditur etiam ad grauamen eccleſiæ, nec ad id quod eſt in ipſius detrimentum, & breuiter, nil aliud eſt quã affirmatio, habens conſenſum reſpectu patris, deo teſte.* Iuramẽtum *etiã ſuper libro* Romancij *(ut uulgus dicit) obligat, et ſuper lapidem, niſi calumniæ uel teſtis ſit. imo ſi iuret quis per* Dæmones *quod obligatur:* Ignorantes *nõ ligat, neque trahitur ad incogitata. debetq́; continere ueritatẽ iuſticiam, & iudicium, & nõ eſſe iniquitatis uinculum.* Iuramentũ *ueſtit pactũ nudum. ſupplet inſinuationis defectũ.* Con*tractũ reuocabilem, irreuocabilem reddit. firmatq́; etiam reprobatum à lege. & ualidat denique pactum legis cõmiſſorie. eſt bene uerum licet inſinuationis defectũ ſuppleat (ut dixi) quod non ſuppleret tamen ubi alius eſſet, puta quod præſumatur donatio.* Et *communiter addi ad materiam poteſt, quod in defectum ſemiplenæ probationis etiam defertur, niſi cauſa ſit magnæ ac notabilis quantitatis, uel capitalis.* Et *cum iuratur (quod eſt perpetua annotatione dignum) manu dextra iurandum eſt.* Et *licet dici ſoleat ſi ius uiolandum eſt, regnandi cauſa uiolari poſſe, pueroſq́; talis fallendos uiros uero iureiurando. ſeruandum eſt tamen toto poſſe, quoniam periurij pœna, maior eſt qualibet pecuniaria, habetq́; non*

ſeruans

ſeruans deum ultorem. Donec enim *Sparta Lycurgi legibus uſa eſt, nec à iureiurando receſsit, ſexcentis annis in* Græcia *principatum tenuit, ceterũ cum ab his paulatim, defluere cœpiſſet poſtea, colapſa eſt funditus*. Saxones *iuſiurandum adeo ſeruant ut furi iuranti rem non habere, quã tamen ſub pallio habeat, credatur firmiter, nec liceat actori aliud petere*. In *templo* Mineruæ *etiam, promiſſum maxime iureiurando ſeruandum erat apud* Lacedæmones *uero nefas à promisſis recedere*. Nec *minus* Iudæo *perfidioſum, ſi hoc idem ageret, manu ad femur appoſita dum iurat*. Romani *per* Iouem *lapidem iurabant, inq; Saturni templo cenſores iuramenta ſubibant*. *Ægyptij per allia & cæpas quas etiam pro dijs colebant*. Pœni *per eos uiros qui apud eos iuſtiſſimi atq; optimi fuiſſent*, Scythæ *per regiũ ſoliũ. Sanguine* Medi & Arabes, Græci *per caput*. Zeno *per capparim*. Socrates *per canem*. *exactiſſimeq; iuſiurandum ipſum(ut decet) ſeruabant. feruntq;* Herculem *maxime religioſum fuiße, & ad iurandum uerecundisſimum, nec in omni uita niſi ſemel iuraße*. Et *cum primum dixerit tibi* Gallus, *qui nobilis ſit tamen, promittẽs foy de gentil homme, nil maius aut firmius dici poteſt, faciliusq; ſol à mũdo, quàm ipſe à fide data, quæ loco iuriſiurandi eſt, diuelli poterit*. Pythagoras *et ſequaces per quaternarium numerum iurabant*

T

tanquam ſacrum quoddam eſſet, fundamentumq́ rerum omnium, quorum carmina hæc non aliud innuunt.

Iuro ego per ſanctũ pura tibi mẽte quaternum
Æternæ naturæ fontem, animiq́; parentem.

Bragmanes autem non, ſed tamen fidem quam maxime ſeruant, ipſorum iuſula non ab re fidei appellata eſt. Et præter hæc (mitto quod aliud ſit credulitatis, aliud ue ueritatis, aliud affectio nis, tria etiam iudicij tempora reſpicientia, item mendax quod ueritate caret, inquum carens iuſtitia, & incautum ſi ſine ratione & cauſam fuerit, nec non aliud uoluntarium, aliud neceſſarium & aliud iudiciale) ultimo loco eſt obſeruandum, quod maximum erat apud ueteres, (ut noſtri dicunt) ſi per genium principis aliquis iurabat, quodq́; Diali flamini iurare non licebat, iniuratoq́; credi oportebat, cui enim ſacra credita erant, ei fidem non habere nefas erat, edictumq́; prætoris hoc ipſum, ſic pro roſtris poſitum indicabat. Sacerdotem ueſtalem, & flaminem dialem, in omni mea iuriſdictione iurare non cogam, & quamuis in progreſſu iuramento uerbo, aliquando uſus ſim ſcias tamen uelim apud probatos auctores non inueniri, iuſiurandumq́; dici debere. perq́; res nobis chariſſimas etiam licere interdum iurare: exempli gratia (ut ſæpe Eraſmus) muſas omnes iratas habeam, per ami-

citiam noſtram, per Chriſtianã charitatem, quod etiam poeta cecinit dicens.

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu ueſtro, nec tela nec ullas,
Vitauiſſe uices Danaum, & ſi fata fuiſſent,
Vt caderem meruiſſe manu, perq; eas etiam,

quas aut timemus, aut optamus, ut ille adhuc his uerbis ait,

Cocyti ſtagni alta uides, ſtygiamq́; paludem,
Dij cuius iurare timent, & fallere numen.

Qualia debeant eſſe indicia, quod quæſtionem & (ut nos dicimus) torturam præcedere debent, an ſufficiat ſi cadauer emittat ſanguinem, præſentia interfectoris, ſi cum gladio uiſus ſit exire domum interfecti, & quid deniq; ſi minæ præcedant homicidium. Cap. XI.

INdicia quæſtionem, ſeu (quod dicimus nos) torturam præcedentia, ut efficacia ſint, certa eſſe debent, ideſt probata ſaltẽ per duos conteſtes, ueriſimilia & probabiliter concludentia, fugaq́; ſola non facit indicium, ex quo nemo eſt qui torturam non timeat, quiq́; ſæpe non pereat ſub iuſto clypeo. Imò quod maior dolor eſt quàm utriuſque manus abſciſsio. quodq́; cruciatus corporis æquiparatur morti. communiter tamen ſeruatur, quod ſufficiens indicium ſit, præter-

quam unus teſtis omni exceptione maior ex ordinatione beati Lodouici. *haud omittentes qualiacunque fuerint, per torturam purgari, ita ut nec repeti posſit, niſi nouis indicijs ſuperuenientibus, fatuusq; eſſet iudex aliter faciens, nec reus abſolui ſtatim, ſed cum fide iuſſore relaxari de ſe præſentando ad mandatum curiæ, foret indicium etiam ſufficiens, ſi cadauer emitteret ſanguinem, præſentia interfectoris, ut aliquando hic & Venetijs aliqui ex noſtris eueniſſe teſtantur.* Nec *ab re quoniam ſanguis de terra clamat, & uindictam expoſcit, ex ab hac experientia iudex recedere non debebit magiſtra rerum efficaci.* Si*q; uiſus fugere fuiſſet & domo interfecti cum gladio, ut in caſu tonſoris, epiſcopi* Tor*cellani alias, prætore* Petro Lando, *qui poſtea fuit* Venetiarum Princeps, *optime meritus, anno* MDXXXIIII. *aut minæ homicidium præceſſiſſent.* Et *ad propoſitum de quo ſupra,* Si *de indicio probando per unum teſtem agatur, duo requiſita habere debet, primo quod deponat de delicto directe & per ſenſum ſuum, & (ut diximus) ſit omni exceptione maior. & ſi indicia indubitata fuerint, ordinaria pœna delicti inde ſequi non poteſt.* Si*q; condemnetur reus, pœna debet eſſe pecuniaria, & ſi capitalis ueniatq; ex cauſa pœna moderanda non debet eſſe corporis afflictiua.* Inimicitia *etiã capitalis eſt indicium*

ſufficiens ad torturã. probaturq́; ex coniecturis. Nec aliud eſt coniectura, quàm acceptio ſeu reputatio ueri, ex aliquo alio ſic ueriſimiliter ordinato. exempli gratia in circulo quo facile coniectura tabernam ibi eſſe, ubi cernitur, aſſequi poſſumus, & ex habitu ſcortum. & ad idem ſimplex, antecedens, adiuncta, conſequens. Antecedens, minæ inimicitia, & odium ut ſupra. Coniuncta clamor, asſiſtentia, & ſolitudo. Conſequens, Pallor, trepidatio, & fuga. & ad indicia redeuntes ſciendum adhuc eſt. fore duplex ſemiplenum & plenum, ſemiplenum eſt præſumptio fortiter mouens animum ad aliquid credendum uel non credendum, plenum uero demonſtratio rei, per ſigna ſufficientia per quæ animus in aliquo, tanquam in exiſtente quieſcit, & plus inueſtigare non curat, & breuiter nil aliud eſt, quàm demonſtratio, ſiue adminiculum ad ueritatem detegendam. & quicquid dictum ſit paulo ante, uel unum uel plura requirantur, arbitrio iudicis relinquitur, pro abſoluto habentes etiam iudiciorum copiam fore ſemper dandam partibus, antequam reus torqueatur, quamuix delictum ſit atrox, ex quo in procedendo, iura tranſgredi non licet, ſed in puniendo tantum, quodq́; indicia & coniecturæ ſunt probationes non directe, ſed inflexe.

Quod ira multa mala parit; Quales ſint irati, quod ſæpe ſui obliuiſcantur, Quod ira inſaniæ principium eſt, & breuiter quod animum impedit ne poſſit cernere uerum. Cap. XII.

QVod ira multa mala pariat, quam Ennius inſaniæ principium eſſe dicebat, experientia docet magiſtra rerũ efficax. Nam Alexander Clitum occidit, Puſionem Dionyſius, Mithridates filium, Periander coniugem. Ira Æſchilus & Calcas perierunt. Abdicauitq; ſe à muſis Antimachus, & cum pietatis rationem non habet iratus, nimia eſt probroq; digna; Iuxta illud poetæ,

Tantæ ne animis cæleſtibus iræ?

Iracundus etiam ſi mortuos excitaret, deo gratus eſſe non poteſt, nec ſibi uult aliud Troiana illa Hæcuba, in canem uerſa, niſi iratos ſignificare qui mordent, latrant, maledicunt, conuitiantur, & ſæuiunt ut canes. & ſi uis ut tibi hominem iratum oſtendam, dic quod ſit ore tumenti, facie torua, oculis fulgurantibus, lingua titubanti, uerbis perplexis & furentibus, & qui deniq; quicquid in manu ſumit uertit in telũ. Imò quod ſui etiam obliuiſcitur, nec quæ præ oculis habet, uidet, non igitur inſaniæ principiũ erit? nec in ſinu ſtulti requieſcet ira? Bythiæ in Sctybia feminæ ſunt geminas in oculis pupillas habentes, quæ

iratæ ſi quē aſpexerint, uiſu interimūt. et cū hæc omnia huiuſmodi ſint, ut ratione in dubium reuocari non poſſint, maxime mirandum eſt, quomodo iure dixerit Ariſtoteles, *iram fortitudinis comitem eſſe. & fortitudinis cotem ad iuſtam coercionem exercendam. noſq; fatuos eſſe ſi non iraſcimur pro quibus oportet, ut oportet, & quibus oportet,* Homerus *uero ceperit ab ira* Achillis *laudem, cum dixit,*

Iram Pande mihi Pellide *tu* Diua *ſuperbi.*

Quæ amplis conſilium perimit, & animum impedit, ne poſſit cernere uerum. Et *quanquam iratus* Chriſtus *eiecerit ementes & uendentes de templo.* Et *dixerit* Satanæ *ſuper pinnaculum templi ductus.* Vade *dominum deuum tuum non tentabis. perdideritq; homicidas, ira tamen nō fuit, ſed ita metaphorice dictū quia nō cadit in deum. hinc (aiunt poete) habere deos, lancos pedes, quod tarde accedant ad pœnam. uulgatumq; illud lento enim gradu diuina procedit ira, tarditatēq; ſupplicij, grauitate compenſant.* Verum *eſt quod humanitate frangitur. quodq; ad primos eiuſdem motus, non eſt admonitio adhibenda, ex quo nec permittunt medici admoueri remedia cum morbus eſt in acceſſu & ſæuit, ſed cum ceperint eſſe leuiores, ſicuti etiam cum et morbus ipſe ſe remittit.* Frangitur *dilatione rurſum & mora, ferūtq;* Athenodorum *philoſophum,* Auguſto *dixiſſe.*

Cum fueris iratus Cæſar, ne quid dixeris feceris ue prius quàm grecarum literarum uiginti quatuor nomina apud te recẽſueris. Saluberrimumq́; antidotum eſt iratis muſica, & ſi quando ira tolerabilis eſt, in hoſtes exerceatur, quia tunc uirtutis erit fomes, nec dimicare fortiter aliter poterimus. ceterum ſapiens cum iraſci non debeat omnia ſedato moliatur animo. Cunctis in rebus igitur ira repudianda eſt, optandumq́; maxime his qui reipublicæ præſunt, ut ſimiles legibus ſint, quæ ad puniendum non iracundia ſed æquitate ducuntur. Suosq́; uultus tunc intuantur in ſpeculo, quo per oris deformitatem, omnino uitium hoc fugiant. Conſiderãtes amplius ira certamẽ excitari, certamine conuitium, conuitio uerbera, uerberibus uulnera, & uulneribus deniq́; mortes. Quã ſuperare fortius eſt (ut dicebat Chilon) quàm hoſtẽ deijcere, eiuſdemq́; ſymbolũ Falco, omnibus indignatione, atq; iracũdia præſtãs. Camelus et Hiſtrix, quorũ unus ſtridore formidabilis eſt, alter uero ad uindictã promptisſimus & nobilis ultimo loco, ſi proſtratis pepercerimus ac ſupplicibus, pulcherrimum ipſius ſimulacrum pariter, Leo animalium rex, qui (ut ferunt) huic hominum generi parcens ſe negat eſſe ferã, proq́; foribus Palatij Romæ, Hoc ipſum diſticho eleganti ſimo ſic inſcriptum.

Iratus recolas, quam nobilis ira leonis,
In ſibi proſtratos, ſe negat eſſe feram.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, *Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi,* POLYMATHIAE,

LIBER SEPTIMVS.

QVOD INVIDIA VT PLVRImum *eſt inter uicinos,fælicitatis comes,& cæca, an ab odio differat,quæ ſit ipſius natura,& quo modo contrahatur denique.* Cap. I.

NON *aliud ſibi poetæ uolunt uerba, ſic canentis,*
Hic ego ſecurus uulgi, & quid præparet auſter.
Infelix pecori,ſecurusq; angulus ille
Vicini noſtro,quia pinguior.

niſi inuidiam,hominum eſſe peſtem,oſtendere,ex proximi commodo communiter prouenientem, cum non inuideat Ægyptio Scytha, felicitatis comitem, & huiuſmodi quidem ut ſerijs etiam in rebus multa mendaciter confingat, & malum malo conduplicet, modo obſit illi, cui ex animo inuidemus. quam greci φθόνος *ut ſupra,ſeu* Βασκανίαν *uocāt,et maſculam fingunt,nos uero fœminam.ab odio maxime differens, quandoquidem ſit hoc idem etiam*

brutorum, inuidia uero ſolius hominis. qua plerunq; Achei etiam, Hiberi, Albani, & Siculi, nec minus Pelaſgi, Aborigineſq; Arcades, patriũ ſolum relinquere coacti ſunt. Inuidia cæca eſt, nec quicquam aliud quærit, quàm detrectare uirtutes, honores corrumpere, ipſorumq; præmia deturbare calumnijs, uidereq; licet iniquo græcorum iudicio, quo ex inuidentia imbellem Vliſſem, fortisſimo Aiaci prætulerunt, Achillis Arma ab iſto, ad illum transferentes, adeo ut Aiax hanc rem tam male habuerit, ut ſibi ipſi mortem conſciſceret. quæ tamẽ ut rubigo ferrum abrodit, ſic inuidos abſumit & laniat. eſtq; ſui ipſius tormentũ. inuidus. Inuidiaq; pœna grauisſima, nec aliud boni habet, niſi quod ſic authores ſuos torquet, & cruciat. Hæc Socratem ſanctisſimum innocentisſimumq; omnium philoſophorum peremit. Æſopum phrygium præcipitem dedit. Ariſtidem & Temiſtoclem in exilium miſit. Philoxenum in latumias Syracuſanas detruſit. Lycum perdidit. Androgeum Minois regis filium occidit. & Platonem quaſi mancipium Æginæ uendidit. Et quoniam ſumma (ut ille rurſum ait) petit liuor, Tabificum malis uenenum. contrabiturq; ex multitudine rerum, nimiaq; laude, non ab re ueteres Neme ſin colebant. & licet ab odio differat (ut paulo ante dictum eſt) ex ea tamen naſcitur, fitq; tandem iuxta uetus Heſiodi uerbum, ut figulus figu-

lo indignetur. omniaq; in eo, quem uel æquare uel ſuperare nequit, damnet irrideat omnino artificio non ſecus ac Antiphilis pictor Apellem calumnietur & male dicat. Danda igitur eſt opera quoad ualemus ijs quæ diuturna eſſe poſſint, neue ictibus inuidiæ obnoxia ſint, quoniam præter hæc eſt etiam pugna in deum magiſtra, homicidij mater, naturæ confuſio, amicitiæ ac familiaritatis proditio, Serpentis præceptum, diaboli inuentum, Punitionis arrabo, Pietatis impedimentum, uia ad geennam & regni denique celorum priuatio. Et ut hanc deuitaret Conon, Cypri plurimum uixit. Iphricates in Thracia, Timotheus Lesbi, & in Sigeo denique Chares. docentes plerunq; ita etiam nobis agendum eſſe.

Innocentiæ fides maximam habet ſecuritatem, Quod defendenda eſt ut pote priuilegiata, & cuius ſymbolum eſt uultur, Quod neminem lædit, uel iniuriam alteri facit, & quod denique inter ſummas hominis uirtutes numeranda eſt. Cap. II.

Affectus rationalis erga ſuperiores reuerentia, erga pauperes miſericordia, Innocentia uero erga omnes optime regulatur. quæ inter ſummas hominis uirtutes præter cetera numeratur. Et inde maledictus (ut aiunt) qui ac-

cipit munera ut percutiat animam ſanguinis in-nocentis.Scribuntq́; noſtri, condemnatum a Iudi*ce à principe fore abſoluendum, ſi poſtea* Inno*centiæ ratio conſtitiſſet.*Factumq́; *alterius ei nocere non debere,qui innocens eſt, & nihil fecit.* Imò *quod eiuſdem exceptio per ſtatutum tolli non poteſt tametſi dictione uniuerſali omnes tollantur.* Quodq́; *maximam habet ſecuritatem hæc uirtus et fides,*Reipublicæq́; *intereſt,ne quis indebite pereat.& plus quod omnibus neruis eſt ut pote priuilegiata ab omnibus defendenda. quodq́; innocentem omnes conplecti debent, & mira quidem beneuolentia. qui alias nec teſtem nec delatorem,nec* Iudicem, *nec uindicem formidat.nemini obnoxius eſt,nemini paret,niſi legitime imperanti, iuſtaq́; & honeſta iubenti, quem ſic cecinit* Flaccus,

Integer uitæ ſceleriſq́; purus,
Non eget Mauri *iaculis,nec arcu,*
Nec uenenatis grauida ſagittis,
Fuſce *pharetra.* Innocentia *neminem lædit, nemini iniuriã facit,à turpitudine ac flagitio abſtinet. qua* Cato *ſuperior ad quæſtionẽ deductus,* Tiberium Gracchum *cum quo diſſidebat multum, iudicem depoſcere non dubitauit.* Et *quadrageſies quater accuſatus, ſemper glorioſe innocens abſolutus eſt.conijcientes ultimam cauſam fuiſſe, quam octogenarius dixit, & uere maximum*

eſt hominis propugnaculum, uitæq́; unicum ſolamen. Rutilius *enim cum euidenti opppugnaretur calumnia die ſibi ab accuſatoribus dicta adeo fidei & innocentiæ conſtantia uſus eſt, ut neque capillum more reorum, neque barbam ſummiſerit, neque ſordida ueſte humiliq́; habitu ſuffragatores conciliauerit.* Punitusq́; *diuina* Appollinis *uoce* Archias *qui liuore* Pöetam Archilocum *occiderat.* Qua *de re etiam pro foribus* Eleuxine *ceteris inſcriptum erat.* Nemo *igrediatur, niſi qui ſuæ innocentiæ conſcius ſit.* Vnde *ortum quoque illud habuit.* Procul ò Procul *eſto profani. uſque adeo ut* Nero Parrhicidio Agrippinæ *matris aſperſus ac maculatus intereſſe ſacris deæ nõ ſit auſus, & ſolus* Antonius *innocẽs ingreßus ſit.* Dicuntq́; *noſtri rurſum melius eſſe nocentem abſoluere, quàm innocentem condemnare.* Imò *quod pœna legis* Corneliæ *tenebantur, qui in accuſatione innocentium coißent.* Recipiuntq́; *ſtatuta interpretationem, ratione abſoluitatis uitandæ ne innocens puniatur. et bene dicit pſalmus. quod accipiet benedictionem à domino, & miſericordiam à deo ſalutari ſuo, innocens manibus & mundo corde. qui non accepit in uano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.* Caßano Signor *de* Tartari, *eſſendo potentisſimo et hauendo conquiſtata terra ſanta, in* Soria *ſconfitto il* Soldano *de* Saraceni, *dilibero maritarſi, & tro-*

uarla piu bella Dõna del mondo, & ambaſciatori ne mando per tutto il Leuante, & breuemente trouo la figliuola del Re di Erminia, laquale uolendo coſi il padre, contentò ſaluo che uoleua eſſer libera di adorar Chriſto. fatto il maritaggio ſi ingrauedò & fece un moſtro. Suſpicò Caſſano che ne haueße cõmeßo adulterio, & la condannò à morte che con la creatura ne fuſſe arſa uiua. Domandò confesſione, & gli ordini della chieſa, & che il figliuolo fuſſe battizato; ſi che egli & ella morisßero chriſtianamente, & tutto le fu conceſſo, doue che fatto queſto ſendo ella innocente, per diuin miracolo diuẽne in quello ſteſſo inſtante il piu bel fanciullo, che haueſſe mai potuto uedere occhio humano, & coſi fu il Signor contento, & liberati loro della morte & dal fuoco. Et eò redeuntes unde digreßi ſumus, Vulturis ſymbolo uti debent, qui innocentiam profitentur, quandoquidem auis hæc, nihil prorſus attingat eorum, quæ ſerunt homines ſeu plantant, quod Herdorus apud Plutarchum dicebat & uerum eſt. Imò quod uolucribus etiam mortuis ob affinitatem abſtinet, quodq; affectio animi eſt nemini nocere, innocens uero qui non nocet. & quod uiri denique boni ita eſt innocentes defendere ut improbos perſequi.

Aquo dicta ſit Italia, an alio nomine fuerit, uel ſit appellata, quæ ſint in ea cõprehenſa, quæq; ſeparata, Quod prouinciarum domina olim fuit Quomodo pingatur, & quot latera habeat denique. Cap. III.

ITalia, *ab* Italo *Siculorum rege dicta eſt, alumna omnium terrarum.* Latium *olim appellata, quod* Saturnus *à* Ioue *expulſus in ea latuerit. & ſic à latendo, & à latio latinus. & quoniam* Italiæ *eſt caput* Roma, *inde latina lingua rurſum orta eſt.* Imò *quod quondam magna græcia à græcis eam inhabitantibus, quoque uocitata eſt. & à* Saturno*(ut proxime dictũ fuit) pulſo,* Saturnia. *& à* Iano Ianicula. *quem quidam, enotrium dictũ exiſtimãt, et adhuc* Italia Enotria *tellus.* Et Odoacria *ab* Odoacro Herulorum *rege, qui ipſam occuparat.* Et Cytis. *&* Cameſena *à* Cameſe. Saleombrona *à gentilibus.* Apenina *ab* Apin, *quam* Taurinam Antiochus Syracuſanus *interpretatus eſt. alij alia quæ ſi referenda forent ſtomachum mouerent, ſilentio hac de re prætereunda.* Non *omittentes tamen hanc mire à poetis laudatam fuiſſe ſic.*

Eſt locus, heſperiam Graij *cognomine dicunt,*
Terra antiqua potẽs armis, atq; ubere glebæ,
Oenotrij *coluere uiri, nunc fama minores*
Italiam *dixiſſe* Ducis *de nomine gentem,*

Alibi uero in hunc modum.

Sed forte qui grauidã, Imperijs belloq́; frementẽ
Italiam regeret, genus alto à ſanguine Teucri
Proderet, ac totum ſub leges mitteret orbem.

Promptiusq́; adhuc alibi,

Sed neque Medorum ſyluæ ditisſima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra nec indi,
Totaq́; turiferis Pancaia pinguis arenis.

& rurſum,

Salue chara deo tellus, ſanctisſima ſalue,
Tellus tuta bonis, tellus metuenda ſuperbis,
Tellus nobilibus multum generoſior oris.

Sed nunc ualde eſt dolendum, quod prouinciarum domina fuerit, totq́; (ut dictum eſt) ornata dotibus, nunc uero ancilla ſit, & pace priuata. pro qua, Beda presbyter orans, proq́; pace Italici populi, uocem e cœlo dicentem audiuit. tace tace Beda, quia Italia nunquam erit in pace. Et quod orbis aliquando fuerit ac prouinciarum domina & Regina, liquet ex ipſius pictura uidere, à tergo numiſmatis Antonini Pij, quod ego inter alia multa habeo pulcherrimum, aliud uero multo pulchrius Antonius Capouacenſis conciuis noſter, uir optimus & antiquitatis ſtudioſisſimus, tenet. Mulier enim coronata eſt, ſupra orbem ſedẽs, ſiniſtra manu Cornucopiæ ſignum, dextra uero ſceptrum geſtat. Sed miſſa hæc faciamus,

ciamus, id unum adijcientes, qualiſcunq; ipſa ſit nunc, quod tria habet latera, ſuperi maris, inferi, & Alpium. Siue à dextra Adriaticum, à læua Mediterraneum, & alpes ipſam terminantes. Quodq; Sicilia ab Italia eſt ſeparata, non ſecus ac Cyprus à Syria, uel à Bœotia ſeiuncta eubœa. Ex quo ſit ut nō ab re ſit ſi pœnorum conditiones, à Romanis olim admiſſæ non ſunt, niſi ab inſulis inter Siciliam & Italiam, omnibus abſtinuiſſent planè aperte hoc ipſum oſtendens, omnino ſeparatas eſſe, quod num, ſæpe diſſeruerunt, & ita deciſum determinatumq; fuit tandem. uerū eſt, quod aliquando Italiæ iuncta fuit, ſed nūc Scylla & Charybdis immaniſſima monſtra diuidunt. nec ſecus Apenninus ad propoſitum Italiā dirimit pariter ut ſupra, quam græciam mediam Thermopilæ faciant. Imò quod phormio fluuius etiam Iſtriæ aliquando Italiæ terminus fuit, nunc modo eſt Arſia.

De Iuriſdictione quid ſit in genere, & in ſpecie, in quo prædicamento conſiderata perſona magiſtratus, patris, et etiam territorio eſſe dicatur, Quod iuriſdictioni ſemper cohæret, quomodo ſe habeat in ipſo, an conſiſtat in iure ut hæreditas & peculium, & an ſit hodie ultra alia multa, excribenda in patrimonio noſtro. Cap. IIII.

IVriſdictio in genere (ut noſtri dicunt) nihil aliud eſt niſi poteſtas de publico introducta, cum neceſſitate iuris dicendi & æquitatis ſtatuendæ. In ſpecie uero, quia expeditur officio Iudicis mercenario priuatam utilitatem reſpiciens. quæ in perſona magiſtratus eſſe dicitur in prædicamento agere, partis autem, in prædicamēto Pati, & in territorio, Situs. Id pro abſoluto habentes ſemper, quod territorium eidem cohereat, alias proprie iuriſdictio non eſſet, ut delegata. et ſolet dici etiam, quod cohæret adhuc eidem, uelut nebula ſupra paludem, ex qua generetur per actiuam Solis potentiam, quodq́; deſiderat territorium, ut ſeruitus fundum. Vel quod ſit in territorio, tanquam in re inanimata, ſicuti ſeruitus in fundo ſeruiente uel dominante. & eſt breuiter præter hæc collectio quædam ex uniuerſo ſumpta, quæ in iure conſiſtit, ſicuti hæreditas, & peculium. eſt uerum quod ea conceſſa, non uidetur conceſſum territorium, contra uero ſic. inquiunt etiam quod conſideratur prout relatio domini in ſubditos, & prout eſt in ipſo magiſtratu. Quodq́; eſt fundamentum iudicij, & citatio ac condemnatio actus iuriſdictionis, & ad materiam ſciendum eſt inſuper, quod aliquando quis pleniſſimam habet iuriſdictionē, ut merum imperium, quandoq; pleniorem ut mixtum, quandoq; ſemiplenam modicam coercionem ſcilicet,

& ſic quod uerbum generale eſt, & ad ſupradicta fundamentum fundamentorum iudicum. Qui rurſum habēt iuriſdictionem iure proprio nomine & re, ſi ordinarij ſint, nihil uero ſi fuerint delegati. Alij autem ſunt quoddam medium tenentes, ut prorogati, & ſi iuriſdictio fuerit data à lege ordinaria erit, et ſi de probanda ea agatur, non eſt neceſſe quod ſingulæ eiuſdem ſpecies probentur, ſed ſufficit probare actum in quibuſdam, in ceteris aptitudinem, & ſi ſcire amplius cupias, quot cauſæ ſint trāsferendi iuriſdictionem; dic quod ſunt quatuor, appellatio, nullitas, negligentia, et mors. eſt etiam (ſupradicta clarius declarantes) iuriſdictio realis & perſonalis, realis ordinaria, perſonalis delegata; illa fauorabilis, iſta odioſa. Rurſus ordinaria Quædam actu et habitu adhærēs territorio, quædam quæ adhæret dignitati, ſeu qualitati perſonæ, primo caſu Iudex qui iudicat exequitur ſententiam ſuam, ſecundo non, puta epiſcopus qui iure Codicis, non habebat territorium nec familiã, non etiam delegatus niſi ſit delegatus principis. & minime Chartularius qui iuriſdictionem habet tantum habitu & potentia. Fructus iuriſdictionis ſunt pœne pecuniariæ, & mulctæ quas Galli emendas uocant. Sub uerbo iuriſdictionis adhuc cōtinentur duæ ſpecies uoluntaria & contentioſa, hæcq; in triplici ſpecie ut ſupra, Mero

Imperio ſcilicet mixto, & ſimplici iuriſdictione, nec non triplici quantitate, minori, media, & maiori. Diciturq; *terminus complexiuus etiam ſuarum ſpecierum, & potentia rurſum, officium actus, atque exercitium ſeu cura deducendi ipſum ad actum. & licet ſeruitus ſeruitutis eſſe non poſſit, poteſt tamẽ eſſe iuriſdictio, iuriſdictionis eſt etiã iuriſdictio ſtatuaria.* Nullusq; *defectus maior quàm ipſius in iudicijs, uel ſtatutis. extrema habens à quo et ad quod. principiũ ſcilicet & finem.* Illud *citatio, iſtud uero executio eſt. & quamuis præſcribi poſſit, tria tamen concurrere debent, ſuperioris ſcientis & patientis, actus præſcribentis, & factum inferioris obedientis, uendi nullo modo, licet de conſuetudine ſeruetur contrarium & male. & ſi de extenſione iuriſdictionis quæras, ſcies tantum extendi, quantum tutoris datio.* In *iudice tamen non in teſtatore intelligentes, in quo non attenditur iuriſdictio, & ſi plures filij ſint à primogenito tantum debet exerceri, & ſic ab uno, quia pluralitas difficultatem ingerit, & (ut philoſophus ait) entia nolunt male diſponi, pluralitas principum odioſa, unus ergo princeps.*

Quot olim fuerint orbis imperia, & quomodo ruerunt funditus, Qui ſint ad imperium promouendi, Quod imperare difficilimum eſt, & quod magna imperia magnis ſummiſq; moleſtiis denique obruuntur. Cap. V.

ORbis imperia & Monarchiæ (quod ſanè bonarum literarũ ſtudioſi non ignorãt) quatuor fuerunt, Aſſyriorum, Medorum, Perſicum, & Romanum, quæ licet multo tempore, & ad multos durauerint annos, conſenuerunt tamẽ, et tandẽ conciderũt penitus. Nec ab re, quoniam bene quid diuturnum eſſe poteſt, ſed perpetuum (ut noſtri dicunt) ſub ſole nihil, ea de re non facile quis eſt, ad imperium promouendus, cum imperare difficillimum ſit. quod ſentiens Tiberius, Neſcitis (inquit) quanta & qualis ſit bellua imperium. & ad amicos ſæpe, lupum auribus teneo. Diuus Aurelianus uero, ſe à patre ſuo audiuiſſe, Diocletianum principem iam priuatim exclamaſſe. nihil eſſe difficilius quàm bene imperare. & cum Saturninum imperatorem animarent uel ad uitam, uel ad imperium qui induerãt purpuram in hæc uerba prorupit. Neſcitis amici quid mali ſit imperare. gladij & tela nunc ceruicibus impendent, imminent haſtæ undique, undique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non cibus pro uoluptate, non

iter pro auſteritate, non bella pro iudicio,nõ arma pro ſtudio. adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex eſt quiſpiam, inhabilis uidetur, ſin minus ineſt furor. nam quod imperatorem me cupitis, in neceſsitatem mortis me trahitis. Celeſtinus Papa molem papatus cognoſcẽs illi renunciauit, cum quo Amurath Ottomanus Turcarum imperator & rex, eſt etiã facile comparandus,qui cum acerrime pugnaſſet cumq; rege Ladislao Vngaris'ue ſtrenue conflixiſſet, uictoria potitus, conſiderans labores quos ſuſtinuerat, & pericula quæ ſubierat,nec non moleſtias imperij,ſimulq; fortunæ humanæ inconſtantiam, quæ raro quempiam uſque ad finem ſinit eſſe felicem, concludebat nullam eſſe partem quæ huiuſmodi uere diceretur,ex quo plus aloes quã mellis habet, eam ob rem ipſe quoq; accitis principalibus Ducibus hominibusq; ſui Imperij, illud Maumeth filio primogenito renunciauit, & in Aſiam priuatus profectus eſt, ubi in ſolitudine religioſam duxit uitam. Ad Imperium igitur ille promoueatur, qui Imperij minime eſt cupidus, eligatq; a peritia non à cenſu, ut nauis gubernator ne pereat. quique (ut Cyrus ſenior dicebat) ſubditos ſuos omni uirtutum genere antecellat ſenex potiſsimum & non adoleſcens, plerunq; figulo ineptior, qui dum iudices facere debet Gerionaceos quadruplatores Tribunali

præficit, & Iuſtitiam caſtiſsimam Iouis filiam procis ſalacibus, pro Nomophilacibus deſpondet. Conſiderantes maxima Imperia maximis etiam moleſtiis obrui. quodq́; Imperator expoſitus eſt fortunæ, ueluti nauis reſlantibus uentis, ſi Gubernator imprudentia ceſſauerit quod potiſsimum ab ætate prouenit, ni prudentia ſenili regatur. Exemploq́; nobis eſt, quod dum in Aureliani locum, cuius paulo ante mentionem fecimus, Tacitus Imperator creatus eſſet, ſeque his excuſaret uerbis: Miror P. Conſcripti uos in locum Aureliani fortiſsimi Imperatoris ſenem principem facere, & hanc meam ætatem de cubiculo atque umbra, in pruina æſtusque mittere uelle, quem etiam milites minime ſunt probaturi acclamatum eſt à ſenatu. et Traianus ad Imperium ſenex uenit dixerunt decies. Et Adrianus ſenex ad Imperium uenit dixerunt decies. & Antoninus ad Imperium uenit ſenex dixerunt decies. & tu legiſti. Incanaq́; menta regis Romani dixerunt decies. & quis melius quàm ſenex Imperat? dixerunt decies. Imperatorem te non militem facimus, dixerunt uicies. & ſi non ætate moribus ſaltem ſit ſenex. curent que uiri magni, qui multis imperant populis, filios ſuos recte educari & inſtitui ſaltem, ne peſtes poſt ſe relinquant rebus humanis. ſecum ſæpiſsime inculcantes inter patrem & bonum prin

cipem nihil intereſſe debere. Nec etiam hoc unum prætermittentes, fore ineptum, quem admittere qui documenta nulla dediſſet ſe aliquando bene paruiſſe, iuxta illud, Qui bene imperaturus eſt, bene aliquando paruiſſe neceſſe eſt. cetera de Imperatore locuti fuſius alibi explanauimus nunc aliter non repetenda, hæcq; paucula de Imperio dicta ſufficere impræſentiarum putantes.

Quod difficillimum eſt iniurias tolerare, Quodque iniuriæ uulnus altius penetrat quàm beneficij gratia. An iniuria facta patri cẽſeatur facta filio, ſic de ſingulis, & ſi fiat in domo alicuius quomodo ſeu quot modis fiat, & quot modis regulariter ſumatur, & quomodo cauſam permanentem & inſtantaneam habeat. Cap. VI.

INiũria dicitur omne quod iure nõ fit. quo ad actionem iniuriarum (ut noſtri ducunt) ſolum iniuria appellatur quæ fit cõtumeliæ cauſa. Et facere iniuriam longe peius quàm pati. & ad idem ſciendum eſt, quod actione iniuriarum prætoria agitur, pro uerbo, ſcripto, uel facto, ciuili uero cum quis pulſatus eſt, uerberatus, uel domus ui introita. Quodq; eſt famoſa, quas tamen obliuiſci debemus, magnique animi

eſt. Vnde Cato *percuſſus per impudentiam, percutienti cum ſatisfeciſſet, non memini me per cuſſum dixit*. *Quas tanti etiam faciebat* Hercu *les, quanti muſcam*. Laudanturq́; Cicero & Cæſar *qui nihil obliuiſci ſolebant, niſi iniurias. & licet olim recuperatores, idſt* Iudices *daren tur iniurijs æſtimandis, erat tamen etiam lex obliuionis, quæ græcè* ἀμνησεὶα *uocabatur, & profectò obliuiſci ſatius eſt, quàm ulciſci, inimicum placare quàm perdere, manſuetudoq́; hominum, ferarum uero rabies*. Iniuria *rurſum actiue & paßiue capitur, ut metus. nec ab re diximus longe peius eſſe, eam facere quàm pati, quandoque infelicior eſt, qui facit quàm qui patitur, quoniam difficillimum eſt id tolerare, ut etiam dixit Chilo, interrogatus quod eſſet difficile, penetratq́; altius iniuriæ uulnus quàm beneficij gratia, ex quo uulgo dicitur hinc,* Pulue*re qui lædit, ſcribit in marmore læſus*. Præmit *altum corde dolorem, iudicium paridis, & ſimile*. Peculiareq́; *etiam in actione iniuriarum quiddam, dolus, qui allegari debet, quia ubi non eſt, ibi nec erit iniuria proprie, & ſi uni facta ſit alteri nocere non debet, & fuſius quàm ſupra, dic quod ſumitur tribus modis, pro eo quod non iure fit, pro contumelia, & pro damno dato. quodq́; poteſt cum lege aquilia hac de re concurrere, & quod ad inſtar criminalium in ea*

*proceditur . & à furto differt, quia iniuria eſt puta uerberatio , poſtquam uerberaueris , furtum etiam antequam quis furetur . poteſtq; rurſum habere iniuria cauſam permanentem , ut in ui ablatiua ſiue compulſiua , & tunc habebitur etiam conſideratio damni, item inſtantaneam ut uerberatio & conuiciũ,& tunc habetur & non habebitur.*Iniuria *eſt etiam generalis,communis, & propria,ſi fiat omnibus de populo uel de domo,uel ſi ſolus offenſus habebat ius uindicandi.* Facta *etiam filio uel uxori , dicetur facta patri & marito.& ſi illata fuerit ſacerdoti,ſacerdotalia deferenti,maior erit quàm ſi non deferret.*Et *atrox ac grauis ſi feriatur oculus , & ſanguinis fiat effuſio,manu uacua autem uel pugno non.eſt etiam iniuria ſi quis uocetur ſpurius .* Giacomo *da* Carrara *fu amazzato da* Gulielmo,*ſuo naturale,perche cotendendo con un* Soldato,*e'l detto con lui lamentandoſi, lo chiamò ingiurioſamente ſpurio.*Contemnenda *ad propoſitum ſi propulſari non poteſt,aut quod longe melius eſt(ut diximus)perferenda.& prudentis hominis ac moderati,ut contumelia ſtulti ac fatui .* Imò *quod hoc ipſum maxime deo placet,cum dixit,*Diligite *inimicos ueſtros,benefacite his qui oderunt uos. quod pulcherrimo oſtendi poteſt exemplo,ea lingua referendo ut etiam proxime, qua literarum monumentis traditum eſt.*Al *tempo di* Arrigo *di*

Bauiera III. Imperatore fu un Gioūani figliuolo di un Meſſer Galberto da Petriolo de Signori di Val di Peſa, al quale era ſtato morto un fratello, & uenendo à Firenze con ſua compagnia armati à cauallo, trouò il nimico ſuo appreſſo la chieſa di S. Miniato à monte, il qual nimico ſi gittò in terra à pie di Giouāni facendoſi croce delle braccia, chiedendoli merce per Ieſu Chriſto crocifiſſo, il quale compunto da Dio udite le parole predette hebbe pietà & miſericordia di lui, & perdonoli, & menolo nella chieſa di S. Miniato à offerire dinanzi al Crocifiſſo, della qual offerta & perdonāza, Iddio nella ſua imagine moſtrò grande marauiglia, che uegente tutta la compagnia ſua l'imagine del Crocifiſſo, uiſibilmente inchinò il capo al detto Giouāni, qual ſi ueſti monacho, et pche l'abbate di S. Miniato non era huomo di honeſto ſtato, ſi fece heremita nell'alpi di Valle Ombroſa, & fu poi il primo edifficatore di quella Badia & religione. quod memini me alibi etiam ad aliud tamen dixiſſe, ideo quantum adhæc iſta nunc ſufficiant.

Quod nullum uitium pugnat cum natura magis, & ſocietate generi humanis, quam ingratitudo, Quale ſit ingrati ſymbolum, Qualis atheniensſium lex, & quod non recedit denique malū ab ingrati domo. Cap. VII.

PVlcherrimum fuiſſe Chilonis Lacedæmonij uerbum (aiunt quidam) dicentis cũ eſſet ue tulus, ingratitudinis ſibi in tota uita conſcium non eſſe. quo uitio tamen laborãt multi. adeo exe crãdum ut eo nihil ſit execrabilius. ex quo nihil etiam eſt, quod pugnat magis cum natura & ſo cietate humani generis, quàm iſtud. Nec ab re in ipſius deteſtationem ſcriptum eſt quoque. non re cedet malũ de domo ingrati, qui reddit malũ pro bono, non recedet malum de domo eius. Imò quod morte plecti debet ingratus, exilio uero ſi quid per metum facere prætermiſiſſet, ut putauit Hip pocratides à Cariæ ſatrapa acceptis literis quid de ingrato eſſet agẽdum. Filius à nexibus patriæ poteſtatis liberatus inuitus reuocandus ne ſui ſit iuris amplius. libertus caſtigandus. eratq; olim etiam Athenienſium lex; quæ ſic ſeruos ca ſtigabat, inq; ſeruitutem reuocabat; pariter, dicente Domino, Seruus eſto, quia liber eſſe neſciuiſti. & (ut noſtri teſtantur) inde etiam fuerat ingrati actio, ad idem inuenta & inſtitu ta. Ingratitudine donatio perfecta reuocatur. quæ uẽtus urens eſt, ſiccans fontẽ miſericordiæ, rorem pietatis & (ut inquit Bernardus) fructum gratiæ, à ſuperbiæ radice prouueniẽs et pullulãs. quia pleriq; putant ſibi deberi ab omnibus om nia. & breuiter ingratus eſt qui non reddit, ne que beneficij accepti memor eſt, quiq; diſſimu

lat, omnium uero ingratiſsimus qui obliuiſcitur. Philippus Macedonicus militem naufragum habebat, is ad agricolam accurrit, à quo benigne exceptus eſt, ille à rege prædiolum impetrat. iniuriā uero ægre fert iſte, & rem Philippo narrat, exauctoratur miles, prædium agricolæ confirmatur, & exauctorati fronti, Philippi iuſſu, uerba hæc inſcribuntur. Hoſpes ingratus. *Ingrati ſymbolum cuculus, qui incubante curruca natus, & nutritus, eam crudeliter laceratam deuorat, ut Aquilæ pullus è nido eiectus Kabin auem alumnam quā ſimiliter necat. Ingratus adhuc clericus priuatur eccleſia. Maledictaq; cuncta dicemus, ſi ingratum dixerimus. Qua de re maxime Cicero laudatur, qui quanquam effeciſſet, omni obſequio neminem eo eſſe Cæſari atq; Pompeio chariorem, Pompeium tamen ſequi maluit, ne foret ingratus, ueritus ſaluti illius deeſſe cum ipſe aliquando (ab exilio enim eum reuocandum curauerat) non defuiſſet ſuæ. Æſculapius ſalutem mortalibus præſtitit, & nihilominus fulmen (ictus enim perijt) pro gratia reportauit. Phocion ſupplicio affectus eſt. Thimoleon qui fratri patriæ ſalutem prætulerat fratricida appellatus. et Socrates deniq; iniuſte accuſatus Athenienſibus tanquam impius. Themiſtocles ac Miltiades poſt infinitas & innumerabiles uictorias, Græciæ proditionis ſuſpicione haud caruerunt. & cum*

exilio Theſeus etiam mulctatus fuerit, & à Romanis ciuibus Camillus, et ab urbe pulſus Appollodorus architectus Adriani iuſſu, poſtea occiſus. Rutilius lege Iulia ambitus à Scauro accuſatus. Q. Cæpio Seruilius, reus declaratus in ſcalis Gemonijs, ac dilaceratus, aliję; alia huiuſmodi uulnera ab ingratis hominibus acceperit, non poterit dici niſi omnia undiq; ingratitudinis nota aſperſa atq; etiam coinquinata penitus eſſe. & licet cuculum ſymbolum huiuſce criminis ſupra fore dixerimus, Columbã tamen adijciemus nunc, quæ cum primum adoleuit matrem roſtro inceſſere non deſiſtit. Et licet Roma uictrix adhuc uictorem Aphricanum ingrata expulerit (hiſtoria nota eſt) Tiberio tamen & Nerone imperantibus, de ingratitudine uindicanda actum eſt in ſenatu. Ingratus ſimilis eſt beſtijs, & omni cane perfidior. Ingratitudo liberalitatem ac munificentiam extinguit. fœda, turpis, & ab omni humanitate penitus aliena. Ideo malle mori potius quisq; debet, quam ulla uel minima ingratitudinis macula inuri, & cupere ut non modo gratiſſimus habeatur & ſit, uerum etiam ſtudere, ne ue (ut dicebat Symonides poeta græcus) Beneficium conſeneſcat. & imitari leonem, Seu Draconem nutricium à latronibus obſeſſum eripientem, ne ſimus ingrati. Et quia alia longũ eſſet ingratitudinis exempla ſcribere, quæ

propemodum infinita ſunt, memor etiam alibi aliqua dixiſſe, obelo iugulantes ſuperflua atq; confodentes tranſco.

Quod iocus tempeſtiuus eſſe debet, nemini nocẽs, Quodq́; iocando ſæpe exprimitur ueritas, Quod iocus iocum & riſus riſum illudit, deq́; his multa. Cap. VIII.

LIcet aliquando ſalibus intermiſcendos eſſe iocos alibi dixerimus, quibus animi longa lectione fatigati, leuentur, non eſt tamẽ quod alia planè multa hoc loco addi non poſſint, quibus ad riſum lector ualeat excitari, ea de re læto etiam legantur animo, & cogitet quod hilaritatis præſes eſt, riſus quẽ græci γέλωτα uocant, quodq́; olim non modo riſui (ut ſuo loco dicemus) erectæ fuerunt ſtatuæ, uerum etiam hilaria feſta celebrata, ſed primum ſciendum eſt, quod iocus tempeſtiuus eſſe debet, & (ut dixi alias) Naſicæ exẽplo nemini nocens, quoniam ſæpe iocando exprimitur ueritas, & tunc iocus iocum, et riſus riſum illudit. Vulpecula enim Ciconiam uocarat ad Cœnam, obſoniumq́; effuderat in menſa, quod cum liquidum eſſet, Ciconia roſtro fruſtra tentante, lingit, abit eluſa auis, poſtea Vulpeculam inuitat, uaſe uitreo ſibi appoſito, obſonij pleno pariter, quod cum arcti gutturis eſſet, licuit Vulpeculæ

uidere,ſed non guſtare,Ciconiæ roſtro uero exa
haurire facile,ſicq; riſu riſum (ut ſupra) iocoq;
iocum illuſit, omnino & bene lyricus Poeta quē
quam monuit,ab his abſtineat,quæ nocitura ſunt.
Aut(qualecunq; id ſit)ordine turbato, quemad=
modum ſuccurrerit,referamus. Iocus igitur ple
runq; ex nomine eſt,ut Verres,quod omnia uerre
ret.Verriculum uero actio de dolo,à C.Aquilio,
& quale illud.Miror ſororem meam habere ma=
culam,cum fullonem habeat. Verba Fauſti ſunt
ſyllæ filij,cum ſoror eodem tempore haberet duo
rum conſuetudinem Fuluij Fullonis filij,& Pom=
peij cognomento Macula.eſt etiam quandoq; di=
ctum Ciceroni à Laberio equite Romano, non
miror quod Anguſtè ſedeas, qui ſolitus ſis dua=
bus ſedere ſellis.Illi obijciens (hiſtoria nota eſt)
leuitatem, quod lubricæ fidei, nunc ijs, tunc illis
partibus adhæreret.Et ex ſimilitudine uocis ip=
ſe Cicero aliquando candidato ſuffragium rogan
ti,cum eſſet coco patre natus,ego quoque tibi fa=
uebo. Cæſariq; cauſam filiæ Nicomedis Bithyniæ
regis defendenti notum eſt,quid ille tibi, quid tu
illi dederis.Fama eſt Nicomedem, Cæſarem pri=
mis aduleſcentiæ ſuæ annis ſubegiſſe. & ſutor
Planco interrogatus in cauſa quo ſe artificio tue
retur,Gallam ſubigo, ſutorium enim inſtrumen=
tum eſt, quo illi tecte adulterium exprobra=
brat,cum Mæuia Galla,quo nomine Plancus male
audiebat,

audiebat, & certe plerunq; laudabile eſt (quicquid dictum ſit) ſub ioci uelamento (ut Crathinus comicus faciebat) aperte uitia reprehendere, ut ab his abſtineamus. Sed ad propoſitum belle, cum Demetrius *Antigoni filius ægrotaret, pater uero ad eum uiſendum accesſiſſet, offendiſſetq; ante cubiculi fores, formoſisſimi oris ſcortum, et ei dixiſſet filius, ſe melius habere, febremq; paulo ante diſcesſiſſe, reſpondit, uerum eſt quod ais fili, eam enim inueni pro foribus cubiculi.* Phrine *mulier etiam ſtipulata prius, quod ipſa faceret ceteræ facere non detrectarent, manum bis aquæ immerſam admouit fronti, hoc eſt frontem lauit, commentoq; hoc ceterarum fucos prodidit. & cum neſcio quis cuncta miraretur, ad eum* Timon Appolloniates Nicæus *ſic dixit.* Quid *autem nõ miraris, tres enim ſumus quatuor habentes oculos, quia ipſe,* Dioſcorides*q; diſcipulus erant luſci.* Quid *quod hypotheſis quoque iureſconſulti* Vlpiani, *aliquando ab Æſopi* Phrygis *emanauit fabula, lippientem annum* Medici *operam imploraſſe, qui quoties medelã præſtabat, toties ſibi aliquid de domo auferebat, conualuit, à* Medico *petitur merces, at illa, cum minus in præſentia uideam quàm olim, poſſum non iniuſte tibi negare, quod debuiſſem, ſi ut prius aut ſanè melius uidiſſem. ſicq; cauillo medicum repulit furem, quem græci* βαλαντιοτόμος *uocant, et de quo nos*

alibi fuſius dicemus. Cauſas rurſum agens Galba apud Cæſarem, dicere ſolebat, Corrige me Cæſar, ſi quid in me quod dignum ſit reprehenſione uides. Cui Cæſar, Galba monere te poſſum, corrigere nunquam. Gibboſus enim erat, uulgoq; dicere ſolebant omnes, ipſius ingenium male, habitare. Iocatus eſt etiam Caſſelius, quem ut uenuſtum laudat Quintilianus, conſulenti mercatori & dicenti ſe uelle nauem cum ſocio diuidere. Cui Caſſelius perdes inquit, quandoquidem nauis diuiſæ nullus ſit uſus. Et Diogenes Didymoni uirginis oculum curanti, dicens. uide ne, (Adulter enim pluſquam notus erat omnibus) corrumpas pupillam, & cum non habet quis animum ſe obligandi, poterit dicere, ſoluam tibi (ut ille olim) cum Veſpaſianus cacare deſierit, uultum enim exprimentis habebat, nec poterat non ſemper id facere. Verum nō illepidum audi factum. Tremelius neſcio quis, cum ſerui uicini ſcrofam occidiſſent aberrantem eamq; ſub centonibus occultaſſent, ubi cubabat uxor, ſibi uicino iuſiurandum deferente huiuſce rei, nullam eſſe in domo ſua ſcrofam iurauit, niſi quæ in centonibus iaceret, uxorem oſtendens, & ſic uicinum illuſit, & ſcrofam cum ſeruis uorauit ridens, ut commenti non illepidi, nos etiam ipſum referentes rideremus. Claudius (ad materiã) cum præpudore quendam ex continentia uentris

periclitatum fuiſſe comperiſſet, edictum promulgauit, quo quiſque poſſet uentris crepitum emittere, quocunque in loco, eiq́; uenia daretur. & præter hæc alia etiam multo plura ſunt nos ad riſum excitantia, nanq; tres Romæ, *oratores fuerãt electi, ad* Bithyniæ *regem, unus articulorum morbo laborabat, alius capitis, tertius uero leuis erat, & nullo honore dignus, imò omnium inconſtantiſsimus.* Quod *uidens* Cato, *dixit, uere patres hanc ueſtrã electionem non poßum ego non ſummopere laudare oratorum, ſine capite, abſq; corde & ſine pedibus.* Veronenſis *rurſus quidam magnum occultauerat* Theſaurum, *agebat animam, ab amicis rogatus, ut locum propalaret filijs, quos habebat, his gratias egit, quam maximas percunctatus deinde num crederent ſe reſurrecturum, etiam reſponderunt, abſit igitur (inquit) ſi ſic eſt, quod uobis aut liberis meis,* Theſaurus *meus propalam fiat, hacq; opinione chriſtiana munitus, ex hac uita diſceßit,* Theſauro *eo in loco in quo ipſum concluſerat, relicto. & ſi quæras quot facetiarum genera ſint (ex* Cicerone*) tibi reſpondebitur, duo, fuſum ac peracutum eſſe, illud uocant ueteres cauillationem,* Dicacitatem *uero iſtud ut ſupra ex multis oſtenſum eſt.* Lyſander *etiam* Lacedæmonius, *cum ſe ex* Herculis *genere natum eſſe prædicaret, & alius,* Herculem *omnia uirtute geßiſſe, ipſum autem dolis &*

fraudibus, aliquando reſpondit. illum pelle leo-nis tectum, quod cum ſibi ſatis non eſſet, neceſſe fuiſſe uulpinam aſſuere. & cum eſſet rurſum, belluo quidam, tutor datus pupillis quibuſdam, patrimonium decoxit, iußus deinde rationem red dere, proferreq́; libellos impenſi & expenſi ri-dens primum guttur oſtendit, poſtea podicem, in dicans illic, recepta omnia eſſe, hic uero expoſita. ride ſi placet, quia nil aliud ridendum tibi refe-ram, iocatus ſatis.

Quod nemo poteſt facile uirtutis laudem aſ-ſequi niſi imitatione, quod Deus primum imitan-dus eſt, cognoſcendus & amandus, proponendiq́; nobis poſtea uiri qui ſint præcipua reipub. orna menta, quos imitemur pariter, eoſque tanquam exemplaria quædam, præ oculis habeamus ſem-per. Cap. IX.

EX quo imitationis argumentum propoſi-tum eſt, deq́; imitatione aliqua dicenda ſunt, optimum erit primum, ab imitatione Dei op timi maximiq́; incipere, dicentes amplius, ipſum non modo imitandum, uerum etiam cognoſcendũ & amandum, ut ſola ipſius participatione beati efficiamur. cum ſit etiam quod à Deo bona om-nia proueniant, iuxta illud, Omne datum opti-mum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, de

ſcendens à patre luminum. apud quem non eſt transmutatio, nec uiciſsitudinis obumbratio, proponendaq́; nobis exemplaria, ad quæ tanquam ad ſcopum, actiones noſtras dirigamus, unde poſt De*ũm inde imitatione egregia deſumamus exempla facile uirtutis laudem aſſequentes, nec minus nobis immortalitatem comparantes, quo non in elyſiis campis (ut fabulantur poetæ) ſed in cœlo ſempiterno fruamur æuo.* Alexander *enim cum* Herculem *admiraretur,* Leonem Nemeum *peremiſſe, ferũt, ut factum ipſius imitaretur.* Quem Hannibal Sagunto *euerſo, patefactis alpibus in* Italiam *traijciens, Imitatus eſt pariter, quia primus alpes tranſiiſſe dicitur.* Sic Theſeus, *qui iter aggreſſus* Periphetam, *in* Epidauro *armatum claua interemit. ea ſibi in belli uſum ſeruata, quâ* Herculem *ipſum in poſterum referret.* Et *ſicuti olympia certamina* Ioui *fieri uoluit, ita ille* Iſthmia Neptuno *inſtituit.* Idem Alexander *etiam ſe totum ad* Achillis *exemplar componebat. ad* Socratis Xenophon. *ad* Demoſthenis Cyneas Theſſalus *&* Cicero, *reiecitq́; lyram* Alcibiades *ut hominis uocem adhuc imitaretur.* Imitatio *tria exigit, quos imitemur, quid & quantum, unumq́; ex tribus quibus omnia facile quiſque aſſequetur, ſi ea diſcere curabit.* Magnorũ *uirtutes hominum etiam, crebris uſurpãdæ ſunt ſermonibus, ut cum eos nobis cognitos fecerimus, prædicemus, præ-*

dicatos diligamus, & dilectos imitemur. Diſciplinæ imitatione acquirūtur. Medicus imitatur naturam recte operantem. Conſuetudo legem, nec aliud eſt ius noſtrum quàm imitatio naturæ. Senibusq; ita agendum ut adoleſcentibus exhibent, bene uiuendi formam. et quia uulgus etiam nihil imitatur libentius, quàm quod à uiris grauibus factitari conſpicit. Celebres erant rurſum Solonis leges, quæ annis centum Athenienſem gubernarant rempub. ſatis feliciter ut Romani eas imitarentur. Qui fœderatam amplius Rhodon habuerunt inſulam, nec naualem eorum diſciplinam imitari erubuerunt. Lycurgus (adeo eſt neceſſaria imitatio) ciues monuit, ut apum exemplo non priuatim uiuerent ſed communiter, & ad omnem patrie uſum atque decorem. Doxius cœlij filius Athenis primus domus ædificauit hirundinum nidos imitatus pariter, ex quo ſpecus antea pro dominibus habebant. Sed præter hæc magnum atque mirabile uidetur, infantem anniculum, aut bimulum, aut trimulum ad ſummum, blæſa adhuc lingua, ſermoneq; uernaculo, qua diligentia per ætatem poteſt, tam bene imitari matrem ut paruo temporis curriculo, innumerabilia diſcat, plenumq; ac perfectum ſermonem hauriat. quanto magis ergo iuuenes hoc idem facere debēt, & uiros qui ſunt reipub. ornamenta præcipua ſibi proponere, exiſtimantes

olim nil libẽtius ſpectare potuiſſe græcorum exer citum ad Troiam, *quam una incedentes* Heroas Achillem *&* Aiacem. Imò *quod pictores quoque imitandi ſunt, qui aſſueſcunt ad regulam lineas ducere, & manum ita confirmant, ut poſtea exem plari non egeant.* Ita *enim fiet ut quiſque poſt diuturnam clarisſimorum ſcriptorum imitatio nem, ſibi proprium comparet minime contemnen dum, quoad omne diſciplinæ genus pertractan dum, magna cum laude atq; admiratione ut pos ſit.* Et Architecti *qui ſimiliter ex* Archetypo *ædi ficant. & plus quod ex auium concentu, putat* Lu cretius *homines cepiſſe primo aliquid modula te proferre. præ oculis habentes ſemper,* Iſocra *tis dictum.* Turpe *maiorum factis gloriari. uirtu tem uero illorum non imitari, quodq; ex infini ta præclarisſimorum hominum turba, ſi quos ad idem delegerimus, ut totos non exprimamus, ſed quod in optimis optimum eſt, id amplectamur, alioquin eſt quid quod uitemus etiam in* Dauid *ac* Salamone *regibus à deo laudatis.* Dicunt *etiã noſtri, quod princeps ius imitatur.* Compromiſ *ſum iudicium; filius patrem.* Et *ultra diſcipulus magiſtrum, diſcipuliq; appellantur imitatores. quod et* Paulus *etiam dixit ſic. rogo uos imitato res mei eſtote, ſicuti & ego* Chriſti. Et *quod deni que* Chriſti *actio noſtra eſt inſtructio.* Silentio *adhuc non inuoluentes haud aliud pro imitatio*

nis ſymbolum ſumendum eſſe, quàm ipſa formica ſit, quæ licet paruula nobis exemplo eſt tamen, parui laboris, onus fore ſubeundum, uel ipſius in duſtriam eſſe imitandam, ad rem & opes labore parandas. Dicta *quia ore fert micas. prædamq́; per herbas, conuectant omnes, calle anguſto, pars grandia trudunt, obnixe frumenta, humeris pars agmina cogunt, caſtigantq́; moras, opere, omnis ſemita feruet.* Vel *etiã* Teſtudo, *regrediens enim* Nilus, *in ſuos meatus, uaria reliquit animalia in terris. præſertim hanc, quæ putrefacta neruis in tra corium extenſis, percuſſa à* Mercurio *Sonitum dedit, ex ipſiusq́; imitatione cithara compoſita eſt. aut* Graculus *, quem imitatur qui uult uideri deſertus, ſeq́; alienis ueſtibus ornat.* Et *quam uis pro complemento* Vlyßes *denique imitandus ſit, qui gratia adipiſcẽdæ uirtutis, & ut ſapientiam ſibi compararet, uarias ac diuerſas orbis ter rarum regiones inuiſere ſtuduerit, cauendum eſt tamen, & quam maxime quidem, ne naufragi ſed prudentiores ad noſtros redeamus.*

Inuocatio *neceſſaria eſt opusq́; diuino auxilio, ſi uolumus* Anchoram *in tuto firmare, & maxime grandia locuturi, quodq́; fundamentum omnium eſt deus, & quod ubi ad idem fundamentum non eſt, ibi ſuperædificari non poteſt.* Cap. X.

QVod inuocatio ſit quammaxime neceſſaria, opusq́; diuino auxilio, ſi uolumus Anchoram in tuto firmare, locuturi maxime grandia, liquet ex eo quod alibi dicitur ſic. Surge Deus cauſam tuam adiuua. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt, ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie, ſuper gentes et ſuper regna, ut euellas & deſtruas, & diſperdas, et diſſipes, & ædifices et plantes. Nec deus interſit niſi uindice nodus inciderit, & ſimile quiddam, quale etiam illud, Grande locuturi nebulas Helicone legunto. Vnusq́; ex noſtris, quod nullius aſſertionis imbecillitas ſacra ualet enumerare myſteria, niſi ſuperno fuerit erudita magiſtro. Et alibi Magnus Baſilius, Det mihi deus ex animi ſententia loqui, & quæ dicam digne cogitare. Imò quod hoc ipſum facit ſemper Iuſtinianus, & ex conſuetudine tabelliones in inſtrumentis, uſque adeo ut uitientur ſi ommittāt. Non tamen Papa, breuitatis gratia, uel quia nihil facere poteſt, quod non ſit in nomine domini, ex quo Chriſti uicarius eſt. Nec ab re ad propoſitum, quia quicquid meriti habemus, præuentrix gratia donat, quaſiq́; geſtores ſeu procuratores loquimur, & qui à ſemet ipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Vnde Hieronymus, aggrediar opus difficillimū, & ſanctarum precum tuarum fultus auxilio, illius uer-

ſiculi recordabor. Dominus dedit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Primus Enos inuocauit nomen domini. eſtq; inuocantibus eum prope. Et qui confidit in domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum. Tu cum gladio, ego autem funda et lapide ad te uenio in nomine domini, dixit ad Goliam Dauid. excuſabat ſe Hieremias, quod eſſet puer, in ſeq; defectus uitæ, eloquij, & ſapientiæ, & tamen à domino, conſtantiam eloquentiamq; obtinuit & audaciam ſimul. poëtaq; hoc ipſum ſentiens ſic dicere non omiſit.

Dij quibus imperiũ eſt animarũ, umbræq; ſilẽtes,
Et chaos & phlegeton, loca nocte ſilentia late,
Sit mihi fas audita loqui, ſit numine ueſtro
Pandere res alta terra, & caligine merſas.

alibi uero ſic,

Hic canere incipiam uos ò clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum
Liber & alma ceres.

& melius cum dixit rurſum,

Pandite nunc Helicona deæ, cantusq; mouete.

Veteres quoque legum latores ita faciebant. Numa Ægeriæ, Lycurgus Apollinis, Solõ Mineruæ, Minos Iouis, Charondas Saturni, et Mercurij denique Trimegiſtus auxilium implorantes, ut nos etiam idem faciamus, & deum optimum maximum precemur (quod præfati quoque ſumus) uanam aliorum religionem ridentes adiutor ſem

per ſit nobis, noſtris faueat ceptis. & cum bene ceperimus, felicius ad umbilicum properantes finiamus.

Quod labor optat præmiū, quod nihil mortalibus abſq; labore, permiſſum eſt, quod à labore pendent omnia, quod nulla iuſtior acquirendi ratio, quam ex honeſtisſimo labore, quales militum labores eſſe debeant, & quale denique præter alia multa ſit laboris condimentum, ſiue ſymbolum. Cap. XI.

SIcut ſine luce uidere non poſſumus, quia nec colores nec oculi ad uidendum ſufficiunt, eodem modo animæ oculus nullā uirtutis actionē attrectare poteſt, niſi à labore ceu luce adiutus. Imò quod ſicut à cibo tota hominis uita pendet unà cum actionibus affectibusq; ſuis, ita etiam à labore pēdet quicquid in rebus bonū eſt. laborq; inter præcipua bona eſt numerandus. Et plus quòd nihil magnum, ſine magno labore permiſſum eſt mortalibus, ut dicit Ethnicus. *Et qua de re* Lycurgus *puberes non in forum ſed in agrum deduci iusſit, ut primos annos non in luxuria ſed in labore agerent & opere.* Nec *aliud* Agamemnon *populorum paſtor apud* Homerum *eſt, niſi per ſimilitudinem, quod priſcis temporibus homines non delitijs aut uoluptatibus, ſed paſcendo*

pecori aut agriculturæ inſudabant. parumq́; ualuit ingenio hinc Demoſthenes & Cleantes niſi omnia labore et diligentia perfeciſſent. eſt etiam grecæ dictum πόνον ἐγκώμιον ideſt laboris præconium, adeo laudabilis eſt. & ſi prima deradatur litera ſic ὄνον aliud ſonabit, dicetq́; præconium aſini. μισόπονος laborum oſor. & φιλόπονος q́; amator laboris. Et certe ingenium inexercitatum torpet ferro ſimile (ut dicebat Cato) quod uſu ſplendeſcit, in ocio uero rubigine conficitur. Vnde Thebani & Mileſii luxui ac delicijs operam dantes, grauiter ſunt obiurgandi, laudibus uero quàm maximis extollendi, Spartani, Cretenſes, & Crotoniatæ. qui ſe ſe armis uenationi, & ludis exercebant, olympiacis. id præ oculis habentes ſemper, quod homines nihil agendo, male agere diſcunt. Quod etiam idem Cato dicere ſolebat. labore igitur corpus exercere debemus & animo pericula ſuſtinere, putantes rurſum his qui laborant numen adeſſe. Præmia laborantibus dari. & ad ſummum uirtutis apicem peruenire deni que, qui guſtant labores. Ex quo fit ut hoc modo, ad ſummos prouectus honores, Ælius pertinax, non ab re fortunæ pila uocaretur. Et conuenit (ut dixi) quia labor præmium optat. Præmia uirtutum etiam tribui merentibus. Vnde & bene Heſiodus,

Virtutem poſuere dij ſudore parandam.

Et ad propoſitum non aliud uolebat Afranius, cum fingeret uſu patre ſapientiam prognatam eſſe, quàm aſſiduo dicendi ſtudio animum erudiri ne hebeſcat ſed confirmetur potius, ut corporum robur exercitio. dicebatq; Anaxagoras, artes omnes uſu comparari, ocioq́; (ut dictum eſt rurſus) ingenia ſterileſcere. Imò quod etiam mecanichas diſcimus experientia, neque tam demens eſt quiſquã, ut ſe mox Apellem eſſe confidat, ubi penicillum primum in manus acceperit. Styloq́; tantum tribuit Cicero ut optimum & præſtantiſſimum dicendi effectorem ac magiſtrum ſcripſerit. Non omittentes quod Plutarchus, lucernis noctu uſus eſt aſſiduis donec quinquageſimnm attigiſſet annum. Pedes ambulant, manus operantur, cor uiuificat, os comedit, lingua loquitur, oculus uidet, audiunt aures, memoria meminit, intellectus cognoſcit, & uoluntas imperat. quæ & ſi naturalia ſint laboribus exercentur tamen, exmplariaq́; laborum eſſe uidentur. Seruus domino felicior, quod ad laborem exercitatior minus ſentit moleſtiæ. Atlas ob labores arte ſuſceptos cælum toleraſſe fingitur. nullaq́; iuſtior acquirendi ratio quàm ex labore honeſtisſimo. Et qui (ut noſtri aiunt) maiori labore grauantur, in maiori ſumma debent releuari, nec à mercede repelli qui ad onus eliguntur, & quod denique mortalis creſcit egeſtas, dum labor eſt in damno. Olim

enim præter hæc, milites in hybernis agentes, ne deſidia torperent, pugnabant ad palum, iaculabantur ad ſcopum, torquebant fundam, uibrabant haſtam, decertabant palæſtra, concurrebant lanceis, armatiq; in equum inſiliebant. et certe adhuc regium eſt, tolerare labores, ſeruile uero in ocio uiuere. Et *plus ſi quid per laborem feceris, quod labor à te cito recedet, benefactum dum uixeris nunquam, ſi qua uero per uoluptatem nequiter abibit uoluptas pariter, factum uero manebit ſemper.* Labores *uiris conueniunt, mundiciæ mulieribus.* Nec *aliud ſibi uolunt uerba dei, cum* Adæ *dixiſſet,* In *ſudore uultus tui ueſceris pane tuo.* Arbor *quæ fructum non facit, excidatur, & in ignẽ mittatur.* Verum *eſt tamen, plerunque ceſſandum, ocioq; honeſto uacandum, natura duce, indulgendumq;* Genio. *ex quo non ab re* Romani *homines aliquando* Vacunam *deam habuerunt, quæ uacantibus & ocioſis præeſſe putabatur.* Cuiq; Agricolæ *cum à laboribus uacabant, poſt agrorum cultus ſacra faciebant.* Quod *& poëta ſic dicens oſtendit,*

> Nam *quoque cũ fiunt, antiquæ ſacra uacunæ,*
> Ante *uacunales ſtant ſedentq; focos.*

Quia Decembri *agebant menſe.* Inſtitutiq; *à regibus, & bene conſtitutis populis, &* Romanis *præcipue ante dictis, gentium olim* Dominis, *ludi, & diuerſi quidem generis, quibus ſpectandis, uniuer.*

ſi à laboribus quotidianis relaxarentur. Imò & *foſſores ipſi, quique cædendis exercentur lapidibus iocos inter ſe miſcent, & ubi defuerint illi cantu laborem mulcẽt, ærumnasq́; leniunt, iuxta illud,*

Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

melius uates ille Mantuanus, *ſic,*

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto coniunx percurrit pectine telas.

Vnde forte hauſit poëta Lyricus, quod pariter in hunc cecinit modum,

Perche cantando il duol ſi diſacerba;
Canterò com'io uisſi in libertate.

Et erectæ etiã ſtatuæ ridẽtes, quæ ſymbola erant laboris condimentum ſignificantia omnimodo neceſſarium. quia quod caret alterna requie, durabile non eſt. Vbi *alias mulier lacera ueſte induta, flagellum in manu habens, ſi uapulet iuuenem in lectica ſedentem, turpe ocium ſignificabit.* Ad*mota igitur manu fortunam inuocemus, quia non fauet numen pigris, et ocioſis, cumq́;* Scæuola *forenſibus negocijs fatigato,* Catone *minore,* Socrate, Lælio, Scipione, & *alijs aliquando indulgeamus* Genio, *relaxantes animum, ut alacriores & uegetiores quaſi lyram & arcum remittentes ut melius posſint tendi ad ſtudia reuertamur.*

Quod lanificium fuit in uſu nobilium matronarum apud Romanos, Quid ſibi uellet Thalaſſij nomen in nuptijs, Quo uocarentur lanificij textores, & græce lana, et quare cererem μηλοφόρον appellarint. Cap. XII.

GRæci lanam Μάλλον uocant, maioresq́; rem pecuariam exercentes, Cererem Μηλοφορον quaſi ouibus feracem dicebant. non ignari tamen, quod lanæficij ac texturi inuentum fuerit Mineruæ, tametſi & Ceres ipſa lanifera dicta ſit, cognomenq́; ſumpſerit, in Megaride ubi primum oues nutrire cœperunt. ſed ad lanæ propoſitum, ex quo paſtores lunam amant eiusq́; lumen, unde non parum adiumenti ſentiunt, ob idq́; in ſyluis eam ſemper uocantes, qua greges per noctem, ab inſidijs ferarum caueant, fabulantur Poete dilecta à pane & lanæ candidæ munere in ſuos traxiſſe concubitus. Feruntq́; alij in nobilium matronarum uſu lanificium fuiſſe apud Romanos. Thalasſii nomen in nuptijs inclamari ſolitos, quod non aliud quàm lanificij ſignum erat. monerenturq́; hac uoce nuptæ in maritali domo, exercendum fore. nec aliud Thalasſius quam uas lanificio aptum, & Thalasſio carmen nuptiale, & θαλάσιον græce lanificiũ. uſque adeo. ut hinc colum ſecum ferrent, lanam comptam, & cũ ſtamine fuſum. Cinctæ etiam cingulo ex lana contexto.

contexto. uiriq; Ianuam lanificio coronarent. Imò quod Auguſtus Cæſar filias ita inſtituit ut etiam lanificio (alla barba delle noſtre donne) exercerentur. fœduſq; ictum inter Romanos & Sabinos, cumq; Romulo & Tatio conuentũ, ut ſabinos ab omni opere forent immunes, præter quam à lanificio tamen. Et plus quod pudicitiæ & probitatis apertisſimum erat argumentum. Lucretiaq; illa Romana mulier non ab re à Tarquino Collatino (hiſtoria nota eſt) inter ancillas in lanificio inuenta. noſtri Gynæciarios etiam (ut omnia ad hæc pertinentia doceamus) lanificij textores appellant, à Gynecio ſic dictos, quod locus ſit ædium ſecretior, in quo mulieres ſolæ habitantes, hoc genus artificij laudabiliter exerceant. Et ſubijciunt quod ſi ingenuæ ſe his ſociauerint & ſolenni denunciatione conuentæ contuberniorum uilitatem ſplendori generis prætulerint, maritorum ſuorum conditione tenebuntur. Lanarum purgatores quoque ideſt eas carminantes, & à ſpurcitijs expurgantes, carminatores uocabant. Eſtq; lana canuſina ex Canuſio, Apuliæ oppido laudatisſima. Tarentinaq; nobilisſima. Penelope rurſum, et hoc ipſum ad ſupradicta adijcientes mariti abſentiam ſolabatur. lanificijq; fuſos Cloſtes Arachne filius, (ut ipſa linum & retia) primus inuenit. Et ex lanificio deniq; Beatus Seuerus in Archiepiſcopũ electus. Et quia fœmina

rum præcipuum eſt artificiũ. abſq; ratione, apud Gortinam conuictus adulter lana coronabatur, uti effœminatus, erat infamis, & nullo reipublicæ munere fungi poterat amplius.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE

LIBER OCTAVVS.

LEGITIMATVS AN A' LEGItimis & naturalibus differat, an excludat ſubſtitutum, An differat ab adoptiuo, an poſſit inuitus filius legitimari, & ſi mulier naturalis nubat legitimo & naturali, an efficiatur legitima. Cap. I.

INDVBITATVM *eſt legitimatos filios, à legitimis & naturalibus nihil penitus differre, adeo ut excludant ſubſtitutos caſu quo inſtituti decedant ſine liberis, licet ſecus quando teſtator eſſet in dignitate conſtitutus; uel in legitimatione ſubſtitutus citatus non fuiſſet; uel expreſſe fuißet alienatio prohibita; aut facta mentio de legitime deſcendentibus & ex matrimonio natis; uel aliter ſe haberet communis uſus loquendi. & ſubſtitutos excludunt maxime, quando dictum fuiſſet expreſſe.* Non *omittentes etiam quod diffe-*

rant ab adoptiuis, non habentibus iura naturæ, ut legitimati, quiq; ſolum legitimi appellantur, ita ut legitimatio non ab re, fortius operetur quàm adoptio, & ſi quæratur an filius inuitus poſſit legitimari, dicam quod non, ſicuti nec emancipari, nec cogi pater ad emancipandum. Nec etiam legitimari poterit adhuc, aut debebit ſtantibus legitimis, quiq; contrarium facit non habet præ oculis iuſtitiam publicæ honeſtatis. abſolute uero per matrimonium ſubſequens. Si ex concubina tamen natus ſit filius in domo alita. & cum ea rurſus cum qua conceptionis tempore matrimonium eſſe poterat. & in materia dictu mirabile eſt, ſi mulier naturalis nubat uiro legitimo & naturali, quod legitima efficietur ſtatim, capacitasq; uiri ad uxorem porrigetur, illius radijs coruſcantem. Addendumq; iſtud omnimodo neceſſarium, quod legitimatio abſque cauſa fieri non debet, ex quo naturam uimq; diſpenſationis habet. licet in dubio regulariter præſumatur, ſi legitimatio fuerit principis, quodq; diffinitio filij non poterit adaptari ad legitimatum. & quod denique in ſtatutis de filijs legitimis & naturalibus, mentionem facientibus, non comprehendetur, ad fœminarum excluſionem. ex quo iure ſpeciali filius eſt, de quo ſtatuentes non uidentur cogitaſſe, & breuiter legitimatus, poſthumus quidam eſt, non

natus, ſed datus, & excitatus quaſi de nihilo, qui aſſumit iura legitimorum, ex quo natalibus reſtituitur, & regeneratur. Sed pone quòd duo legitimentur, eiuſdem nominis, nec appareat de quo ſenſerit pater, nunquid legitimatio ualeat? Dic quod non, quodq́; non ſtabitur eius declarationi, ex quo non eſt actus ipſius tantum, ſed etiã principis legitimantis, & cũ ſit (ut dictum fuit) diſpenſatio quædam, oportet quòd ſit dilucida & clara. Verum eſt ſi naſcatur ex diuerſis concubinis, & nomen exprimatur concubinæ, quod ſatis clarũ eſſe dicetur. Non admitteretur etiam ad feudum quis, niſi ad hoc legitimatus eſſet ſpecialiter, & quanquam ex his ligitimatio tantum, per reſcriptum, & per ſubſequens matrimonium comprehendatur, ſcias tamen quod fit per figuratum. per patris nominationem in teſtamento, per temporis diuturnitatem, per oblationem curiæ, & quia legitimationis atque legitimatorum pleni ſunt libri, hæc paucula tibi lector ſubminiſtraſſe ſufficiat.

Longobardi quare ſic dicti fuerint, quo in loco ſuas habuerint ſedes; quanto tempore durauerint in Italia, à quibus fuerint extincti, De lege Salica deq́; Longobardis, ſeu ipſorũ iure ad propoſitum multa. Cap. II.

DE Longobardis dicturi nonnihil, prius ſciendum eſt, appellatos fuiſſe, quaſi longas habentes barbas, ex Germania enim (ut aliqui aſtruunt) in Sardiniam uenerunt, & ex Sardinia denique in Apuliam. ſeq́; reges fecerunt. Alij ex ſelandia quæ in Venedico ſinu contra Viſtulæ oſtium eſt, et quam atiqui Scandaniam uocabant ueniſſe exiſtimãt. Alij quod Vinuli prius uocabantur, quodq́; poſtea ob prolixas (ut diximus) barbas, Longobardi dicti fuerunt, & quo exteris nationibus perſonarum numero formidabiliores eſſent reſoluebant quoque ſuarũ uxorum ceſariem, & fluxam comã adaptabant genis earũ armaq́; ſic ut uiri manu tractabant. ij ferè totam Galliam togatam (alia conſulto omittentes penè innumera) quæ & ab eis denominata eſt Lõgobardia, poſtea Lombardia corrupto uocabulo: ſubegerunt habentes tunc regiam ſedem Papiæ, ubi ænea ſtatua ex Rauennæ uictoria Antonini Pij allata eſt, gladio omnia uaſtantes, nec mulieribus nec pueris parcentes, Paduam hanc noſtram patriam incederunt. & breuiter in Italia exercuerunt tyrannidem uſque ad tẽpora Caroli annis CCIIII. Qui poſtea potenti manu illos compeſcuit, & deleuit funditus. Primus rex eorum qui uenit in Italiam ex Vngaria (Vngari enim erant) Rotarius uocabatur. Feruntq́; aliter ſibi Longobardorum nomen deſumpſiſſe

à Vate quodam Godano ſcilicet qui cum uxores iſtorum ueniſſent ab eo exploraturæ, quid nam ſibi uel mali uel boni denunciaret, ſuo in Italiam aduentu, eiſdem conſpectis dixit, quæ nam ſunt iſtæ Longobardæ, (genis enim ut præfati ſumus) fluxam maritorum arte & conſilio adaptauerant comã, unde poſtea nomen ſumpſerunt. eccleſia etiam ab ijs regibus Deſiderio & Aſtrupho magnam eſt paſſa perſecutionem. Quorum unum ualida compeſcuit manu Carolus, alterum Pipinus. Qua de re non mirum eſt, ſi Franciæ regnum, nube candida præfiguratum eſt, in ſacris literis, præ ceteris candidatum moribus & fide. & quoad ius ipſorum ſcias non eſſe curandum ut noſtri dicunt, niſi conſuetudine iuuetur. Quodq; ipſi aliquando legem Salicam (quæ ſpetialis eſt regni Franciæ) amplexi ſunt, & non modo non eſt curandum, ſed nec etiam ſeruandum, ubi Romano uiuitur, quoniam Aſininum eſt, iniuſtum, & ſine ratione, ac à barbariæ procedens. Eſt uerum quod ſeruatur Neapoli, Salerni, & Antuerpie, Neapoli tamen quando ceſſat regni conſtitutio, & non aliter nec alio modo, & maxime mirandum eſt, quando ſuas non habent leges, (quod enim quis alienas aſpernetur, commune uotum eſt uniuſcuiusq;, nam Laconicas Athenienſes, Atticas Lacedæmonij, Ægyptij Scythicas, Scythæ Ægyptias ſpernunt) & re

pudiant) quod non Romanas pie ſancte iuſteq; la tas non ſequantur, ſed iſtas potius barbarie ple nis, ac refertas, & planè (ut diximus) aſininas, iniuſtas, & ratione penitus carentes.

Quod ludus eſt crimen, malorum dæmonum inuentum, niſi ſit literarius, & pilæ, Quot ludo rum genera ſint, deq; Aleatoribus multa. Cap. III.

ADeo uerum eſt Aleæ luſum crimen eſſe, malorumq; dæmonū inuentum, ut deſcen dat hac de re à uerbo quod nullibi reperitur, ex quo non dicitur aleare, ſed alea ludere. & ars rurſum adeo infamis ut Cobilon Lacedæmonius Corinthum profectus legatus iungendæ ſocieta tis cauſa, cum duces ac ſeniores ludentes inueniſ ſet, infecto negocio redierit dicēs nolle ſe Sparta norum gloriam infamia hac maculare, ut diceren tur cum aleatoribus ſocietatem contraxiſſe. Tan toq; probro adhuc apud maximos quosq; habita ut regi Demetrio in leuitatis opprobrium, Taxil li aurei à Parthorum rege miſſi fuerint. Alcones ab antiquis uocati, qui à nobis Aleatores, no ſtrisq; dicti fuerunt. excogitatumq; etiam à ly dis. & Alea aliquando condemnatus lenticula col luſor Antonij. Cuius ludi tamen ſtudioſum fuiſſe Auguſtum ferunt. eosq; omnes qui undecima li

bræ parte, horoſcopum habent. Et datò *quod ludere bonum ſit, malum tamẽ eſt perdere.* Imo (*ut noſtri rurſum dicunt*) *quod qui ludit bona dilapidat, & male utitur ſubſtantia ſua.* Ex *quo ſit ut non mirum ſit, ſi Ægiptiorum lege olim cautum erat,* Aleatorem *omnibus accuſare uolentibus obnoxium eſſe, inq; latumijs detrudendum, noſtra ſi quis alium ludere compuliſſet.* Il *giuoco* dice il Fiorentino, *è come l'ellera, che abbarbicandoſi ad un muro buono, non reſta mai inſino à tanto che lo conduce alla rouina. hinc regindalia, quæ græce* βασιλινδία *uocatur. & de quibus noſtri, titulum de ludo* Aleæ *conſcripſerunt, et* Orca Aleatorium *uaſculum quo coniecti agitatiq; tali emittuntur in tabulam* Aleatoriã, *ad euitandas* Aleatorum *impoſturas, & græce etiam* πύργον *appellatur, unde* Hora.

Mitteret in pyrgam talos Sidonius.

quo uelut claſſico ad pyrgum Aleatores *uocabat.* Ludendum *igitur eſt animi relaxandi gratia non lucri, ueluti pila, ut* Scæuola *noſter,* Alexander, Cæſar, *aliiq; innumerabiles, dicta à pilis quibus denſata eſt. uel etiam uirtutis cauſa, haſta, iaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, uel pugnando, quot ludorum genera erant, & tyronum exercitationes.* Eſt *etiam ludus literarius, quem græce* σχόλαμ *uocamus, ſegetemq; eruditæ iuuentutis eſſe dicimus, ſi honeſtas artes tulerit tamẽ,*

hocq; ludo delectabitur, ſin minus de luſu, prius cogitarit, quam de ſchola, ſcarabeis aut ſuibus erit ſimilis, qui precioſi unguenti odore offenduntur. quiq; amaricini amagrantia nõ ferunt. Sunt etiam ludi Nemei, Iſthmij, Compitales, Florales, Theatrales, Megalenſes, Palatini, luctatij, Circenſes, & ſeculares. & de his alias quia nihil ad rem noſtram faciunt, quiq; conſulto hac de re in præſentia etiam ſunt prætermittendi.

In quo conſiſtat liberalitas, Quomodo differant auarus, prodigus, & liberalis, Quod liberalitas & donatio ſunt idem, & quod denique homo nunquam accedit ad ſimilitudinem Dei niſi cum eſt liberalis. Cap. IIII.

VT ſciamus in quo diſtinguantur, ſeu quomodo cognoſcantur, Auarus, Prodigus, et Liberalis, nõ ignorare primũ oportet, liberalitatem maxime in datione conſiſtere. Cui dandũ ſit, quid, et quando. perche uſar liberalità fuor di tempo, & à cui non ſi conuiene, & quel che non conuenga, liberalità non ſarebbe, altrimente ſi, & lodata dal mondo, ſia publica ò priuata. Imò quod liberalitate & beneficentia nihil eſt (ut inquit Cicero) naturæ hominis accommodatius. & in principe dos potentisſima. Quæ Cæſarem dictatorem, Alexandrum, Pyrrhum, aliosq; innu-

merabiles, immortalitate donauit. Et *dictu mirum eſt, quod ſemel incitata ſtare neſcit . haud omittentes donationem idem (ut noſtri aiunt) quod liberalitas.* Et *liberalitatem in donatione haberi loco cauſæ. adeo fauorabilis rurſum ut ſtipulatiò alteri facta, quæ de iure non ualet, ualeat tamen iſto caſu & ſuſtineatur.*Et *natis filijs donatio reuocetur, ne à liberalitate exercenda donantes retrahantur. et licet diuitiæ liberalitate perdantur, multáq; donans hinc,* Polydorus *uocetur, nòn eſt tamen à liberalibus curandum, quoniam marceſcunt auaritia quoque.* Et *inde magnum ſortiuntur effectum, quæ liberaliter fiunt, apud græcos* Anaxagoræ *factum maxime laudatur; quod agrum ſuum omnibus conſpicuum eſſe uoluerint. laudatur &* Antigoni *dictum* Ariſtodemo, *coquorum parſimoniam eſſe, non regum.* Plus *dicimus quod nunquam homines ad dei ſimilitudinem accedunt magis quàm cum benefici ſunt, & liberales.*Ex *quo forte* Alexander, *cuius paulo ante mentio facta eſt, interrogatus ubi nã theſauròs haberet ſuos, apud amicos reſpondit. dicebatq́;* Scipio *oportere principem non ſolum domeſticis uirtutibus ornatum eſſe, uerum etiam liberalitate et munificentia. quæ manu expanſa deſignatur, ſi dextra fuerit, quia ſiniſtra compreſſa, tenacitatis & auaritiæ ſymbolum eſt. & (ut præfati ſumus) pro complemento ſciendum*

puto, extrema uitio non carere medium uero ſemper laudabile. hoc ipſumq́; liberalitas erit, auaritia uero & prodigalitas laudem (ut dixi) non habent. auarus enim parum dat, multum uero contrahit, prodigus contra dat multum, parum uero capit, liberalis in mediocritate uerſatur. Quod & in ſacris oſtenſum eſt literis perbelle, in filio prodigo, in epulone auaro, & Zacheo liberali. Adijcientes inſuper quod quamuis patriæ nihil negandum ſit, periclitantibus cognatis ſubueniendum, ſuſidiumq́; afferendum cuicumq́; liberalitate, quod etiam euangelica præcipit oratio, cum dicit, Facite uobis amicos, de Mammona iniquitatis, ideſt de pecunia ſeu diuitijs, quæ ex inquitate proueniunt, nocendum tamen nemini eſt. quandoquidem nihil liberale eſſe debeat, quod non idem iuſtum atq́; honeſtum ſit. nec laudandus quis, ſi pecunias à iuſtis auferat dominis, ut eas non iuſtis largiatur. Contemnamus igitur pecunias, ſi non habemus, cupiditatem fugientes. nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq́; parui quàm amare diuitias, ſin uero habeamus, eas ad beneficentiam liberalitatemq́; conferamus, Cimonis Athenienſis exemplo, quem ſemper famuli comitabantur, crumenam nummis plenam ferentes, ut ſi quis opis eius indigeret, præſto eſſet, petentiq́; ſtatim ſuccurreret ne differendo nimium (quod dicere ſolebat) eidem opem ferre negare uideretur.

Quod leo tametſi ſit omnium animaliũ atrox, eſt tamen gratus etiam et generoſus, Quid deſignet in ſacris literis, Quod capite operto facile uincitur, Quod Gallum timet, & ignem odit, deq́; eo alia longe plura. Cap. V.

LEo omnium animalium adeo atrox eſt, & crudelis ut uoce tantum uirtutẽ oſtendat, & terrorem inferat, nec ipſo rugiente exire alia animalia audeant. Quod ex eo licet uidere, quod in ſacris dicitur literis. Sobrij eſtote, uigilate quia aduerſarius ueſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. præſtat etiam cęteris impetu & calore uti ſol ſydera. Ea de re Ægyptij Leonis ſignum in Zodiaco domicilium ſolis appellant, quia leo ex natura ſolis, ſubſtantiam deducit. Ferũt dormire oculis apertis. Ex quibus uis ipſius conſtat, ita quod operto capite facile uinci poteſt. Et quanquam hæc omnia uera ſint, habet tamen & ipſe quidquã, quod ignauiæ & puſillanimitati eſt aſcribendum. nam ſi aliquid (ut ferunt) uorarit, quod non capiat alueus, appoſitis in fauces unguibus, idipſum euellit, ne ſi fugiendum ſit, ſatietas uentris ſarcina fugam remoretur. naturaliter (ut Homerus inquit) ignem timet, perhorreſcitq́; gallum gallinaceum eo uiſo, & longe magis cantu. & plus, (ea lingua dicam hoc, qua ſcriptum reperi no-

ſtra ſcilicet) che in Africa in una montagna chiamata Guriagura, uicina ad Atlante, ſono Leoni tanto cheti, & pacefici, che ogni huomo & donna, caccia loro co' baſtoni, ne nuocono ad alcuno. In Agla anchora pur d'Africa, cioè iui edificata, ſoura il fiume Guarga, ſono altri che ſino i fanciulli ſgridando loro, li fuggano, l'Aue che in prouerbio ſi dice, ueggendo un huomo uile, che però di parole ſia gagliardo & pronto, tu ſei ua lent'huomo come i Leoni d'Agla. appreſſo anchora diceſi, ſe in luogo rimoto moſtraſſe la natura una donna al Leone, che baſſa gli occhi, grida forte, & ſen ua uia. poſtratis etiam parcit leo, ſeq́; feram eſſe negat. iuxta illud quod pro foribus palatij Romæ ſic legitur,

Iratus recolas quàm nobilis ira Leonis,
In ſibi proſtratos, ſe negat eſſe feram.

Aliquando gratus, Androdo enim ſeruo pepercit, quod ipſum ſanaſſet, ſtipe ingenti reuulſa, pedi hærente, unde prouerbium adhuc ortum eſt. Leo hoſpes hominis, homo medicus leonis. Diu uiuunt leones, præ nimiaq́; ſenectute aliquando edentuli fiunt, & cum uenari non poſſunt homines inuadunt. Sed celebre audias factum Lyſimachi, Agatoclis filij, qui obiectus leoni, (natura enim eum docuit & neceſſitas) deuorandus, pallio brachio inuoluto, eoq; in os leonis appoſito, lingua exſecta, ipſum exanimauit, ſi cre-

dere dignum eſt tamen. Leo *conſtantiam deſignat, & uigilantiam. ex quo fit, ut ſemper ad portarum cuſtodias ponatur. & tumulis uirorum illuſtrium appoſitus rurſum, eorum animi magnitudinem ſignificat. & aquarum redundantiam, ſi fontes & aquarum tubi leoninis figuris ornati uideantur.* In *fœminas inſuper uel pueros non ſæuit. però è da ſapere (ut aliqui referunt) che gia al commun di* Firenze *fu donato un* Leone *ferociſſimo, il quale era rinchiuſo nella piazza di* S. Giouanni, *auenne che mala guardia uſcio della ſua ſtia, correndo per la terra arriuò in horto* S. Michele, *hauendo preſo un fanciullo, quale tenèa tra le branche. uedendo ciò la madre che non haueua piu che lui, & queſto l'era rimaſo in corpo doppo la morte del padre ucciſo da un ſuo nemico, ſi moſſe con gran pianto ſcapigliata, & andò in contra al* Leone *come diſperata, & preſe il fanciullo & menoſelo, di che il* Leone *ne à lei ne al fanciullo fece alcuna nouità, ſe non che la raguardò, & ſteteſi fermo nel luogo ſuo.* Onde *ſi fece di queſto queſtione. qual fuſſe il caſo, ò la gentilezza della natura del* Leone, *ò la fortuna riſerbaſſe la uita al detto fanciullo, accio che faceſſe uendetta del morto padre, come poi ne fece. & fu chiamato* Orlanduccio *dal* Leone. *& hoc pulcherrimo ipſius exemplo ſat ſit quæ dicenda erant ſuperaſſe.*

De legibus, deq; legum latoribus, quæ requirantur ut ualeat lex, & quomodo iuſta ſit ſeu dici posſit, & quod denique longe pulchrius eſt uiuere legibus in omni uita quàm doctrina excellere. Cap. VI.

MVlta ſanè de legibus alio in loco, à nobis dicta fuerunt, nunc aliter non repetenda, ſed ex quibuſdam alijs ſupplenda, poſtquã titulus iam libro inſcriptus eſt hoc primum præmittentes, quod quidam ſub lege ſunt, quidam in lege, quidam uero ſupra legem. ſub lege ſeruili timore diligẽtes, in lege præcepta prohibitionesq; ſeruantes, ſupra legem autem qui conſilia perfectionis adimplent. & dictu mirabile quod leges, non in ciuitatibus ſed in ſolitudine uaſta latæ fuerint olim à Moyſe. forte quia ciuitates uitijs refertæ ſunt. Et quia ad eas ſacras recipiendas animus purificatus deſideratur, maculis elutis, quæ rurſum in ciuitatibus hærent. Et quia ſacræ ſunt non immerito quis nos ſacerdotes appellat. eſt uerum cũ habeat quisq; ſuas, quod alienas aſpernatur, Laconicas Athenienſes, Atticas Lacedæmonij, Ægyptij Scythicas, & Scythæ denique Ægyptias. Et breuiter tot ſunt ut nullius induſtria, aut memoria ſufficiat omnibus complectendis. Imò quod plerunque diſtrahunt iudicis animum, quaſi in biuio hærentem, qua uia ad ſententiam ferendam

rendam ingrediendum ſit. Vtcunq; tamen, omnia quæ à legibus, quamuis innumeræ ſint, proficiſcuntur iuſta, pia, ſanctaq; habenda ſunt. cum et ipſa ſit donum dei commune: præceptum uirorum prudentum, iuſti atq; iniuſti regula, per ora principum promulgata. Sancti legum latores, Minos, Rhadamantus, Draco, Solon, Lycurgus, Zamolxis & Moyſes. Qui Cretenſibus, Thracibus, Atheni enſibus, Lacedæmonijs, Scythis, & Iudæis eas tradiderunt. Quorum aliquos, præſertim Lycurgum, tametſi noſtri dicant, non debere reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum uarietatem temporū, ſtatuta quoque uarientur humana, æternitatem ſuis optaſſe ferunt. Ex quo iureiurando ciuitatem obligarat, nihil eorum quæ ſanxiſſet, mutaturum prius quàm reuerteretur, ut delphicum oraculum conſuleret, quid addendum mutandum ue illis eſſet, Cretamq; applicuit, ibiq; perpetuū egit exilium & ſubinde annis C C C C C. uiguerunt. Et licet conſtitutas eſſe oporteat, ut fortitudinis præcepta iuſtitiæ, prudentiæ, humanitatis & temperantiæ etiam contineant, ne miles locum in acie deſerat, pactis promiſſisq; ſtetur, fides ſeruetur & iuſiurandum, manus ab alieno abſtineant omnes, ne furtum adulterium ue committant, cædant neminem, pulſent aut uerberent, ſed reipublicæ potius, principi, uel amicis conſulant. Præter hæc illa Amaſis Ægyptiorum regis maxi

me laudatur, qua quis ſingulis annis nomen ſuum profiteri debebat, docens qua uiueret arte, ut inertia debitis coerceretur pœnis, induſtria uero laudis præmium referret. Nec minus Athenienſium, *quæ ingratos in ſeruitutem reuocabat libertos, dicēte domino,* Eſto ſeruus, *quia liber eſſe neſciuiſti. quod etiā titulo de ingratis ſupra (ni fallor) retulimus.* Præſtantisſima *omnium illa qua* Brachmanes *utuntur, contra ius naturæ non ire, laborem nutrire, auaritiam non exercere, ocium ſi turpe fuerit deuitare, libidini membra ad debilitandum non tradere, omnia posſidere quæcunq; non concupierint. leges* X I I. *tabularum de quibus à noſtris ſæpisſime fit mentio, olim* Decemuirales *appellabantur, nec aliud erant quàm ius municipale, quod nos ſtatutarium uocamus, poſtea propagato imperio, cœpit eſſe ius cōmune inter omnes, & ſic poſitiuum ex bono & æquo interpretatum.* Imò *ſolet dici etiam quod erant rigoroſæ, æquitate iureconſultorum poſtea moderatæ.* In *quibus præter alia quoque ſcriptum fuerat.* Salus *populi ſuprema lex eſto.* Mitto Papiam *quæ multa habebat capita: ut peregrini, ab* Vrbe *arcerentur, ne ſexagenarij uxorem ducerent, ne matrimonio miſceri poſſet, ſenatorius ſanguinis, cum libertino,* De *caducis,* De *iure quod habent patroni in libertorum bonis.* Item Gabiniam, *quæ uetabat ex priuata ſcriptura ius dici, cum apud*

Argẽtarios conficerentur nomina. Ædilitia quæ in mercimonijs forenſibus,(ut Demoſthenes teſtatur)falſum puniebat. Et Quinam uicenariam deniquc prohibentem pecuniam mutuo dari filio familias.Cui poſtea Macedonianum ſenatus conſultũ ſucceſsit. erat lex etiam Titia,qua tenebantur aduocati,qui mercenariam operam clientibus præſtabant, & aliæ inumerabiles, Agraria, Licinia,Ebutia,Curiata,Centuriata,Porcia, Helia, Fuſia, Caſſia, Terentia, Tabellaria, de magiſtratibus mandandis, de populi iudicio, de iubendis,ac uetandis legibus ſeditioſi atque improbi ciuis, Apuleia, Mutia, Cincia, Gellia, Seruilia,Sempronia, Manilia,Hienica,Ruptilia,Remmia, quas referre longum eſſet. Non omittentes tamen quod græce (ut titulo huius capitis inſcriptum eſt) νόμος appellatur lex,et hinc etiam Mercurius Nomius à νόμῳ lege,& quod quemadmodum imperat facienda in hominum ſocietate, ita intercidit non facienda, & legũ laus ſi dixerimus,euangelio nihil diuinius,nihil iure canonico regularius; ciuili noſtro uero ſeu Cæſareo, ſapientius uel æquius nihil; & lex regina eſt in bene inſtitutis imperijs; peſtes autem rerum publicarum, ingenia quæ ita natura diſtorta ſunt, ut legibus obtemperare nequeant. Vnde Socrates uir ſanè optimus ut legibus pareret, cum è carcere poſſet ſe in libertatem uendicare, noluit,

& certè qui uult legem dominari, uult Deum præeſſe, qui autem uult hominis arbitrio ciuitatem regi, ſæuisſimam bellua addit, nihilq; pulchrius in omni uita, quàm legibus & inſtitutis patriæ parere, imò lõge magis quàm doctrina excellere. & ut ualeat lex oportet ab habente poteſtatem conditam eſſe, publicè uſúq; comprobatam, ex fine rurſum iuſta, ex auctoritate & forma ordinata ad commune bonum, dummodo non excedat poteſtatem conditoris, & æqualitas impoſitionis erga ſubditos ſeruata ſit. & quia de lege Salica, nonnihil dictum eſt alibi, hic haud repetendũ, ſcias uelim nunc à Salegaſt cõſiliario regis Faramundi Franci dictã uocatamq; fuiſſe. & Papiam adhuc de qua ſupra, Poppeam poſtea de Sabino poppeo iunctim appellatam fuiſſe, quã Senior Auguſtus ſanxerat poſt Iulias rogationes; quamq; Tacitus frequenter citat. Quodq; nil aliud eſt lex, quàm mutus magiſtratus, qua omnia fiunt, ideo neceſſaria. emendatrix uiciorum, commendatrix uirtutum, à qua uiuendi doctrina ducitur, & quæ denique mater eſt bonarum artium. Hominum ingeniis non excogitata, neque ſcitum aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod uniuerſum regit mundum, imperandi prohibendiq; ſapientia. Condita rurſum ad ſalutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, uitamq; omnium quietam & beatam. hecq; præ

ter alias dicta de legibus, tibi nunc ſatis ſint; ut reliquorum quæ ſuperſunt rationem etiam reddamus.

De lingua Latina & Græca, Ad quid lingua ſit nobis data, De linguis & Idiomate multa, Quibus loquendum ſit & quomodo, & in concilio denique quis loqui debeat prius. Cap. VII.

QVamuis Eraſmus Rotherodamus, ferè omnia quæ in materia dici poßũt de lingua, in libello cuius titulus etiam lingua Eraſmi inſcriptus eſt coaceruauerit non deterrebit nos propterea quominus Epitomate hoc aliqua etiam (qualiacunque fuerint) conſcribamus. illi tamen non conferenda, eruditione enim plenus eſt, & adeò exundans undiq; ut ferè nihil reliquerit, uir ille omnium abſolutisſimus, quod poſsit deſiderari. lingua igitur Græca eſt, & Latina, Græca quinque uarietatibus diſtinguitur, communi ſcilicet, qua omnes utebantur, Athenienſi qua uſi ſunt Græci auctores, Dorica qua Ægyptij & Syri, Ionica & Æolica: Latina quattuor tantum, Priſca quam ſub Iano & Saturno, ueteres Italici habuerunt, Latina qua ipſi uſi ſunt, ſub Latino Thuſciæq; regibus, ex qua leges XII. tab. exſcriptæ ſunt, Romana quam poſt exactos reges, populum Romanum

ferunt uſum, & mixta denique quæ poſt imperium propagatum latius ſimul cum moribus, hominibusq́; urbem irrepſit, ſollœciſmis & Barbariſmis integritatem uerborum corrumpens. Data ad propoſitum nobis, interpretēdi diſtinguendiq́; gratia ea quæ loquimur. Mittentes alias Italicā, Hæbraicam, Germanicam, Gallicam, Hiſpanicam, Chaldæam, Arabam, Ethiopum, & Turcicam, quæ confuſio homini in pœnam data uidetur. ex quo una omnes prius loquebantur, & quanquam ita ſit, ſua tamen unicuiq; placet, præcipuaq́; ſibi eſt admodum. & non ab re lingua ſcriptura uocatur, formans uoces literatas, nil aliudq́; loqui eſt, quàm diſtinguere & formare articulatim, ac literatim uocem, hoc idemq́; non aliter quàm lingua fieri poterit. Vnde Alcibiadē lyram ac tybiā ferunt reieciſſe, quia uocem et loquendi facultatē adimunt, linguamq́; Mercurio dicatam. quandoquidem Hermes ideſt Mercurius ſermo putaretur, cuius ſit organum ac inſtrumentum lingua. Optima corporis pars, (ut Philocorus ait) & membrum ſanè nobilisſimum, hominis tantum. cui egregium hoc loquendi munus, Soli conceſſum eſt, & quo muniti cohortamur & perſuademus, perterritos à timore abducimus, geſtientes comprimimus, cupiditates extinguimus, & à uita inani denique ac fera ſegregamus. Dicitur quoque lingua quia lingit

plerunque adulando, nõnunquam mordet detrahendo, ligat & ligari non poteſt, nec teneri, quia ut anguilla labitur, & uelut ſagitta penetrat, tollit amicos, inimicos glomerat, mouet rixas, diſcordias ſeminat, & uno ictu tandem multos cum percutit, tum interficit. eoq; fit, ut ſapiens priuſquam loquatur multa conſideret quid dicat, quomodo dicat, cui dicat, quo in loco & quo tempore. Thebas condidit Amphion, non quod lyra ſaxa duxerit, neque enim par eſt, id ita geſtum uideri, ſed quod affatus ſuauitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obſequij ciuilis pellexerit diſciplinam. lingua hominem palam facit, indeq; etiam cognoſci poteſt, iuxta illud. loquela tua manifeſtum te facit. loquere ut te cognoſcam. Si petulans turpisſimus hominis morbus erit, Ciconiæ uero fœlicitas lingua (ut ferunt) carens, eiusq; finis alias uelut iniuſtæ amentiæ, infælicitas, ideo tacenda ſunt quæ loquenti posſint exitio eſſe, cuſtodiendaq; lingua intra dentium & labiorum ſepta. lingua apud perſas, grauius quàm aliud probrum caſtigari ſolebat, abſcindi uero ægyptiorum lege, ſi quis ſecreta hoſtibus reuelaſſet. Qualis tantali, quæ ipſum quod Deorum ſecreta uulgaſſet, ad inferos damnauit, ſic etiam dicente uate,

Damnauit miſerum garrula lingua ſenem.

Mors & uita in manibus linguæ eſt, inquietum

malum, mortifero ueneno plenum & breuiter nocens, quia ſcomma etiam ſi nonnihil irriſionis habeat, obeſſe poteſt, hominumq; animos ad indignationem, excitare & quam ſæpiſsime ad ultionem, ut in Naſica ædilitatem petente, qui cum manum ruſtici opere duratam apprehendiſſet, dixiſſetq; ioci gratia, num manibus eſſet ſolitus ambulare repulſam paſſus eſt. Nec ad propoſitum omittendum quoque cenſui, non ob hoc propterea hominem elinguem eſſe debere, quominus interrogatus, ſeu uerbis laceſsitus potius, promptus & alacer reſpondeat, ut Scipio maior, cuidam dicenti, ipſum parum pugnacem fore, quod à matre ſua non bellator, ſed imperator, fuerat genitus. Gloriabatur etiam Lyſander Lacedæmonius ſe ex Herculis genere natum, at quidam. Hercules omnia uirtute geſtabat, tu uero dolis & fraudibus. Cui Lyſander, Hercules pelle leonis tectus eſt, quæ cum mihi, ſatis non fuerit Vulpinam aſſuere neceſſe fuit. Idē Scipio cū in ſenatu, eius magnificentiam atque liberalitatem exprobraſſet Cato, pecuniæ ratio (reſpondit) à Quæſtoribus poſcenda eſt, ab imperatoribus uero rei Bellicæ. Philippo rurſum interroganti, cum Cheronam urbem opulentisſimā cepiſſet, eſſetq; cum alijs captiuis ad eum adductus Diogenes, quisnam eſſet, explorator reſpondit, inſatiabilis auiditatis tuæ, & Alexandro filio, Philoſopho cui-

dam Indiano, ni ad eum accederet minitanti, reſpondit ſi me necabis ab attrita iam & carie & ſenio carne, me liberabis. Idemq; Alexander Par*menioni, quippiam præter fidem, & decorum ſuadenti, facerem quidem ſi* Parmenio *eſſem.* Chilon *interrogatus adhuc, quid eſſet dificile,* Arcana *reticere (reſpondit) ocium recte diſponere, & iniurias tolerare: &* Diogenes *rurſum cuius proxime facta eſt mentio, qua hora eſſet prandendum, quando uult quisq; inquit, ſi diues eſt, ſi pauper cum poteſt.* Ariſtippus *uero quanti doceret, mille drachmis reſpondit, tum illo qui interrogarat exclamante, hui precium ingens & iniquum, tanti enim mancipium emere poßem. duo igitur (inquit* Ariſtippus*) mancipia habebis, & filium tuum, & quem emeris. & eo redeuntes unde diſceſſimus, quod in concilio (ſcituq; & an notatu dignū eſt) ſenior prius loqui debet, in* Ro*ta uero et in cauſis cōſulēdis iunior, iuxta illud, loquere maior natu, te ergo decet primū uerbū.*

De Lacu Benaci, Larij, Verbani, Seuini, Curtij, Regili, Paliſci, Thraſimeni, Veneti, & quare iſte ſic appelletur, Deq; palude Mæotida non nihil. Cap. VIII.

BEnacus Italiæ lacus eſt, qui ſui magnitudine tempeſtates marinas imitatur, Lariusq;

alpibus uicinus qui per ſexaginta tenditur millia deq; his Virgilianus uates alibi ſic.

An ne lacus tantos? te Lari maxime? teq;

Fluctibus el fremitu aſurges Benace marino.

Sed ad Benaci propoſitum ſcias, Claudium eo in loco dimicantem triginta hominum millia aliquando fudiſſe, ut uix dimidia pars remanſerit eorum, uulgoq; Garda appellatur, non procul à Verona ſitus, quem Mincius ex Alpibus proruens efficit, Larium uero qui & Cumanus quoque uocatus eſt, Abdua. ſed mirum uidetur ex Benaco piſces nutriri alibi non repertos, quos Accolæ uocant Carpiones. Eſt & Verbanus quem Ticinus generat. Et Seuinus Ollij filius. & Curtius ubi nunc eſt Roma à Q. Curtio dictus. forte quod ſe eo in loco, præcipitem dederit, equo inſiliens armatus. Vel quia Metius Curtius, ex ducibus Sabinorum unus in paludem ibidem exiſtentem, urgente Romanorum acie, ſeſe coniecerit. Aut quia locum fulgure ictum Curtius cos. ex ſenatus cõſulto, circum ſepi curauerit. Vtcunq; ſit apud hunc lacum ſcias, Galbam à militibus Othonis iugulatum fuiſſe, ac relictum uti erat, donec gregarius à frumentatione rediens, abiecto onere caput ei amputauit. Et quoniam capillo, præcaluitio arripere non poterat in gremium abdidit, mox inſerto per os pollice ad Othonem detulit. eſt & Regilus in agro Tuſculano, ubi ab

A. Poſthumio Dictatore Tuſculani etiam uicti fuerunt. Viſiq; Caſtor & Pollux Romanorum partium propugnatores, qui hoſtiles copias fuderunt penitus. Quiq; rurſum pro imperio Po. Ro. etiam uigilarunt, eo tempore, quo uiſi ſunt pariter ſudorem ſuum, equorumq; abluere; ex recenti pugna obita apud lacum Iuturnæ nimphæ, qui iuxta Numicum fluuium ſitus eſt. Verum ſciendum arbitor, apud Regilum etiam L. Tarquinium uictum fuiſſe, cum ad Ardeam militaſſet prius. Paliſcus eſt prope Alucum Simethi amnis craſſitudine lurida ſordidus, qui ſemper liuentibus ſpumis obatreſcit, quiq; ſtrepente coniugio ſtridulus argutum murmur exſibilat. Et Thraſymenus, in agro Peruſino à uicino monte ſic dictus, uel à Thraſumeno puero, quem Nimpham Ægidam rapuiſſe poetæ fabulantur. Adde quod hic cruentiſſimam Cos. C. Flaminio Romani cladem acceperunt. Qua audita Hieronem Siciliæ tyrannum trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei auriq; ducenta & quadraginta pondo, Vrbi muneri miſiſſe ferunt. adeoq; fuit cruenta, cum tribus integris horis, pugnatum eſſet, ut terremotus qui totas diruit urbes, montes tranſtulit, rupes diſcidit, & flumina denique retrorſum coegit, à nullo militum fuerit auditus. Eſt & ultimo Venetus, ob Venetes, ſeu Venonetes accolentes populos, ſic uocatus, quem fundit

Rhenus Galliæ fluuius Acroni etiam pater, qui ſine glacie & gelu,ſeu incongelabilis interpretatus eſt,quanquam Venetus aliter glacie adeo rigida obducatur ut immenſa etiam & plauſtra quantum uis grauia ferat.inter quos eſt nobiliſſima Germaniæ urbs Conſtantia ſita.Et palus denique Mæotida quæ hodie mare nigrum uocatur, circuitus paſſuum MCXLIIII. nuſquam octo cubitus altius conſiſtens.Hic à celebri facto Sicambri Alanos ſuperantes, Franci appellati ſunt.à Valentiniano Imperatore primo duri feroces et fortes,primaq; Gothorum manſio, apud iſtam paludem.& ſupraſcripti lacus, omnes publici ſunt ad priuatorum differentiam,quoniã(ut noſtri dicunt)ij ſi aquas ſupra uicini agrũ extenderint,non per hoc domino agri præiudicant, alias ſic, ſi publici fuerint.& quod annotatione longe magis eſt dignum, habe quicquid dictum ſit,quod lacus quoque pro carcere interdum ponitur,qui aliquando fuit ſuper terrã, aliquando ſub terra,& dicebatur inferior maxime in ſacris literis, iuxta illud,Poſuerunt me in lacu inferiori,in tenebroſis, & in umbra mortis. Alij multi ſunt Syriæ,Capadociæ,et Thraciæ,ſed paucula hæc guſtaſſe ſufficiat, non multa cupienti. quorum tamen unus ex his eſt, Cychros uocatus, ex quo non modo qui biberint, uerum qui lauerint etiam tantum, moriuntur.

Quod nullum uenenum eſt tam mortiferum ingenio quàm luxuria, De luxuria Luculli, Quod quandoq; plus habet quàm caſtitas. De luxu luxatisq; hominibus & membris, & quomodo eſt denique mater omnis impudicitiæ & laſciuiarum. Cap. IX.

BLandũ malum eſt luxuria, quod plus quàm cetera uitia lædit, imò quod nullum uenenum tam mortiferum eſt ingenio quàm ipſa impudicitia & omnium laſciuiarum mater, nec nõ auaritiæ etiam, ex qua poſtea erumpit audacia, peſte omnia magna euertentes imperia. Luxuriam quam gula nutrit, ſuilla carne deſignant ſacræ literæ, cum deus ab illa Iudæos abſtinere præcepiſſet, uſque adeo ut hac de re illos clementes appellet Poeta. & luxuriæ ſymbolum ſit ſus, in quẽ immundus ſpiritus quoque ingredi concupiſcit, carnemq; eiuſdem breuiter.

Et uetus indulget ſenibus clementia porcis.

Deſignatur Luxuria rurſum, lepra, quæ ipſius inſtinctu procedit. feruntq; hinc abſciſsionem uirilium, huic morbo ſalutem afferre, & turpitudinem noſtri appellant. tamq; deteſtabilis eſt, ut luxurioſi Idolatræ dicantur, & idolatria hæc caſtitate ſubuertatur. Et inde quod dicebat Pythagoras (ut in uita ipſius legitur) quod ignorantia animi, & infirmitas corporis, & rumor in ciui-

*tate,& diſcordia in domo,& ad propoſitum noſtrum luxuria uentris maxime cauenda eſt.& curandum ut quisq; non minus,temperatus ſit quàm iuſtus.*Et Anacharſis Scytha, *quod luxuria, lingua,uentre,& pudendis abſtinendum eſt. præſertim quia hominum hebetantur ingenia,franguntur q́; animi,& niſi penitudinem relinquit libido. Et quam turpis ac fœda ſit, turpisſimumq́; ea diffluere,*Sardanapali *error nobis oſtendit, quē in ſepulcro iusſiſſe ferunt, hoc ipſum incidi debere, ſiue inſcribi.*

Hæc *habui quæ edi, queq́; ex ſaturata libido, hauſit.*

Quod *quidem in bouis ne dum regis ſepulcro minime incriberetur.& ſi aliud luxurioſi ſymbolum uelis,tibi pro his columbos ſumas.*Qui *à priſcis* Titi *appellabantur, ex quo poeta pariter titos nobiles ideſt libidinoſos uocat,cum dicit,*

Ingentes *trepidare* Titos,*cum carmina lūbum*
Intrāt,*& tremulo ſcalpūtur ubi intima uerſu.*

Et *ſcias quod ſicut luxata membra & oſſa,dicuntur quæ à ſuis ſedibus atq; articulis exturbantur,ita luxurioſi appellantur illi, qui à ratione & uirtute extruduntur.& clarius luxata membra ideſt ſoluta.homines uero effœminati,ut* Sardanapalus *cuius paulo ante mentio facta eſt.*Sed *quod libido nunquam ſit rationi preponenda, neque utili atq; honeſto uoluptas,* Tomildis *reginæ*

exemplum declarat quod cum à nobis libro primo fuerit relatum, hic non repetendum, ſed ibi legendum eſſe duximus. Vtinamq; Meßalinæ Claudij Imperatoris coniugis inexplebilis libidinis feminæ, quæ non contenta domeſticorum iuuenum turba multiplici, quos die noctuq; ſemper admittebat, conditionem à publicis lenonibus ac ceperat, omnibus uulgo ſui corporis poteſtatem facere uelle, promptisſimamq; eſſe, queq; inter alias proſtitutas proſtabat, & turpitudinis etiã mercedem accipiebat, tale exemplum quale Tomildis legißemus. Luxuria maxima notatus eſt Lucullus, cum à Quiritibus diceretur, loquitur ut Cato, uiuit ut Lucullus. Sed nõ qualis, illa Meſſalinæ, uel Horatij Flacci nouisſime, quẽ ſpeculatum cubiculum habuiſſe ferũt, ibiq; diſpoſita ſcorta, ut quocunq; reſpiceret, ibi coitus imago ſibi referretur, ſed (quod probro dandum eſt minus) celebritate conuiuiorum, quæ adeo egregia erant, ut regis tametſi opulentisſimi, fortunam excedere uideretur. Verum dictu mirabile eſt, quod Luxuria quandoq; plus habeat in ſe quidquam, quàm caſtitas, ex quo (ut noſtri dicunt) ſenatoris filia, dignitatem non amittit, licet luxurioſe uiuat, in uxore ſecus. & ſi nubat plebeio idem erit. ſi uero liberto, matrimonium non ualebit, nec dignitatem amittet. Et notandum ultimo quod coitu comitialis morbus leuior eſt, auctoritate doctisſimi

uiri Hippocratis, quodq́; omni ætati luxuria tur pis eſt, ſenectuti uero fœdiſſima.

Quod licentia ex diuturno ocio contrahitur, quodq́; ſic ingenia torpent, Qui ſint qui ocio dent operam, quiq́; laboribus, & quomodo breuiter odioſi ſunt à ciuium omniumq́; hominum cœtu cohibendi penitus. Cap. X.

GYmnoſophiſtæ adeo ocium deteſtabantur, ut non modo ipſi temporis rationem redderent, uerum etiam adoleſcentes cogerent, ut prius quàm ædulia apponerentur menſis id neceſſario facerent, quidq́; boni didiciſſent à lucis ortu uſq; tunc planè oſtenderent. quod ſi agere neglexiſſent impranſi foras extrudebantur. pro certo habentes, ocium eſſe ſceleris miniſtrum, Apud ſardos uero iudicia fiebant aduerſus ignauiam, oportebatq́; pariter ocioſum rationem redderet unde uiueret. hincq́; uoce patria Ægyptij ochum Aſinum apellantes, ut illius animum ex bruti ignauia criminarentur. quæ antiqui hoſtis telum eſt, ſeu arma & compedes ad miſeras animas captiuandas, quæq́; prius beatas (ut ille ait) perdidit urbes. Nec ab re Diana (ut fabulantur poetæ) uenabatur in Syluis, huiuſce rei non ignara, ut à ſe libidinis pruritum amoueret. et certe quod formicarum apumq́; exemplo, non ocio ſed

negocio

negotio à nobis ſemper danda eſt opera. ex quo illud adoleſcentibus ſtultitia eſt, ſenibus crimen & communiter ciuitatis uenenum, iſtud uero ſtimulus quidam laudabilis, & calcar quo excitamur ad uirtutem ſemper ad laudem, et ad rerum præclare geſtarum gloriam denique. Imò quòd licentia ex ocio contrahitur. quodq; ipſius rationem reddere, longe eſt facilius quàm negocij; in ocio animus neſcit quid uelit. Interrogatusq; Chilon quid eſſet difficile, ocium inquit rectè diſponere. In ocio torpent ingenia; & nihil agendo (ut dicebat Cato) homines male agere diſcunt. quòd & bene poeta etiam expreſſit dicens,

Quæritis Ægiſtus cur nam ſit factus adulter;
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Sic eſt ocium militare, dum canunt, ut Athenienſes et Lacedæmones, icto fœdere, diu iacẽs haſta aranearum telis onuſta, inq; perniciẽ ſæpe (quod peius eſt) uertitur Ducis. Et ſi unum hominem ocioſum alere moleſtum eſt; totam uero domum moleſtius, profecto moleſtiſſimum erit alere exercitum. Turcæ delitias & ocium chriſtianorũ notas habentes, quotiens eſt cum eis ineunda pugna, cum porcis ſaginatis rem ſibi agendam eſſe dictitant. Thebani & Mileſii luxui & delitijs dant operam, contra uero Spartani armis. Quid quod Athenis erat lex, ocio conuictos capite puniri, Alimentaq; patri denegari, à quo non eſſet

ſilius aliqua arte ab eo inſtitutus, & ſi (ut dictum eſt prius) homines quotannis rationem redderent, quam artem profiteantur, ut lex Amaſis *iubebat à turpi ocio ad honeſtas actiones auocarentur*. Adde quod ferro ingenium ſimile eſt, *uſuq́; ſplendeſcit, in ocio uero (idem* Cato *teſtis eſt) rubigine conficitur, feracisſimumq́; uitiorum ſeminarium quiddam ocium. quiq́; ocioſi ſunt hac ratione à ciuium omniumq́; hominum cœtu, abſque dubio pellendi, ut* Apes *quæ inutiles, ab examine aluearibusq́; pellunt pariter, & uelut alienata membra à corpore, amputandi, quemadmodum medici faciunt, ne bona inficiant, & plus quod optimorum induſtriæ inuident ſemper, aliena appetunt, rebusq́; nouandis ſine intermisſione ſtudent.* Non *omittentes etiam quod qui in ocio uiuit ab equiſouibus non differt*. Quod *ocium in pace delicias alit, & omne (ut dictum eſt) flagitiorum genus, propter ocium mendicitas apud* Lacedæmonas *probro dabatur, nihilq́; turpius eſſe ducebāt* Lacones *ocio*. Et *eſt prouerbium breuiter admota manu fortunam inuocandam fore, quia non fauet numen pigris & ocioſis.* Ocium *fregit* M. Antonium *poſt uictoriam* Parthicam*, arma exoſus, ita ut amore* Cleopatræ *captus eidem pro libidinis precio, petenti* Romanū Imperium *ebrius* Imperator *promiſerit,* Patriæ*, nominis, togæ, & faſcium obli-*

tus penitus. Terra non ſciſſa ſterileſcit, aer uentis non agitatus corrumpitur, extinguiturq́; ſi folle non excitetur ignis, & putreſiunt denique ni moueantur aquæ, ſicq́; genuina uirtus ocio languescit & frangitur. appetendum tamen ſi honeſtum fuerit, ſic canente Vate,

Sic quoque mutatis, requieſcũt fœtibus arua,
Nec ulla interea eſt, inaratæ gratia terræ.

Et quia lætiorẽ ſegetẽ, uberioremq́; fructum producunt agri, ſi poſt frugum prouentũ eis ut fieri ſolet, reſpirãdi ſpatiũ, & uiriũ recolligendarum detur, alias exhauritur natiua fœcunditas, ſi citra intermiſſionem quotannis colantur arua, ſeminaq́; illis mandentur. Quod & in ſtudiis uidere etiam licet, quæ poſt ocium pariter & reſpirationem, agrorum inſtar fructus exuberantiores progenerant, ſed quia ſatis dictum eſt ſupra, ad aliud tamen, nunc ne ſtomachum moueamus eadem repetentes ſilentio ſunt prætereunda.

De modeſtia Cæſaris, Octauij Auguſti, Q. Fab. Maximi, Helij Pertinacis, Catonis, Claudij, Metelli Macedonici, Numidici, Scipionis, Socratis, Ageſilai, Ciceronis, & aliorum complurium, & quod eſt quaſi quidam ornatus uitæ. Cap. XI.

QVia Modeſtia mihi ſemper præcipua quædam in homine uirtus præ ceteris uiſa eſt, hoc loco aliqua dicere ſtatui, quæ commodum his qui uitam inſtituunt afferre poſſint, ut & ipſi modeſti ſint, & ita doceant alios, ut pro modeſtiæ ſymbolo ſumi poſſint, atque imitentur. Maxime quia nec aliud ſibi uult illud uulgatum Pauli apoſtoli, cum dicit, Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus, à Cæſare igitur incipientes, dicam illum modeſte locutum, in primis cũ adulatori ipſum regem appellanti, (L. enim Tarquinius, regno pulſus eſt. Sp. Caſſius, Sp. Melius, M. Manlius necati, adeo nomen regium Romanis erat odioſum) reſponderit, Cæſar ſum, non rex, & utinam ſicuti uerbo oſtenderat, ſic corde & opere effeciſſet, quia non ita miſere et infeliciter in ſenatum confoſſus à percuſſoribus fuiſſet. Auguſtus pariter ſe dominum appellari paſſus non eſt. (eo enim ludos ſpectante Mimi cuiuſdam uoce audita dicẽtis, ò Dominum æquum & bonum, manu uultuq; indecoras adulationes repreſſit.) nec ſerio nec ioco, hoc idemq; edicto publico cauit. Nec minor fuit modeſtia. Q. Fabij Max. (unus is erat qui cunctando rem reſtituerat) ex quo Minutium magiſtrum equitum, hominem ferocem, importunum, temerarium ſtudium auramq; exercitus quærentem, & Fabij facta ſemper contemnentem, ſocium impe-

iij, & in ipſa quoque dictatura (quod inauditum erat) æqualem ſibi fieri permiſit, rogabaturq; Hælius pertinax, ut uxorem ſuam Auguſtam uocaret, filium uero Cæſarem, at ipſe, ſufficit quod ego inuitus imperem reſpondit (fortunæ enim pila uocabatur) cum non merear, & certe ſumma laude digni uidentur hi ſuiq; ſimiles, quoniam arrogantia & faſtus uitari debent. Hinc Menedemus, multi nauigāt Athenas, ut philoſophentur, qui à principio uolunt ſapientes uocari, poſtea amatores ſapientiæ, deinde Rhetores, poſtremo idiotæ & ignorantes. ſed mirum audi, quod Cato Sardiniam ſortitus ſine Rheda ciuitatem circuiuit, uno tantum ſeruo comitatus, qui ueſtem & turribulum ferret. Quodq; Claudius Nero particeps gloriæ Liuij Salinatoris in Haſdrubale opprimendo, ipſum Salinatorem triumphantem, equo ſequi maluerit, quam triumpho, quem ei ſenatus æque decreuerat uti, & quod denique Metellus Macedonicus, inanem gloriam adeo contempſerit, ut uictoriæ ſuis manibus partæ pariter, non modo nō particeps eſſe uoluerit, uerum etiam omnem rerum geſtarum gloriam & famam, Mummio ignauiſſimo omnium homini tradiderit, exploratum habentes in Numidico etiam eueniſſe, qui ab exilio reuocatus, pari uultu ſemper fuit exul, & reſtitutus adeo animi ſui in ſecundis ſimul & aduerſis re-

bus moderationem oſtendit. Cumq; Scipioni de *patria optime merito, inuidi allatrarent ciues, ipſe ex urbe cedere maluit, quàm certando tumultus excitare.* Sicq; *uir ille clarus, cum eum ambitio à modeſtia non abduceret, animiq; moderatione communi ſaluti ac tranquillitati conſuluit. & præter hæc* Socrates *exclamare ſolebat, hoc unum ſcio quod nihil ſcio.* Summiſq; *efferre laudibus apud* Platonem Protagoram, *ſeq; omnium rerum inſcium, & rudem penitus dicere, ceteriq; omnes ſolum deum eſſe ſapientem. nam cum* Mileti *inuentam auream menſam* Apollo *iusſiſſet, ſapientisſimo dari, ait* Thales *ſolum deum ſapientem eſſe, eiq; dandam fore, exceptantes tamen* Heraclitum Epheſium, *qui adeo arrogans erat ut ſenior factus, ſe nihil ignorare affirmaret, neminem audiuiſſe, & à ſe ipſo didiciſſe omnia. & ad modeſtiæ propoſitum id quoque natum eſt, quod inter cetera* Ageſilaus, *quamuis rex eſſet, grauatus non fuerit ephoris obtemperare rem ſuperuacaneam imperantibus.* Dixeritq; *animi moderationem oſtẽdens* Cicero, *opus ſuum non eſſe tale alibi, ut in arce poni poſſet quaſi illa* Minerua Phidiæ, *& ſi tale fuiſſet tamen ut ex eadem officina, exiſſe tunc uideretur.* Periander Corinthius *etiam monebat, ut modeſti eſſemus, præciſe dicens ut* Paulus *ſupra,* Modeſtus *eſto.* Modeſte *agit condemnatus ſi nec de*

patria nec de legibus queratur, & ſi quis muneꝛa recuſarit, quaſi patria reddere non poſſit, ut Socrates Archelao regi. *& à noſtris quoque relatum eſt, principem ſua auctoritate legem condidiſſe. idq́; poſtea non ſibi aſcripſiſſe ſed ſenatui potius, & populo* Romano, *cum dicunt oratio in ſenatu recitata eſt. uulgatumq́; id ad idem maxime faciens ſe habet.* Sic *ama tanquam oſurus, ſic oderis tanquam amaturus, ideſt modeſte, quoniam extrema uitium habent.* Lycurgus *regnum recuſauit, idq́; pro animi moderatione, filio fratris detulit.* Conſulatumq́; *recuſauit, ex noſtris adhuc* Labeo, *& pontificatum* Lepidus. Nicias *nihil ſibi rerum bene geſtarum tribuebat ſed deorum benignitati & militum fortitudini.* Contentus Thraſibulus *pro magnis in rempublicã meritis corona honoris duabus oleaginis uirgulis facta, ne ſecum inuidiam ferret, centumq́; terræ iugeribus* Pitthacus *è ſeptẽ* Greciæ *ſapientibus unus, cum multo plura ei* Mytileni *obtuliſſent, dicens.* Nolite *rogo mihi uos dare quod multi inuideant, pluresq́; concupiſcant, hæc ſatis erunt meam animi æquitatem, & ueſtrã uoluntatem indicantia, & poſtremum nota eſt* Clementis I. Papæ IIII. *hiſtoria, qui cum ei à* Petro *ſedes demandata fuiſſet, animi moderatione* Linum *ac* Cletum *in tãto honore prætulit. &* Gotfridi Bononiæ *comitis primiq́; regis terræ*

ſancte qui licet regni titulum non abnuerit, noluit tamen coronam accipere, indignum arbitratus illic aureo Diademate *hominem uti, ubi rex regum* Chriſtus, *&* Dominus *dominantium, ſpineam pro humani generis redemptione tuliſſet.* Quid *(ad ſupradicta tamen redeuntes) quod* Traianus *apud* Agrippinam *Coloniam* Galliæ *inuitus* Imperium *aſſumpſit, quaſi nullus eo foret ineptior.* Adrianus, Veſpaſianus *& alij complures.* Triumphumq; *ſuſcipere recuſauit* M. Fab. *cos. à ſenatu ſibi oblatum in pugna* Veientum *&* Etruſcorum *occiſo* Manlio *cos. & maxime quia tanto reipublicæ detrimento etiam luctus debebatur potius, & certe finem facientes quod modeſtia, eſt quidam quaſi ornatus uitæ (ut inquit* Cicero) *qua arrogantiæ crimen effugiet quiſque ſi præſtantisſimorum hominum, quos ſupra retulimus exemplaria ſequatur, ab eiſque diſcat ſcientiam eſſe earum rerum quæ aguntur aut dicuntur loco ſuo collocandorum.* Quod *maxime feciſſe uidetur* Nicolas Robertus Guidala Bontuntinus *auditor meus, iuuenis ſanè lectisſimus omniumq; modeſtisſimus literarum eruditione et genere uitæ talis rurſum ut à bonis ac doctis omnibus certatim diligi mereatur. ſed ad propoſitum ſuccurrit priuſquam finiamus, etiam num, quod* Anthiſtenes *cum glorioſe* Rhetoricam *docuiſſet, audiſſetq; poſtea* Socratem, *dixit ad di-*

ſcipulos, Abite filij, & magiſtrum uobis quærite, magiſterio Socrati cedens. Quodq; idem ferè Scæuola noſter faciebat, qui pariter eundem conſulentes, ad Furium & Caſſellium remittebat, & lycidas Virgilianus,

Me quoque dicunt
Paſtores Vatem, ſed non ego credulus illis
Nã neq; adhuc Varro uideor, nec dicere Cinna,
Digna, ſed argutos inter ſtrepere Anſer olores.

Præ nimia modeſtia, pingebat uerbo, uſum nobilisſimum illum pictorem Apellem Coum ferũt, errataq; ex uulgi rumoribus corrigere ſolitum, picturasq; ſub pergula, tranſeuntibus ponere, ut iudicium uulgi ſciſcitaretur, arrogantiam uitans. Quod tamen alij non faciebant, maxime Parrhaſius, qui principem ſe artis eſſe dicebat. Qua modeſtia fuerit quoque uſus Ariſtoteles, in ſucceſſore ſibi deligendo, Theophraſto ſcilicet, cum uinum Leſbium atque Rhodium ſibi eſſet allatum nemini ignotum eſt. Summa etiam in Andrea Contareno Venetorum Duce. Qui (pro rep. enim præclarisſimas res geſſerat, terra mariq;, domi, & foris bello & pace, & maxime cum inter eos & Ianuenſes bellum immineret maximum & ardens) moriens nihil tumulo inſcribi uoluit, imò ſuis hoc ipſum nominatim demandauit, fieriq; omnino uetuit. Quod etiam ex noſtris Catonem Sacum iurecons. Papienſem feciſſe autu

mant, inq; ſuo nil aliud ſcriptum reliquiſſe, niſi quòd intus ibi ubi ſepultus eſt, reliquum hominis erat. Et breuiter (ut dicam quid ſentiam ego) mo deſtiam uera etiam eſt, quandoq; ſequi opinione alienam potius quàm ſuam ſi maxime fuerit rationabilis, ſic enim modeſti erimus, arrogantiamq; (ne dicam pertinaciam) deuitabimus.

Quod Magiſtratus ſunt honorãdi, Quot genera ſint Magiſtratuum, Qui ſummi, et qui denique deligi debeant, promeriti uideantur, & ſint. Cap. XII.

NOn modo leges et mores, ac inſtituta maiorum ab omnibus ſeruanda eſt; uerum etiam Magiſtratus urbium principes honorãdos, eisq; obtemperandum pariter, quos tanquam heroas, præſtantioris animi dedit nobis deus optimus maximus, egregie traditum eſt, ut ſub eorum imperio pie, ſanctéq; & tranquille uiuere mus. Imò quod ſine Magiſtratuum prudentia ac diligentia ciuitas eſſe non poſſet. Quodq; eligun tur etiam, ut omnium officiorum religione ob ſtringantur. igitur honorandi non erunt? Buturius enim ultimo affectus eſt ſupplicio; quia de uia non deceſſerat (ut minoris erat) Trib. Plebis in foro deambulanti. Paruitq; lictori Fabius cum filium, conſulem obuium habuiſſet, ex equo iuſſus

deſcendere,ipſumq́; magnopere collaudauit,quod Imperium Po.Ro. *non indecore retinuerit, nec patri etiam pepercerit.*Et *plus quod noſtri hac de re cæcum poſtulare prohibent.quia* Magiſtra*tum intueri non poteſt, ipſumq́; reuereri ut decet,his uerbis.*Cæcum utriſq; luminibus, orbatum Prætor repellit,quod inſignia Magiſtratus uidere & reuereri non poſsit.*& certe qui* Magi*ſtratum uenerari neſcit aut non curat, ſe facile in quodlibet facinus procurſurum arbitretur.& ad obedientie propoſitum alibi.* Q*ui non obedierit principi morte moriatur. ex quo eſt lex animata in terris. lex uero inuẽtio quædam et donũ dei,dogma ſapientum,correctio peccatorũ, et ciuitatis deniq; compoſitio, cui omnes homines decet obedire, propter multa & uaria,& ſecundum eam uiuere.* V*erum ſciendum eſt,plures fore* Magi*ſtratuum gradus.* Q*uidam enim ſuper illuſtres ſunt,ut* Papa *&* Imperator*, quamuis aliqui gradum ipſos non facere, dixerint,ſed quod faciant opinio crebrior eſt.* Alij *illuſtres,ut præfectus* Vrbis*,* Magi*ſter militum &* Rex,*qui tamen diuerſis quandoq; honoratur titulis.*Q*uidam ſpectabiles,qualis eſt proconſul, prefectus* Augu*ſtalis,*Dux*,*Comes*,*Vicarius *præfecti prætorio.*Re*ferendarij ſacri palatij,et procurator* Fi*ſci.* No*nnulli* Clari*sſimi, præſertim præſes,& ſi ſit etiam generalis titulus et nomen*

ad omnes dignitates,et ad idem Archiepiſcopus. Poſtremo infimi iiq́; ſunt Municipales, Defenſores ciuitatum,& inter eccleſiaſticos plebani. Vel dicamus etiam,quod legitimi ſint,naturales, ex conſuetudine,per genus, & Tyrannici. legitimus ſcilicet ſi à ciuibus ſecundum legem eligatur, Naturalis,quod mares non modo inter homines,uerum inter animalia quoque fœminis præſint.ex conſuetudine,ut pædagogi pueris, magiſter uero diſcipulis imperent.per Genus, quemadmodum Lacedæmoniorum & Macedonum reges dominabantur. Et Tyrannicus denique ſi coactis per uim à ciuibus inuitis etiam regnarit. Propriumq́; Magiſtratûs munus, (ut eò reuertamur unde diſceſsimus) intelligere ſe perſonam Ciuitatis gerere,debereq́; eius dignitatem ſuſtinere & decus,ſeruare leges et iura deſcribere,eaq́; ſuæ fidei commiſſa quoque,meminiſſe. Imò dicunt noſtri rurſum,quod publicum ius in Magiſtratibus conſiſtit,usq́; adeo ut iniuria Magiſtratui facta publica ſit pariter,Accuſatio publica, & quandoq́; etiam morte uindicanda. Sūmus etiam Athenis erat Archon Carthaginenſium uero ſuffes. apud Campanos Mediſcuticus, Romanorum Dictator,& Triumuiratus etiam Venetorum.Nō ambitioſis,& qui ſeſe ingerunt,ac inhiant honoribus,quique eos uelut mercatores licitantur, ſed præſtantibus uiris deq́; republica optime me

ritis conferendus. nanq; ſi uitioſus eſt, cum pre-cibus impetratur, multo uitioſior erit, his modis acquiſitus. Fieri enim non poteſt, ut qui per lar-gitionem honores adipiſcuntur, inde quæſtum etiam facere non erubeſcant. Maxime quia impe-rito homine, nihil eſt iniuſtius, qui nil aliud niſi quod ipſe facit rectum putat. Et licet Deum opti*mum maximum nobis* Magiſtratus *dediſſe, tan-quã heroas affirmauerimus ſupra, adde nũc uere non aliorum opus eſſe. quodq; alibi non ab re ſcri-ptum inuenitur,* Dij *eſtis.* Imò (Homerica *etiam ſententia eſt) quod uiri boni à deo ſceptra impe-riaq; ſuſcipiunt. quodq;* Romuli *lege* Magiſtra*-tum inire nemo olim poterat niſi deo auctore, ipſumq; uoluiſſe amplius per auſpicia confirma-ri. eſt quoque naturitate quadam eligendus,* Po*-puli* Romani *exemplo, qui bis ad idem (quod me-moriæ proditum eſt) ſuffragium ferebant, centu-riatis comitijs ſcilicet, atque curiatis, ut ſi popu-lum ipſum beneficij ſui pœnituiſſet, reprehenden-di poteſtas eſſet.* Et *quoniam celeritas etiam pœ-nitentiæ eſt comes, & reprehenſionem habet. non omittentes tandem poſtquam fuerit electus, præ-ter cetera maxime hoc ipſum in eo diſiderari, quod neminem audiat, ſed quod ius, ratio, & iuſti-cia dictat, æque agat, &* Iouis *Cretenſis ſimula-crum (ferunt enim nullis auribus, fingi ſolitum) imitetur, proq; ſymbolo ſeu ſcopo habebat ſẽper,*

Quod in medico debet eſſe multarum rerum uſus, Quomodo ſeu quot modis ægritudinem cognoſcat. Quod medicinæ ſpecies inueniantur, & an ſit denique ars uel dignitas. Cap XIII.

NOn ab re Æſculapiũ Apollinis filium, barbatum finxit antiquitas, quoniã in medico multarum rerum uſus eſſe debet, ille enim Philolaus etiam cognominatus eſt, ideſt populi amicus, quod mortuos ab inferis reuocaret. & Archiatros, ideſt princeps medicorum. à Chirone nutritus. ab Hepio medicinam edoctus, & tandẽ à Ioue quia imbrobus, fulmine ictus. Sed ad medici propoſitum, ipſum alijs hominibus præſtare cenſuit Homerus rerum humanarum uates. Imò quod quandoq; diuinos meruit honores. quodq́; eos Hippocrati omnium doctiſſimo Græcia tribuit, quos Herculi prius monſtra tollenti detulerat, & quod etiam in Deorum numero relatus eſt. Honorandus ut in ſacris legitur literis, propter neceſſitatem, & quia illum creauit altiſſimus. deq́; terra medicinam, quam uir prudens nõ abhorrebit. ex quo illius caput exaltabit, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Quamuis aliqui ex noſtris, reprehenſione potius quàm laude digni, non erubuerint dicere, hoc idemq́; mandare literis, medicum carnifici ſimilem eſſe, peſtem in patria, non facile ad ſacerdotium pro-

mouendum, & minus ad cardinalatum, obſtetrici comparandum, quod Demoſthenes Athenis *exilio medicos mulcta affecit, medicinamq́; artem eſſe, non dignitatẽ & ſcientiam, quod iudæus ſeruiq́; utriuſque ſexus, eam exercent, & alia longe plura non ſcribenda ſtomachum certe (ut uerum fatear) mouentia.* Quia *(quod iam dictum eſt) ſanctiſſima res eſt medicina ortum habens à* Deo *ſanctior medicus, qui nec inde abſque ratione etiam magiſter appellatus eſt, ut pote hominem in eſſe adſeruans. ex quo nullum eſt morborum genus, tam peſtilens, cui nõ ſint à medico ſaluberrima excogitata remedia.* Is *enim aquas, herbas, ſuccos, lapides, flores, radices, & id genus plura, quæ in rerum natura eſſe reperiuntur, ad hominis ualetudinem induſtrius contulit & confert in dies.* Medicus *inquam (mitto* Apollinem, Chironem, Æſculapium, *&* Hippocratem *quorum paulo ante mentionem fecimus) fuit* Olim Democritus, Archigenes, Nicomachus, Heraclides, Aſclepiades, Cryſippus, Dioſcorides, Galenus, Auicenna, Casſius, Aruntius, *&* Celſus, *qui quantum doctrina & arte polluerint, præclariſſima ſi non aliorum* Dioſcoridis *ſaltem,* Galeni, Auicennæ, *&* Celſi, *prædictorum teſtantur monumenta, & alij ſanè multi qui floruerunt per tempora, magnoq́; in precio fuerunt ſemper, & qui (ne longius exempla repetamus) florent*

impræſentiarum, præſertim præceteris Trin*cauela,*Fracantian*us,*Baſſianus Landus*,& Craſſus quibus ne dum* Italia*, ſed* Europa *tota poteſt ſine controuerſia gloriari. hicq́; facile antiquis conferendi*. Dictu *ad idem mirabile eſt, quod* Chriſtum*,*Saluatorem *noſtrum* Magiſtrum *appellamus pariter. &* Archiatrum*, hoc eſt (ut* Hieronymus *inquit) medicum chriſtianorum*. Qui *etiam cum humanam ſumpſiſſet carnem, omnes male habentes uarijs languoribus & tormentis comprehenſos, quiq́; et* Dæmonia *habebant, & lunaticos & paralyticos curabat*. Medicina *hinc uirum naturæ opus, oſtendentem, non ut in pictura umbras inanes, & uanas corporum imagines, quibus oblectemur, ſed res ſolidas ut obſtupeſcamus potius, artemq́; liberalem fore dicimus, & uerisſimum eſt. nemini cedentem, quam ad corporis ſanitatem* Auctore Deo *optimo maximo (ut dictum fuit) humana excogitauit induſtria. quamq́; diuidimus in ſpecies quinq́;,* Pharmaceu*ticam,*Chyrurgicam*,*Diæreticam*, in eam quæ ex celeri quadam diſcretione morbo ſuccurrit, & in adiutricem denique*. Vel *& aliter in logicen,* Empyricem*, &* Methodicem*, quæ rationalis eſt, ab experientia & inter media. Seu (ut alij inquiunt) in empyricem quæ experimentis conſtat, iatralepticem, quæ conſtat unguentis, &* Clini*cem quæ uictu, & uenenis corporibus medetur.*

&

& quamuis experientia uideamus quotidie, maximam malorum partem à medicis proficiſci, nõ tamen hoc ipſum à bonis methodicis, peritisq́; malum prouenire credimus; ſed quia imperiti ſunt potius, uel negligentes, aut quia ambitione quæſtu'ue corrumpuntur: indigni hoc nomine, quod dei rurſum eſt nomen, cognoſcentes inde ægritudinem, ex pulſu, ex urina, & lotio, ac accidentibus, quemadmodum nos ex coniecturis quò in ſtatu cauſæ eſſe dicantur, ut medelam adhibentes poſtea ſalutem ægrotantes conſequantur, rati ultimo medicos medicinamq́; in humana uita; res adeo utiles & neceſſarias, ut ſole potius, igne, aere, & aqua, quàm his carendum ſit.

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE

LIBER NONVS.

QVID SIT MENDACIVM, AN *ſit ſufficiens indicium ad torturam, an teſtis mentiendo committat falſum, cui ſit ſimilis mendax, Quale mendacij ſymbolum, aliaq́; in materia multa.* Cap. I.

ADEO *deteſtabile quiddam, ac execrandum mendacium eſt, ut fur potius (quod noſtri dicunt) quam mendax aßiduus eligendus ſit, cui tamẽ eſt ſimilis. ſubijcientes (Auguſtino teſte) nil aliud niſi falſæ uocis prolationem quandam eſſe, cum intentione fallendi uerbo aut facto. Mendax, Sycophanta, ſeu halophanta dicitur, diaboli filius, & Ixionis comes, qui (uoluitur enim ſeq́; ſequitur & fugit) quo magis ueritati inniti uelle uidetur eo magis ab ea recedit, mendacium referat, uanitatemq́; oſtendit. Mendacijq́; Symbolum rota, cui idem perpetuo affixus eſt. nec aliud periurium quam mendacium iureiurando firmatum. fugiendum ſa*

ne, cum ſeruile uitium ſit, quam maxime, ut per ſe faciunt qui filios tribus potiſſimũ inſtituunt, equitare ſcilicet, arcu ſagittas excutere, & puru loqui, ſeu mendacium non dicere. Imò quod id Garamantes, quoque capite puniebant. Summaq; laude, digni erant Veteres, qui duorum præcipue curam habebant pariter, primum ut omnia in foro compoſite & citra tumultum fierẽt, deinde ut abſtinerent à mendacijs, non modo uendentes uerum etiam ementes, & quamuis mendacium non ſit ſufficiens indicium ad Torturam, teſtis tamen falſum committit mentiendo, ueritatem prodit, nec impunitus eſſe debet, & nimirum hinc dixit Salomon, Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias, & Paulus, Deponentes mẽdacium, loquimini ueritatem, & Ioannes, foris canes, & uenefici, & impudici, ac idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. & ad idem noſtri quod ratione mendacij, dolus in parte præſumitur, quod libertus dum arrogatur ſi obreptitie celauerit conditionem ſuam non efficitur legitimus. & ſi quæ per calumniam aſſeuerauerit ſe eſſe præ-

gnantem ut in poſſeſſionem mittatur, quod efficietur infamis. Nec *ſecus in fideiuſſore, qui ſi ſe talem eſſe negauerit, & de mendacio conuincatur, perdit* Beneficium *ceſſionis.* Idem*q́; in ſocio, & in hærede negante rem fore hæreditariam, & in marito & ſimilibus.* Et *quod* Vaſallus *mendax perdit feudum.* Quod*q́; carere impetratis debet penitus, ſi quis fuerit talis, & mendacium dixerit.* Et *breuiter quia* Ananias *&* Saphyra *mendacio mortui ſunt.* Suſannæ*q́; teſtes lapidati, non aliud etiam ſibi fœnoris mendaces acquirentes, niſi quod uera loquentibus, haud eſt credendum, ueritatem loqui ſemper diſcamus, quod* Pythagoræ *quoque præceptum ſanctiſſimum erat ex quo nihil eſt quod hominem deo proximiorem faciat magis ac magis quàm* Veritatem *loqui, eam ſummopere diligere præter cetera, et præ oculis non aliud ſemper habere; quandoquidem ipſe etiam (ut aiunt) uia, ueritas eſt & uita.*

Mori *neceſſe eſt, igitur mors minime eſt timenda, quando immatura, matura, & acerba dicatur,* Quod *ſint nuncij mortis.* Quomodo *probetur, & quando denique quis in articulo mortis conſtitutus dicatur.* Cap. II.

QVoniã *(ut eſt in prouerbio) omnia orta occidunt, & omnia aucta ſeneſcunt, &*

generata breuiter corrumpuntur, fatali quadam neceſsitate dicendum eſt pariter, omnibus quaſi lata ſententia moriendum eſſe; ita ut hac de re, mors etiam timenda ſit. Imò *(quod aiunt & uerum eſt) ſtultum fore ac à ratione alienum penitus, timere quod euitare nullo modo poſſumus. quodq; uiri fortis eſt, mortem contemnere, & quod uita hæc noſtra, potius mors appellanda eſt; acerba alias infantium; immatura adoleſcentium; & matura denique ac naturalis ſenum. ipſiusq; nuncij tres, caſus, infirmitas & ſenectus. Caſus mortem latentem nunciat, infirmitas apparentem, ſenectus uero præſentem. Caſus rurſum dubia determinat, infirmitas grauia, & ſenectus denique certa.* Dicuntq; *noſtri etiam, quod eſt caſus fortuitus mors, non mala, ſed bona, quia dei diſpoſitione aduenit, qua etiam animus multo eſt diuinior quàm ante, affirmaruntq; alij amplius, morientem aliquando aliqua ex parte diuinaſſe, præſertim* Poſsidonium Rhodium, *ſexq; nominaſſe, & ſubinde dixiſſe etiam quis eorum primus, quis ſecundus, & deinceps quis moriturus eſſet.* Sed *obſeruandum reor quamuis reſpectu morientis ſit uitæ priuatio, quod tamen actus quo fit ipſa priuatio, cadit in ſenſum teſtis, & mors directo probari poterit, etiam per unius dictum, tametſi præſumptio ſit aliquem uiuere, non tamen ut plene probet, ſed ut hanc præſum-*

ptionem tollat, & modus probandi erit per famam, uel per teſtes deponentes, quod coniuncti mortuum luxerunt. quodq; cum pro mortuo habuerunt. Vel ſi dixerint uidiſſe ipſum mori: & quia ſæpe euenit nec parum dubitationis habet ad idem, quando quis in mortis articulo conſtitutus dicatur, ſciendum eſt, uerbum hoc latam interpretationem habere, ut quis etiam uiuus eo in ſtatu eſſe dicatur, quoniam quotidie morimur, demitur nobis ſemper aliqua pars, dilabimurq; uelut aqua. ſed hoc ipſum ſanè eſt aliter intelligendum, in articulo mortis conſtitutum quem, quando mortis periculum inſtaret & iam moriturus eſſet. aut ratione aduerſæ ualetudinis, uel quia in manus latronum incidiſſet, & modo ſimili ut infra etiam dicemus capite ſequenti, & ad mortis propoſitum redeuntes nunc, uulgatum illud à noſtris fertur, quod ſoluit omnia, qua ratione homo mortuus homo non eſt, nihilq; in perſonam ipſius principiari poteſt, & ſi decedat mulier eius hæredes legi matrimonij ſubiecti non erunt, quia ipſius nullæ quoque ſunt reliquiæ. Siq; actor, cum eo pariter petitio morietur quæ eſt perſonalis, reusq; ſuam intentionem de iure conſequetur, ex quo abſoluitur. Lazariq; ultimo determinabitur quæſtio, quod uxorem ſuſcitatus olim non recuperarit ex hoc. Sed ad idem nota adhuc quod homo mortuus nihil ua

let, niſi detur humi. quodq́; mortuo legari non poteſt. & quod deniq; percutiens mortuum, non ſit irregularis. & ſi de doctore quæſtio ſit rurſum; quod mortuus non eſt doctor, nec lugendus lege XII. *tab. nullaq́; optabilior mors quam illa quæ cum laude contingit, ſicuti nec ulla ſpecioſior uictoria; quàm illa quæ patriæ quæritur. & pulcherrime dicebat* Epaminondas *naſci aliquem ſi cum gloria moriatur, iuxta illud,* Secu*rus moritur, qui ſcit ſe morte renaſci. & quia nihil dictum eſt de eo qui uulneratus moritur, an ex uulnere mortuus præſumatur.* Dic *ex coniecturis hoc ipſum detegi poſſe.* Si *breuitas temporis ſit in conſideratione, perſeuerantia uomitus & febris; uulneris latitudo & profunditas, inſtrumenti qualitas, continuus'ue dolor uulnerati, quæ ad condemnationem tendunt uulnerantis.* Si *uero poſt longum temporis interuallum deceſſiſſet, accidentia receſſiſſent, mala uulnerati fuiſſet cuſtodia, medici iudicium quod fuiſſet extra periculum, & natura quidem ipſius fortis ac robuſta, tunc aliud dicendum foret, ipſum non ex uulnere mortuum eſſe, & conſequenter uulnerantem abſoluendum.* Adijcientes *inſuper mortuos, more maiorum olim ſepulturæ tradi ſolitos in morientium ædibus, ut larium domeſticorumq́; deorum loco, uenerarentur. & ut finiamus ſicuti cœpimus ſtatutum eſſe omnibus homi-*

nibus ſemel mori, facit poeticum illud,

Singula quid referã, nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniiq́; bonis, quis eſt homo igitur qui uiuat, qui uiſurus non ſit mortem? unde & bene Auguſtinus, *Hoc plane ſcio quod mortales ſumus, quodq́; uelimus aut nolimus moriemur omnes. frangitur marmor, molleſcit adamas, arte manſueſcunt feræ, nihil eſt quod mortem delinias inexorabilem, etiam ſi uis Herculea ſit, Fatum acerbum non deuitat. ſed fœlix qui bene moritur, non ignarus, uiuendi principium, moriẽdi initium fore, quodq́; tunc mors non erit (ut adhuc dictum fuit ſupra) ſed uita, qua è tenebris ad lucem, à ſeruitute ad libertatem, ab exilio ad patriam, à tempeſtate & procellis, ad ſerenitatem & portum fœlicitatis æternæ denique tranſibimus.*

Mare Adriaticum et Tyrrhenum unde dicatur, Quod mare habeat à dextra Italia, quodue à læua, De mari inter Angliam & Hircaniam neſcio quid, Quare mortuum mare, dicatur, & quomodo uocetur hodie, & quod intrans mare denique conſtitutus dicitur in articulo mortis. Cap. III.

MAre Adriaticum quod hodie Venetum appellamus, ab Adria Thuſcorum Co-

lonia dictum eſt, quæ & Atria etiam uocatur, & cuius ſitus non longe abeſt ab ora Padi. Imò *quod ab ea non modo Adriaticum, ſed & Atheſis præterlabens fluuius, quoque Atrianus deriuatur. Tyrrhenum uero ferunt à quodam nomen accepiſſe, qui Tyrrhenus uocabatur pariter, quiqueſorte proiecta à fratre, diſcēdens in Italiā uenit, et certum locum de ſuo nomine Tyrrheniam quoque uoluit appellari. Idq; ſuperum eſt, iſtud uero, (ut inquit Cicero) inferum, quod etiam Thuſcum latinè dicitur. Italia tamen quæ à dextra Adriaticum habet, à læua ſibi Mediterraneum adiunxit. Quod quidem rurſus Africam ab Europa dirimit, tantæ molis ut quãdoque fuerit Apollo interrogatus, num terra eſſet maior. eſt & Hircanum Caſpium, quod in Aſia reperitur, quodq; omni ex parte continenti circunſcribitur, nec ob id in aliud effunditur mare, uel ab alio ſuſtentatur. Item & congelatum, quod Antarctico polo ſubeſt. hoc nomine, quia ob ſolis diſtantiam et radios æſtiuo tempore oblique incidētes gelu obdureſcit. Deq; eo loquentes quod eſt inter Angliam & Hircaniam, habemus adeo ſæuum eſſe ſemper ut illud, niſi certis diebus traijcere haud liceat. eſt et mortuum huiuſmodi quidem, ut nihil in eo, uiuere posſit, olim Gulphus Baiarum Italiæ ad Miſeni caput prope multum ubi nunc eſt Neapolis. ſeu forte Syriæ lacus eſt,*

Aſſaltis, ea in prouincia; quæ iam dudum pentapolis quoque dicta fuit. & nigrum inde; ſed tamen ad idem ſciendum eſt. nõ aliud fuiſſe olim iſtud, quam paludem illam mæotidem; omnium maximam diſcludentem regios Scythas à Sarmatis, quam hodie ſinum S. Ioannis, *& mare* Tanais *fluuij, appellant.* Mitto Rubrum, *quod* Perſicum *etiam nuncupant. & quod uehementer ceruleum eſſe tradunt. à rege* Eritra, *ideſt rubro, ſic denominatum,* Oceanum *quod uniuerſam circuit terram, alias enim per* Granatam*;* Mauritaniamq́; *ingreditur, magnis auguſtijs, quas fræ tum* Herculeum, *&* Sybillæ *ſtrictum uocant. huiuſque naturã inueſtigare, nixus eſt* Vlpius Traianus. *Item* Maius *dictum ſic hodie, quod olim* Euxinus *erat. & eoum, unde* Grues *ad nos ueniũt, aliaq́; multa ſanè non referenda quia longum eſſet.* Verum *præter hæc habe, quod maris principatum,* Carthaginenſes *olim, omnium conceſſione,* Partum *à maioribus ſuis, & quaſi hæreditario quodam iure, ſibi relictum tenebant. quodq́; à mari & piſcibus, exemplaria rerum ferè omnium deſumpta fuere.* Vnde *fit ut non ab re homines, ingenio prædití, qui artificijs exercentur,* Neptuni *filij dicantur & cyclopes.* Mare *etiam cuncta mortalium mala prorſus, abluit, uſque adeo ut* Euripides *ex maris aqua ſumpto remedio, priſtinæ* Valetudini *ſit reſtitutus. &*

ſi dixerimus quoque pro populo Chriſtiano, per aquam baptiſmi regenerato. quandoque etiam capi, imò & pro ipſamet eccleſia, non errabo, nec non pro præſenti ſæculo. quod (ut Mare*) undiq; aquis plenum eſt, fluctuat undis, laboribus ſudat, uentis impellitur, tempeſtatibus obruitur, & periculis denique affluit ſemper, & qui mare ingreditur (dicunt noſtri) in articulo mortis conſtituitur.* Iſq; *protinus ad mortem accedit, iuxta illud,*

N*am prope tã letũ, quàm prope cernit aquam.* I*pſum huiuſmodi potenti & truci æquiparantes, ideo fugiendum ut improbitatis magiſtrum.* Q*ua de re* Dalmatæ *etiam prouerbio utuntur.* Hier *morè. ideſt mare poteſt, hier enim quoniam, morè uero poteſt, interpretatur.* Vel *ad idem dicamus, alia ratione quàm eccleſiam, maris ſimilitudinem uulgus habere, ex quo ſuapte natura planum ac ſtabile eſſe uidetur, ſed cum uentis agitatur fit procelloſum ſtatim, nec multitudo aliter, quæ fortunam ſequitur, inuidiæq; uento concitatur, uel à factioſis inſtigatur ciuibus.*

Quod Memoria eſt theſaurus & cuſtos omniũ rerum, cui asſimiletur, Quod obliuio non nunquam aliquibus fuit gratior, quod aliqua inſtituuntur plerunque in memoriam uirorum fortium, & qui hac animi dote maxime polluerint. Cap. IIII.

M*Emoria (ut inquit philoſophus) eſt arca omnium ſpecierum, ſenſibilium, ſicuti intellectus omnium ſpecierum intelligibilium, Theſaurus mentis humanæ, & cuſtos rerum, cui non ſententiæ modo, uerum etiam uerba commendantur. Si exerceatur tamen. Cuius artem primus protulit Simonides, & hæc artificioſa appellatur, qua plurimum ualuit Carneades & Septius Metrodorus. Sed naturalis melior et firmior. Quaſi cubiculum enim uidetur, ibi quicquid boni eſt diſciplinarum, reponi debet. Quod niſi feciſſemus nos, nec tot tantaq́; , qualiacunq; tamen ſint, maxime Collectanea, Enchiridia, Dialogos, conſilia, enarrationes ſane in multas pandectarum et Codicis leges, obſeruationes, Problemata, Apophthegmata, De modis ſoluendi contraria, de locis topicis, Enarrationes in omnium Decretalium partes, & alia longe plura, in quibus maiorem ſtudiorum noſtrorum partem contriuimus, ſcribere potuiſſemus. ex quo ad propoſitum fabulantur poetæ, eam fore Muſarũ alumnam, et ma-*

trem. Maxima olim in Hortenſio & Lucullo, & tanta in Themiſtocle, ut pollicenti cuidam ſe artem traditurum (is enim fuit Symonides, cuius paulo ſupra eſt facta mentio) dixerit, Mallem obliuionis artem diſcere. nam multa memoro, quæ nollem; obliuiſci non poßum quæ uellem. Neque *minor in Mithridate, qui linguarum duarum & uiginti nationum, peritiam habebat. Inq́; Cyro Perſarum rege, ſingulatim milites ſuos, totumq́; multarum gentium exercitum, nominibus proprijs compellante. ex Craſſo denique, ferunt enim ipſum pariter, linguarum græcarum quinque differentias in Aſia didiciſſe. & Porcium latronem in recenſendis hiſtorijs, ijsdem non inferiorem fuiſſe.* Verum *eſt memoriam minus ualere, qui ingenio ſunt acutiores. quodq́; labilis eſt.* Ex quo *inde memoriale etiam conficitur, ſeu confici ſolet. & quod* Thraces *adeo obliuioſi ſunt, (mitto muſcam & Serpentem) ut præter numerum triũ aut quatuor, ultro progredi neſciant.* Memoria *rurſum* Adrianus *polluit.* Cineas, & Scipio, & *decedentes e uita illuſtres, (ut alij etiam quos paulo ante meminimus) recte factorum poſt ſe memoriam reliquerunt immortalem. ſed miſſa hæc facientes, dicamus etiam, quod* Memoriæ *antiqui aurem conſecrabant, quodq́; hac de re, eam pueris conſecrabant ut facti memores eſſent iuxta illud poetæ,*

Cum canerem reges, & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit paſtorem, Tytire pingues;
Paſcere oportet oues, deductum dicere carmen.
Et *quod memoriæ mandare ac literis res graues & præclaras, magni intereſt ad decus & laudem* Ciuitatis. Imò *quod in memoriam ſtatuæ eriguntur, extruuntur urbes, inſtituuntur ludi, & certamina, præmia condonantur, aliaq́; fiunt huiuſmodi, memoriæ dicata.* Sic Mithridates Platoni *ſtatuam dicauit, cui etiam inſcripſerat*, Mithridates Rhodobati *filius, muſis* Platonis *imaginem dicat.* Aliã Demoſtheni *erexit populus* Athenienſis. Et Frontoni M. Antonius. Sic Iulio *Cæſari qui* Triumpho *pontico, titulo gloriabatur. ueni, uidi, uici,* Roma *in* Quirini Templo, *his uerbis,* Imperatori inuicto. Et *Iuſtiniano* Byzantium, *alia manu orbem geſtantem, in cuius uertice crucis ſignum erat, quo diuino auſpicio quoque imperium* Orbis *adeptum fuiſſe ſignificaretur.* Canopus *deinde* Ægypti *urbs pulcherrima, nomen traxit à* Canopo Amicleo *Gubernatore nauis* Menelai *illic ſepulto, qui deuicta* Troia *in* Ægyptum *ui uentorum delatus, cum* Helena *gubernatorem, ictu ſerpentis, quem hæmoroida uocant, amiſit, in memoriam cuius urbem condidit, relictis illis qui ad nauigandum erant inutiles.* Pari *modo* Antonius & Cleopatra, *iuxta* Actium Epyri *promontorium ab* Augusto *ſuperati fue-*

runt,iſq; in uictoriæ memoriam urbem extruxit, quam Nicopolim appellauit. Alexandriniſq; pepercit in gratiam Arrij amici,ne'ue Alexandri conditoris nomen,& urbis præſtantiam ſimul, quodammodo aboleret.Certamina uero celebratisſima Olympica in Olympij Iouis memoriam; Pythia,quæ Apollini ſacra erant; Iſthmia quæ Palemoni, & in memoriam Archemoris rurſum Nemea.indicantq; carmina hæc.

Quatuor exercet certamina græcia ſacra;
Mortali duo ſunt,& duo ſacra Deo.
Sũt Iouis et Phœbi,atq; Palemonis Archemoriq;,
Pinum oleam atque Apium,malaq; uictor habet.

Et ludi Romæ præceptoris ſcenici, libero patri ob liberatam ab Æſculapio peſtilentia patriam. Et Neptuno ac Cereri Circenſes. quod in litore fluminis,alteroq; latere poſitis enſibus, agitarentur. Et in Tauri Marathonij memoriam, quem uicerat Theſeus,Moneta ſub Bouis ſigno,excuſa. Non omittentes ultimo,præceptoribus olim Romæ quoque Aprilis die XIIII. Natalem Mineruæ celebrari ſolitum. Minerualq; etiam eiſdem, præceptoribus ſolui conſueuiſſe.

Qui montes altisſimi ſint, Qui laudabiles, De Pyrenæis nonnihil,De Palatino,Cælio,Lyce, Argeo,& alijs,& quomodo nobiles ſolebant etiã olim in hiſce locis ſepeliri. Cap. V.

MOntes præ ceteris altisſimi sũt, Gordei Armeniæ maioris, qui perpetua teguntur niue. feruntq; hoc fuiſſe ubi poſt diluuium Noe, arca reſedit. Aliȷ Ararath dici hunc aiunt conſueuiſſeq; indigenas eius reliquias peregrinis oſtendere. eſt & Apenninus Liguriæ, & Argeus in Galatia, tam altus ut perpetuis pruinis rigeat pariter, Acroceraunij altisſimi inter Armeniam, & hyberiam, ſic dicti, quod fulminibus infeſtentur ſæpe, quoniam ceraunos græce latine fulmen dicitur. Nec alia ratione Pyrenei, Galliã ab Hiſpania ſeparantes, à crebris ſcilicet fulminum ignibus, quia ſic græce πῦρ ignis dicitur. uel & melius ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ideſt ab igne, quod priſcis temporibus relicto, à paſtoribus igne, terræ ſuperficies tota exarſerit. Et ut Apenninus Italiam, ſic Thermopilæ mediam dirimũt Græciam, ubi Leonidas cõtra tot Perſarum millia, adiutus etiam à Locris, obſtitit, donec Barbaris compluribus cæſis, lapſi cedendo Lacedæmones et Locrenſes omnes ceciderunt. Eximiæ altitudinis autem Acrocorinthus inter Ægeum mare & ſinum Corinthium poſitus. Et quia Apennini mentionem fecimus, ſciendum eſt, quoſdam uoluiſſe ab Hannibale pœno, penninum denominatũ fuiſſe, à quo primũ peruium factum putant, ſed opinio uerior eſt, Apenninum uocari, quod (ut diximus) Italiam in partes diuidat, à dextriſq; mare, inferum

ſpectet

ſpectet,Tyrrhenum ſcilicet,à ſiniſtris uero ſupe-rum.hoc eſt Adriaticum, et in Siculum fretum uſque progrediatur.ſunt & Alpes (mitto coctias nunc montis Genebre culmina uocant) excelſis cacuminibus diſtinctæ quæ Galliam togatam à comata diuidunt.Et Caucaſus,et Parnaſus,& utroque eminentior Olympus.Quos omnes tamen Cato Verrucas appellabat. Et de his (hæc enim erunt ſatis)alias.Interim habe Palatinum quoque fore,ubi primum aiunt Romam extructam, inq; eo reges, deinde conſules , poſtea imperatores maiori ex parte,ſedem habuiſſe . Sic dictum quod pallantes illuc uenerint aborigines. Celium à Cælio duce Thuſco, qui Romulo auxilium contra Latinum regem tulit. Auentinum ab auibus, ſeu ab auentino albano ibi ſepulto,uel ab aduentu hominum,cum ibi Latinorum templum Dianæ fuerit conſtitutum,hosq; præcipuos.Et laudabiles Idalius,Otris,Menalus, Liceus, Taurus, & Cithorius.Quorum unus Veneri ſacer eſt, alter ouium plenus,ille pinetis abundat,hic Buxo. Imò quod Cithorius loco Veneto clauis eſt rurſum,à quo uolunt Paphlagonios in Italiam cum Antenore tranſuectos,appellatos fuiſſe Venetos.eſt et Mons Liciæ igniuomus,quem Chimeram uocant, quique continuis diebus ac noctibus , quondam ut Ætna, ignē emittit.In cuius cacumine ferunt, habitare Leones , in medio capras paſcere. in ra-

dicibus ſerpentes naſci & gliſcere. & ad ſupradicta redeuntes dicunt noſtri, quod mons huiuſmodi eſt, ut altitudinem ſignificet ad differentiã collium & uallium, quodq; collis mediocriter excellat. Et nil aliud ſit uallis, quàm locus, cũ montibus tum collibus, circunſeptus. Scituq; dignum, nobiles olim, ſub montibus ſepulchro condi ſolitos, iuxta illud,

Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo; Dicitur. & cum ubique montes non eſſent, pyramides, ingenteſq; columnas erectas fuiſſe Diogeni, philoſopho omnium præſtantisſimo, Traiano, Antonino, Cæſari, Imperatoribus, & alijs. ex quo fit ut non ab re hinc etiam, ſi Atlantis mons (adeo teres eſt & excelſus) ab indigenis columna cœli appellatus dictusq; eſt, & ſimulacra ædium columnas ſuſtinentia, Atlantes. nimirumq; ſit ſi à montibus ad pyramides & columnas, Veteres diuerterunt. In quibus etiam fœdera, leges, proſcriptioneſq; ſcribi ſolebant, ut omnibus innoteſcerent, & in memoriam uirorum fortium quoque poni aliquo in loco, ut (præ ceteris) Hercules, qui maioris Africæ parte peragrata, ad Oceanum, qui eſt ad Gades, peruenit, ibiq; ab utraque continentis parte (hiſtoria nota eſt) columnas poſuit, colũnæq; Herculis appellatæ fuerũt, et Caroli V. Cæſaris ſymbolũ his uerbis circũquaq; inſcriptis, Plus ultra.

Quod Muſica nihil eſt laudabilius, Quodq́; nulla ſine muſica diſciplina perfecta eſſe poteſt, imò quòd animalia etiam arte hac delectantur, quæ triplex eſt, & quod multi deniqueſenio confecti muſicæ operam dederunt. Cap. VI.

IN Colophone ac faſtigio artium præ ceteris locari ſolet muſica qua certe nihil eſt laudabilius, & cuius ſigna ob id ueteres deorum ſtatuis appendebant, utq́; conciliati quaſi nobiſcum uerſarentur. Imò quod Apollinē pinxerunt olim, in medijs muſis, uniuerſitatem omnem cithara temperantem. Ad quam Clinias quoque uir ſanè non incelebris properabat ſtatim, quòties animo turbabatur quacunque cauſa. Muſica Damon, Demodocus, & Ariſtoxenus, maxime claruerunt, ſummusq́; canendi artifex fuit Hermogenes. & dictu mirum quod Cretes adhuc dimicarent ad citharam; ad tybias Lacedæmonij, neque fata præliorum aggrederentur, niſi prius muſis litaſſent. Triplex quæ fit ore, manu & flatu. Dorica rurſum, Lycia, Phrygia, & Beotica, non modo muſica dicitur, ſed harmonia etiam & modulatio: ex numeris, uocibus, & modis conſtans. Quam ſibi ſociam etiam aſciuit poeſis, ut cantu quoque cithara, et tybiarum modulis, agreſtes ac rudes homines olim ad uirtutem, communitatemq́; uitæ & officiorum inter ſe, uicisſitu-

concillet tonantem, animos iam excitatos ſedet, certamen acuat, ſeditiones cohibeat, ebrios ac lymphaticos liberet, peſtem expellat, & ſi dixerim diuinam iram carmine etiam placari, & precibus, non errabo. & licet dictum haud ſit addi nunc tamen poteſt, in parua auicula Luſcinia, perfectam muſicæ ſcientiam eſſe uerno tempore continuis quindecim diebus concinnantem. Ad lyram leges, decretaq́; publica, quibus uiuimus, quandoque recitata etiam fuiſſe, conuiuiorumq́; ſimul eſſe ornamentum quiddam, ac contra, ignominioſum, non poſſe oblato in ſympoſio organo ludere. Quod myrtus Themiſtocli datus, ſatis oſtendit, mortuos cantu ad tumulum deferri; Apes in Aluearia tinnitu cymbali condi, Martem quantumuis durum ac ferreum relictis armis & prælijs, muſicæ operam dediſſe. Nec ſecus Achillem græcorum fortiſſimum rapta ſibi etiam ab Agamemnone Briſeida, & Socratem iam ſenio confectũ denique, ut tantis ſuæ doctrinæ diuitijs, muſicæ rationis adderet elementum, ex quibus planè ridendi ſunt qui in ius uocabant muſicos, quod cum lyræ chordas congrue aptarent, animi mores tamen haberent inconcinnos. quiq́; dixerunt fornicariam quandam habere pruriginem. Artemq́; eſſe non uiri ſobrij, & probi, ſed ocioſi & iocantis. Anthiſtenes enim cum Iſmeniam tibicinem audiſſet, homo nequam eſt

inquit, non enim ſi probus eſſet, tibicen foret. & Pallas tybiam fregit, quam aſpernati ſunt quoque Scipio Æmilianus & Cato, tanquam à Romanis moribus alienam. Nec minus probro datum Auguſto & Neroni, quod eam auidius inſectarentur. inuentamq́; ad illudendos ac fallendos homines, & non modo inutilem, ſed etiam nocuam, & uirorum fortium animos effœminantem. Quandoquidem laxamentum ſit (ut alibi diximus) & honeſtum quidem laborum noſtrorum, omnino appetendum, quo uiuidiores uegetioresq́;, ad ſtudia reuertamur, eaq́; honeſta aliqua uoluptate compenſentur. Tanto in precio olim etiamnum ut non putaretur quis, liberaliter eruditus niſi cantu & fidibus, uoluerit iuſſeritq́; idem Socrates, ingenuos adoleſcentes hac arte erudiri, non quidem (ut dicebatur) ad laſciuiæ incitamentum, ſed ad animi motus, ſub regula quadam rationeq́; moderandos. Imò quod Plato ipſe quo nihil maius habuit Græcia ciuili uiro quem politicum uocat, omnino neceſſariam eſſe aſtruit, exiſtimoq́; ego uerisſimum, quandoquidem nihil ſine muſica fiat, & qui aliter ſentit caueat, quod iam dudum Thamiræ euenit, quem ut arrogantem Poetæ fingunt, cum de Harmonia muſas prouocaſſet oculis captum, & muſicam dedidiciſſe, ne ſibi hoc idem contingat pariter.

Quod Muſa mulieris eſt nomen & fructus. Quot ſint muſæ, Quæ ipſarum nomina, unde dictæ ſint, Quomodo pingi debeant, Quod non ſunt prouocandæ, & quæ pars diei denique muſis ſit gratior. Cap. VII.

Qvamuis muſam latine cantilenam ſiue muſicam ſignificare dicamus, iuxta uulgatum illud poetæ,

Paſtorum Muſas Damonis & Alpheſibœi.

Fuſius infra, attamen mulieris quoque eſt nomen, & fructus pariter, quem tangi uetuit Deus optimus maximus, ne'ue Adam primus ille protoplaſtus omnium parens, ex illo comederet quicquam. Muſarumq́; memoriã matrem, (ut Æſchilus ſic dicens ait) literarum autem compoſitio, memoriam produxit omnium opificem, muſarum matrem, & Iouem patrem, quos poetis muſicæq́; præeſſe poetæ ipſi finxerunt, & nomina ad propoſitum, Adæ fructum linquentes, (quod omnes ſciunt) Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpſicore, Erato, Polymnia, Vrania, & Calliope. ex orbibus demum confictæ à Poetis. Quos maxime Homerum, Ouidium, Virgilium, Heſiodum, Sapho, Pindarum, Muſæum & Orpheum, diuino quodam ſpiritu afflarunt penitus. feruntq́; Thamiram cum haſce nimis arroganter ad canendum prouocaſſet, oculis captum ſtatim & muſi-

buſq; diſtincta. Euterpe Muſices inſtrumenta doceat, librum Melpomene eiuſdem annotatum ſigni. Terpſicore pueros puellas'ue, ante ipſã ſaltantes habeat, geſtum imperantis oſtendens. Erato adoleſcentulos maſculum & fœminam ſcilicet utrinque media teneat, ſubarratione anuli (quod coniugij ſignum eſt) coniungat. Polymnia ſuccincta ligones ſeminandiq; uaſa diſponat, manu ſpicas uuarumq; racemos baiulans. Vrania Aſtrolabium teneat, cœlumq; ſupra caput ſtellatum contempletur. & Calliope tandem coronam ferat lauream, tribus compacta uultibus, quod hominum, heroum, atque Deorum naturas diſſerat, Alij aliter ſic eas deliniant carmine.

Clio geſta canens, tranſactis tempora reddit,
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia,
Dulciloquis calamos, Euterpe flatibus implet,
Melpomene Tragico proclamat mœſta boatu,
Dulcia Terpſicore citharis modulamina miſcet,
Erato amore cãtans cumq; plectris erato ſaltat,
Rhetoricos dictat Polymnia muſa colores,
Vrania canit cœlos & ſydera tangens,
Carmina Calliope, libris heroica mandat.

In Phedro Cicadas olim Muſas fuiſſe teſtatur etiam Plato. Alij loquacium & blacteronum ſymbolum eſſe potius aiunt, & rectius ex eo. Neuius quaſi Cicada totum argutatur diem. Et ſi dixerim præter hæc poſtremum Auroram Mu-

ſis gratiſſimam eſſe (quod experientia ipſa docet) non errabo. Diuitiasq; longe magis, quod eximiæ paupertatis oſores ſint, nec læte alias eſſe poſſint. Et Herculis ſocias denique. Quibus Romani olim communem ſtatuerunt aram, quod ille Euandrum literas docuerit. Scituq; dignum eſt, quod olim in ſcholis pingi ſolebant, ceu ſtudiorum præſides. ex quo Diogenes auditorium neſcio cuius ingreſſus, cum uideret muſas multas diſcipulos autem paucos, dicit præceptori, cum dijs multos habes diſcipulos, ideſt dijs fauentibus, ex ambiguo ſermone, iocatus. Cetera (quando quidem libri pleni ſunt) pro tuo tibi arbitrio ab his mutuabis. interim ne nos optemus, deſtituant, ne ue illarum gratiſſimum hoſpicium aſpernati nunquam, nobiſcum iraſcantur.

Quot Sybillæ eſſe dicantur, An participes diuinorum conſiliorum & præſciæ fuerint, Quæ ipſarum nomina, quæque Vaticinia, & de libris Sibyllinis aliqua. Cap. VIII.

Licet Muſæ ſint nouem ut paulo ſupra dictum eſt, Sibyllæ tamen (quod memoriæ prodiderunt Veteres) decem fuerunt. Perſica, Libyca, Delphica, Cumea, Erithrea, Samia, Cumana, Helleſpontica, Phrygia, & Tyburtina, quas etiam Entheas uocabant. omnes unum præ-

dicantes Deum, et inde ſic dictæ, quod diuina nouerint conſilia, unde Maro,

Magnam cui mentem animumq́;,
Delius inſpirat uates aperitq́; futura.

A' Sibyllis libri quoq; Sibyllini, ſcripti fuerunt, Tarquino ſuperbo regi, allati & in Capitolio aſſeruati, donec Syllæ Dictatoris tempore, incendio abſuptum fuiſſet. præcipuum hoc non omittentes, quamuis omnes Vaticinio etiam, Chriſtum prædixerint his uerbis, Signetur Dominus in orbem terrarum, gremiumq́ uirginis ſalus erit gentium. ecce ueniet dies & illuminabit Dominus denſa tenebrarum, ſoluetur nexus Synagogæ, deſinent labia hominum, uidebunt regem uiuentium, & tenebit illum in gremio uirgo Domina gentium, & regnabit in miſericordia. Naſcetur Propheta abſq; matris coitu, ex uirgine eius.

Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Ecce ueniet Diues & naſcetur de paupercula.

Naſcetur Chriſtus in Bethlehem. Annunciabitur in Nazareth. ô fælix mater, cuius ubera illlum lactabunt. *Et alijs pluribus, quod tamen duumuiri Sacrorum, ab eodem Tarquino inſtituti olim fuerunt. qui ſoli ſacros earundem inſpicerent libros, & Sibyllina carmi-*

Quod omnia ſub ſole fluctuant ſemper, mutantur, nec ſtatum perpetuo retinent eundem, præſertim mores Italici, qui ſæpius quàm faciat Chamæleon uariantur, Deq; multiplici hominum in feras Metaphoſi. Cap. IX.

SI omnia enarranda forent in præſentia, quæ uerbum hoc μεταμόρφωσις ſonant profecto eſſet etiam hic totus Naſo, Apuleius Madaurenſis, uel Io. Boccacius Certaldenſis explanandus, ea de re, quædam tantum ne ſtomachum etiam multiloquio moueamus lectori, quæ propoſitum innuit Epitoma, eiq́; conueniant dicemus. Et præſertim cū adhuc ſibi nil aliud uelit, quàm mutationem ſignificare. & Metamorphoſis exponatur, ideſt tranſmutatio, id præſtare ſcilicet nobis, quod omnia ſub ſole fluctuant ſemper, nec eundem ſtatum retinent unquam. quodq́; regna omnia imperiaq́; mutantur, & à gente in gentem deniquc transferuntur. Nam quis Troiano ſanguine cretus (alia mittentes) bello repetit ſedes uetuſtas? Quis Didoni propinquus obtemperat uoto illius, quod à poeta deſcriptum eſt his uerbis.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Adeo rerum omnium humanæq; fortunæ uiciſſitudo eſt. Et qui ſæpe uictores fuerunt, aliquando uincuntur, quique uincuntur imperata uincentium facere coguntur. Proh dolor quod etiam ho

die immaniſſimæ Turcarũ genti, ſubiecta eſt Macedonia, quæ olim tamen duobus præclariſſimis regibus, Philippo & Alexandro erat clara & inclyta. Aſſyriorum cõcidit regnum, una cum potentiſſima Niniuitarum urbe. Babyloniorumq́; ad nihilum redactum eſt. Imperiũ uero Chaldæorum, quod latiſſime in orbe terrarum patebat translatũ in Perſas, Perſæ finem acceperunt. Hieruſalem iacet, Tyri faſtus abolitus, deleta Carthago, & ferè tota interijt Roma, ubi olim Seruius Tullius etiam è ſerua natus, poſt Tarquinium cæſum, regnum obtinuit. Conſulq́; creatus eſt, Lentulus, prius tamen repetundarum crimine accuſatus. & Ventidius à Pompeio Stabone alias cum matre captus, qui ſibi uictum ægre tũc quæritabat. factus poſtea bello ciuili, non uulgaris amicus Cæſaris. Imò quod primus omnium quoque de Parthis triumphauit. Contra Perſes eo enim uicto, à Paulo Æmilio, iunior eius filius faber fit. aperitq́; ludum Dionyſius Siciliæ tyrannus, regno pulſus. Sicq́; uariat fortuna uices, modo tollit in altum, & modo complexos imperioſa premit. Nec ab re Marius dum exularet, dumq́; ſederet in ruinis Carthaginis, adhuc eiuſdem fortunæ ludum contemplans, ſe ipſum excidio tantæ urbis ſolabatur. uereq́; poterat cum Poeta dicere,

Quos tibi ludos fortuna facis?

Monebatq́; Panetius auditorem ſuum, & familiarẽ Africanum, ut equos propter crebras contentiones prœliorum ferocitate exultantes, domitoribus traderet, ut his facilius uteretur, indicans homines ſecundis rebus, efferatos ſibiq́; præſidentes, tanquam in gyrum rationis uti oportere, ut conſpiciant rerum humanarum imbecillitatem, uarietatemq́; fortunæ. ſed rurſum audi Alcibiadis exemplum, forma, diuitijs, nobilitate, imperioq́; præſtantis, quod in exilium actus, uenditisq́; bonis, ad inopiam redactus eſt. & Syphacis Numidarum regis qui à Scipione uictus Romã delatus eſt pariter, à Lælio uinctus & catenatus, quiq́; tamen primis floruit temporibus. Mitto quod ab Æſopo Phrygio interrogatus quidam, quid faceret Iuppiter, reſponderit excelſos deprimere, & depreſſos extollere hoc ipſo humanarum rerum (ut dictum eſt) uicisſitudinem ſignificans. usq; adeo ut iterum ſic exclamare liceat,

Heu mihi nulla fides, nulla conſtantia rebus;
Res ipſæ quid ſint mobilitate docent,
Res hominum atque homines, leuis alea uerſat in horas,
Et uenit à ſummo, ſumma ruina gradu,
Has ludit fortuna uices, regesq́; ſuperbos;
Aut ſeruos humiles non ſinit eſſe diu.

Mithridates etiam præter hæc Ponti rex, om-

tuq́; alieno multi uterentur, quo maiori fortaſſis uenerationi ſeu terrori eſſent hominibus, maxime Hercules, *exuuio* Leonis *tectus, ut alios ſileamus, qui (mitto quod* Heroica *uirtute rerumq́; geſtarum gloria fuerit præſtans) in deorum numerum etiam relatus eſt. nec absq; ratione hinc, per eũ* Sol *ſignificatur, perq́; duodecim ſigna totidem, eiuſdem certamina. qui rurſum maioris* Africæ *parte peragrata, prius oceanũ qui eſt ad* Gades*, peruenit; ibiq́;, (quod etiam ipſius æmulatione peregit* Carolus. V. Imp. *& plus ultra) quaſi laborum ſuorum tunc finis ultimus eſſet, columnas poſuit.*

Quod neceſsitas legem non habet, Quotuplex *ſit,* Quale *ſymbolum ipſius,* Quod *ne deus quidem neceſsitati reluctatur, & quod denique (ut noſtri dicunt) lex ſuccurrit magis facienti actũ ex neceſsitate, quàm ex uoluntate.* Cap. X.

N*Eceſsitas (ut noſtri dicunt) legem non habet, ferijs caret, nulliq́; legi ſubiecta eſt.* Imò *&* Cæſar Metello *obſiſtenti, ne pecunias ex ærario tolleret, ac leges id fieri uetantes proferenti, non idem armorum ac legum eſſe tempus reſpondit. ideſt neceſsitatem legibus præeſſe & dominari. quodq́; eidem nec deus ipſe reluctatur, dicens,* Cuius *ueſtrum aſinus aut bos, in puteum*

cadet, & non continuo extrahet illum die ſabbati? & ſi urgeat inutilis eſt pudor, facitq; licitum quod alias foret illicitum, ita ut etiam res mea ſequeſtrata (adhuc dicunt noſtri) uendi posſit, ſi non habeam unde aliter uiuam, & breuiter eſt omni arte efficacior, adhibetq; non modo uſitata præſidia, uerum etiam noua excogitat. & quamuis rurſum antiquisſimum omnium ſit Deus, *pulcherrimum mundus, maximum locus, uelocisſimum mens, ſapientisſimum tempus, fortisſimum tamen eſt necesſitas.* Fatalis, *naturalis, & induſtrialis,* Fatalis *ſi quis in latrones incidiſſet, caſu, naturalis in infirmitate, induſtrialis ſi debitum contraxit, uel delictum commiſit.* Seruitq; *etiam ad quæſtionem, ſi teſtator dixiſſet, ſubſtitutione non obſtante, bona ſua alienari pro necesſitatibus poſſe.* Id *pro abſoluto habentes, quod in quacunque prohibitione, cum adhuc ſit ingens telum, quanquã generali, necesſitatis actus, ſemper uidebitur exceptus. & plus quod exponitur alibi, necesſitas, ideſt ius gẽtium, quod per hominũ necesſitatem inductũ eſt.* Dicitur *quoque magiſtra ueritatis. eiq; multi magis obediunt quàm uerbis. eſt & præciſa, cauſatiua, abſoluta coacta, & conditionalis. & conſecutiua etiã reperitur, & quædã ex parte perſonæ, quæ non cadit in principe, uerum ſi ex parte rei fuerit, emendatione indigens ſecus.* Ne-

ceſſitatis ſymbolum eſt Caſtor, qui ſibi dentibus (ne à uenatoribus capiatur) teſtes præcidit, ob id ſe expeti ſciens, quia medicinis adhibentur. Verum præter hæc ultimo ſciẽdum eſt, adeo hæc omnia in materia efficacia fore, ut dicamus hinc quoque, legem magis facienti actum ex neceſſitate ſuccurrere, quàm facienti ex uoluntate, quod loco ſuo, nos alias ſatis in collectaneis docuimus. adijcientes nunc tamen quod in dubio hac ratione, quid neceſſario potius factum præſumetur, quàm uoluntarie, ut (ſicuti dictum eſt) magis facienti ſuccurratur, quàm ſi uoluntarie is feciſſet, quodq; non ſuccurritur ei qui ſe in neceſſitatem coniecit, ei uero quem coegit neceſſitas ſic, & pro declaratione quod actus neceſſarius dicitur, quando cauſa proxima eſt, & neceſſitas tunc cauſata à legis diſpoſitione.

Quid ſit nobilitas, An ex genere paterno uel materno procedat, Quæ ſolida & uera ſit, Quotuplex, & an nobiles ueniant appellatione populi. Cap. XI.

Nobilitas nil aliud eſt quàm opinio à populi ſtultitia inducta, quæ ſæpenumero latrocinijs etiam quæritur. & hoc idem maxime, quia omnes ex eiſdem cõſtamus elementis, omnium idem pater Deus optimus maximus, uſque

adeo ut cuiuſque natalem contemnere ſit deum naſcendi auctorem reprehendere. Vel (ut noſtri dicunt) nobilitatem deſcribamus, quod qualitas ſit per habentem principatum illata, qua à plebeo nobilis dignoſcitur, ex paterno inde poſtea genere procedens non materno. Sed ſolida & uera eſt nobilitas, quæ à uirtute naſcitur, quæq; abſque imaginibus huiuſmodi eſt. Laudatur enim Scipio, qui quamuis omnibus & fortunæ & corporis bonis eſſet ornatus, nunquam tamen oculis ciuium, nebulas iſtas natalium opum offundebat, quibus multi ſtudent illuſtres fieri & magnifici, ſed ſola animi uirtute nitebatur, & recte uerum (utcunque ſit) puto, quibus bene naſci contingit, his turpe eſſe generi, moribus non reſpondere. quaſi nobilitas ipſa, ipſis nobilibus neceſſitatem quandam imponat (quod idem eſt) ne à maiorum ſuorum probitate degenerēt. Quibus uero male, ut humilibus, his curam eſſe debere impenſius, ut quod ſors inuidit, morum elegantia & literarum eruditione penſent. ex quo fit etiã cũ nobilitatis ſpecies ſint quatuor, harumq; tres à maioribus proueniant, ſi clari, ſi principes, uel fama & exiſtimatione præſtantes fuiſſent, quarta uero ſi ipſemet animi magnitudine excellat, quod hæc eſt omnium maxima & præcipua, nobilitati generis ſemper præferenda. Vnde Cicero, Satius eſt enim me meis rebus ge-

ſtis florere, quàm maiorum opinione niti, & ita uiuere ut ſim poſteris meis nobilitatis initium & uirtutis exemplum. Quod & bene etiam cecinit poeta ſic,

Tota licet ueteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica uirtus.

Nec aliter dicebat Adrianus Imperator, *niſi hoc ipſum filio ſemper, inutiliter regnat qui naſcitur rex, & non promereatur, principatumq́; uirtuti fore debitum, & meritis non ſanguini.* Imò *quod iam factum eſt trito ſermone prouerbium, non loci aut generis nobilitate, ſed uirtute quenquam ſibi gratiam comparare.* Haud omittentes *etiam, ſicuti his modis acquiritur, ita uitijs perdi facile. & quod ſcientia illuſtres ac nobiles efficiantur homines undique conſtat, prodeſſeq́; aliquem nobilem eſſe in multis, quoniam (ut noſtri rurſum aiunt) mitius punitur quàm ignobilis, nec poteſt actione de dolo conueniri, eſt immunis à collectis. ſatisfitq́; ſtatuto ſi ei pro carcere aſſignetur tota ciuitas. eſt uerum quod in clericis promouendis, nobilitas defectum literaturæ non ſupplet, prodeſt etiam quia nobilis ad ciuitatis regimen eligitur, ei feudum conceditur, & quod canonicus communiter eccleſiæ cathedralis eſſe poſſit. Sed (multi enim ſunt quos pudet ignobilitatis, eosq́; ignobiles eſſe, & obſcuro loco natos, ut* Cicero *ex* Arpini *uiculo, nouus*

homo Romæ, qui ex Tarquinio tamen ſcribit originem ducere, nec non Euander & Arcades (ut alios ſileamus) ſe ante lunam fuiſſe prædicantes, quiq; lunatis calceis ſenatores utebantur, ad repræſentandam hanc originem uetuſtatis) quomodo probabitur nobilitas? Dic fama probari, & ſi ab altero de duobus de electione tractantibus allegaretur, ſcias adhuc, quod nobilitatis ratio habenda non eßet, ex quo Petri fabri filio ſucceſſor quærendus eſt, non Auguſto nobilitatis factus. Verum quæritur & ultimo, num populi appellatione ueniant nobiles, & reſpondetur quod ſic, Tamen (quod ſcitu dignum eſt) Rex Robertus olim Neapoli dominus, duo tantum ſedilia nobilia appellabat, Capuæ, & Nidi ſcribensq; à tergo ſic dicebat, Nobilibus uiris Capuanæ ſedis et Nidi ceterisq; de populo groſſo, fidelibus noſtris &c. alia multo plura ſanè excribere potuißẽ, ſed quia ad ſtomachũ uſque, duo illi illuſtres iureccon. Curtilius & Tiraquellus multa ſcripſerunt, ad quos, tanquam ad ſiluam pro tuo arbitrio recurrere poteris, tranſeo.

Quo modo multi ignobiles, obſcuroq; loco nati, ad ſummos maximosq; honores euecti fuerunt, inq; amplisſimum dignitatis gradum collocati, Quis terræ filius dicatur, Quiq; de lapide emptus. Cap. XII.

SI Petrus Chriſti Vicarius fuit, ſiq́; ei dedit olim claues regni cœlorum, dicens, quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris, ſolutum pariter, à retibus euocatus. Si Amos propheta, Dauid & Saul reges, illi Paſtores, iſte Aſinarius, quid mirũ quod Socrates aliquãdo (ut memoriæ proditum eſt) Sophroniſci marmorarij, & Phanaretæ obſtetricis filius, nõ modo hominũ omniũ conſenſu, uerum Apollinis oraculo quoq; (primus enim philoſophiam è cœlo euocauit) ſapiẽtisſimus fuerit iudicatus. Imò quod multi priuſquam ſe ad philoſophiæ ocia contuliſſet, opinantur ipſum ſtatuarum artificem fuiße, muſasq́; ſculpſiſſe amplius, in Athenarum arce ueſtitas. M. Cato ſimiliter Tuſculi natus eſt, & obſcuro quidem genere. Nec aliter Arpini Cicero, & tamen uirtutes innumerabiles ſanè eos poſteritati commendarunt. Notaq́; Geneſis Pythagoræ Mneſarchi annulorum ſculptoris filij, qui quaſi ſapientiæ tamen terreſtre Oraculum quoddam dictus appellatus'ue eſt. Sic Pyrrho Helienſis principio pictor obſcurus & pauper. Sic Eumenes cuius pater uehiculis uictum quæritabat, in amplisſimum dignitatis gradum collocati. Vixq́; habuit Demoſthenes unde præceptoribus mercedem ſolueret bonis à tutoribus diremptis ferè omnibus, cũ pater rurſum Cultellarius nomine Machero-

pius ei hæreditatem ſatis locupletem reliquiſſet, & nihilominus in clariſſimum euaſit orato- rem, & ut Græciæ libertatem tueretur. Marius *quoque* Mario Fulciniaq; *pauperrimis, & me- canicis parentibus ortus totiens conſul & trium phator, præ ceteris à populo* Romano, *tertius ur bis conditor appellatur, & quamuis ad idem* L. Tatius Ruffus *infima eſſet natalium humilitate, militari tamen induſtria cõſulatum meruit.* Idq; *etiam* P. Alphenus *Varus noſter*, *qui* Cremonæ *natus priuſquam iuri operam dediſſet, ſub* Seruio *Sutrinam exercuit, et in cœlum relatus eſt (quod longe mirum magis uidetur)* Hercules ex adulte *ra natus.* Inq; *nothorum gymnaſio (quod* Athe *nis* Cynoſarges *appellabant) alitus* Bartolus *no- ſter tantus uir tamen nothus* Io. Andreæ, Gra- *tianus*, Romulus, Iudas *patriarcha &* Salomon, *quos* Lycurgus *ciuitatis filios appellabat, nos au tem uulgo conceptos.* Iuſtinianus *noſter, obſcu- ro loco & genere natus eſt pariter, à* Deo *tamen optimo maximo ad principatus faſtigium euec- ctus.* Sic Iuſtinus *ignobilis, qui* Anaſtaſio Dico- *ro ſucceſſit magnus* Arrianorum *aduerſarius.* Sic Gordius Midæ *pater.* Sic Probus *ab* Auguſto, XXXI. *patre ruſtico, & hortorũ cultore geni tus.* Sic Diocletianus Dalmata *Scribæ filius.* Sic Bion *liberti filius, qui ſuccidam uendebat & lar dum.* Theopraſtus *Fullonis*, Menſarij Diogenes,

Æſchines uero uendentis lucanicas, cuius nomen erat Charinus. Nec *alia ratione* Pila *uocabatur* Pertinax, *in* Lyguria *natus, ipſe quoque* (*ut* Bica) *libertino patre.* Ne'ue *longius exempla repetamus, obſcuro genere orti ſunt* Sixtus *primus,* & Nicolaus V. *ille paſtore, iſte medico parentibus, quorum uirtutibus tamen uitæ integritate* & *moribus, ad pontificatus apicem olim uocati fuerunt,* & *ſic quanquam genere fuerint humiles* & *abiecti, clari tamen nobiles* & *illuſtres fuerunt, animi dotibus, literarum eruditione,* & (*ut diximus*) *elegantia morum.* Quid *quod* Io. XXII. *quoque patrem ueteramentarium fuiſſe ac* Benedicti XI. Taruiſini *nobilium adoleſcentulorum didaſcalum* Venetijs *educatum non nulli aſtruunt.* Alijq; *multi quos referre longum eſſet non admodum claro ſanguine nati, qui tamen ſua uirtute, ſibi nobilitatem pepererunt, euectiq; etiam* (*ut dictum eſt pariter*) *fuerunt ad ſummos,* & *maximos honores,* & *non ab re, ſicuti eos quos admiramur, è cœlo cecidiſſe dicimus, iuxta illud,*

Tertius *è cœlo cecidit* Cato, *ita qui ignotis parentibus naſcuntur,* & *obſcuro genere quidem terræ filij cõmuniter appellantur, prouerbium id quoque uſurpantes, cum in uilisſimum quanquam* & *obſcurum inuehimur, qui nulla tamen uirtute præditus ſit, ut eum hominem, de lapide*

emptum eſſe dicamus. lapis enim locus erat in foro, unde quondam uendebantur mancipia, eaq́; extremæ notæ inter ſeruorum genera dubio procul habebantur.

De numeri præſtātia, quomodo nihil eſt in rerum natura, quod ſit absq; numero, De unitate, binario, ternario, deq́; alijs omnibus usq; ad denarium incluſiue ſcitu dignis, & breuiter quod noſcit omnia (ut dixit Abenzoar) qui numerare non ignorat. Cap. XIII.

Ex quo dixit Abenzoar omnia noſce qui ſcit numerare. & Neocli Plato, hominem omnium animalium præſtantisſimum, quoniam numeros callet. Imò quod Pythagoras Deum & animas noſtras, ac cuncta quæ in orbe ſunt, numeris conſtare exiſtimauit, fecitq; Deus ipſe optimus maximus omnia numero pondere & menſura. Et uoluit idem Plato in erudiendis pueris ut à numero inciperemus. Ideo & nos aliqua nunc dicere inſtituimus, quæ maxime neceſſaria ſint, quæq́; ſupraſcripto conueniant titulo. & primum quod nil aliud eſt numerus, niſi congregatio monadum, uel à monade ueniens multitudo, atque in monadem deſinens. & monas unus qui tamen non eſt numerus, ſed principium numeri. & nobilius numero, quia ab unitate originem ha

bet. & quia ſi principium eſt, id absq; comparatione medio & fine eſt nobilior, ut caput in corpore, uel in repub. principes. Datq; nomen omnibus numeris, & ſi unitatem ſubtraxeris non erit numerus. Inde binarius primus ab unitate recedens. Et quia mali ſic ab unitate dilectionis ſunt ſeparati pariter, non mirum eſt, ſi ſic in Arca Noe olim diluuij tempore fabricata, animalia binario numero etiam erant immunda. Ternarius potentiſſimus omnium, qui mas uocatur & perfectus, quia perfectos gignit. Senarium ſcilicet, & Nouenarium, Triasq; imparium, & cuius auſpicijs preces tertio ac libamina repetuntur. In quaternario ſoliditatis perfectio quædam, in qua rationes omnes Muſicæ contineantur, & quadratus ſolus Deus eo in numero habeatur. Vnde literis quatuor hinc etiam Ieſu dicimus nos, Dios Hiſpani, Dieu Galli. Quinquagenarius non ſecundum naturam, ſed ut placuit his qui numeris nomen indiderunt, uocabulum accepit, nec ipſe ſpernendus tamen, quandoquidem, quinque ſint zonæ terræ, & totidem mundi habitatores, homines, quadrupedes, reptantes, natantes, & uolantes. et ſi dixerimus, Senarium perfectorum primum non errabimus, cuius partes, aliquoties ſumptæ, ſuum præciſe totum ſibi reddere ſtudent. & in Ezechiele Hieremias ſcribit, ſacramentum creaturarum cõtinere. Sexq; (alij) naturalia fore of-

ficia,ſine quibus nihil eſſe poteſt, Magnitudo,color,figura, interuallum, ſtatus, & motus. Eſt & ſeptenarius religioni aptus: nec ab re proditum accepimus. Leproſo Heliſeum dixiſſe aliquando. uade & lauare ſepties in Iordane; caro enim tua ſanitatem recipiet, & mundaberis. ex alioq; mirabilis, quia hominis fabrica ex hoc numero conſtat, primo anima ex quinque ſenſibus, organo uocis, & poſtrema ui genitali, corporis item partes externæ,caput,pectus,uenter,manus & pedes, internæ uero ſtomachus, cor, pulmo, lienes,iecur,& renes. In capita rurſum inſtrumenta ſeptem,oculi,aures,nares, & os. Viſusq; ad eundem pertinet numerum, & ſeptem quæ ad huc conſpiciuntur: Corpus,diſtantia,figura, magnitudo,color,motus,ſtatus,præterea nihil. Vox ſimiliter acuta,grauis,circunflexa,aſpera, lenis, longa,& breuis. Motus ſepteni ſurſum, deorſum, dextrorſum,ſiniſtrorſum,prorſum, retrorſum,et in orbem. Quid quod mulierum fluxus, ad ſeptimum durat diem. fœtus in utero ſeptem menſibus animatur. Et in ſcientijs quoque idem, quia Grammatica ſeptem uocalibus conſtat, Muſica uero hoc eſt fides,totidem chordis,& ut fuſius libro ſexto diximus de homine locuti. Sed tamen adde diebus ſeptem etiam omne tempus reuolui, quodq; ſeptenario numero Vniuerſitas deſignatur. Octo uero per trãslationem. à quo noſtri

forte octonarios appellarunt. Qui octauam partem exigebant uectigalium, quæ ſoluebatur fiſco, eorum maxime quæ uehi ſolebant. perfectum quoque eſſe nouenarium exiſtimabant ueteres, pro multitudine qualibet ipſum ponentes, uſque adeo ut cum myſterio ob id poeta dixerit,

Nonumq́; prematur in annum, *membranis intus poſitis.*

Tametſi ſint qui decimum legant. quod maxime probatur, ex quo plenum hunc quoque putat Ariſtoteles. V*ſurpatq́; idem* Poeta *alibi dicens pariter.*

Perfectum decies non caſtigauit ad unguem. Decies repetita placebit lectio. et ſimile (ſicut declarauimus) non contemnendum, quia cunctas numerorum differentias complectitur, parium, & imparium, parium duorum & imparium trium, & pariter imperium quandoq́;. Et *quia* Vndenarius *eſt tranſgreſſionis,* Diabolo *conueniens, propter undecim munera quæ habet, ſciens quoque me alibi copioſe de numeris dixiſſe, licet præciſe memor non ſim quo in loco, finem facio, hoc unũ tantum adijciens, quod numerus à græcis ſemper quærendus eſt. ex quo apud eos literæ omnes, numerũ ſignificare uidentur.* Q*uodq́; apud hebræos unus (quicquid dixerimus ſupra) etiam ordinis eſt primus, & ab eiſdem communiter exponitur unus ideſt primus.* Vna Sabbatorum *ideſt prima.*

& præter hæc alias quod unus ad unitatem Dei refertur. Duo ad duo teſtamenta. tres ad trinitatem. Quatuor ad quatuor Euangelia. Quinque ad quinque libros Moyſis. Sex ad diem ſextum, quo Dominus hominem creauit, ceteraq́; animantia. Septem ad diem ſeptimum in quo requieuit. Octo ad diem reſurectionis. Nouem ad tempus quo ſpiritum emiſit. Decem ad Decalogum, ideſt ad decem uerba, quæ in tabulis excripta fuerunt.

M. MANTVÆ, BENAVIDII,
Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE

LIBER DECIMVS.

QVOD NIHIL FIT SINE ORdine, *Quid ſit, Quotuplex ſit, & quomodo breuiter ſecundum ordinem eſt finis.* *Cap.* I.

QVOD *ordo ſit in unaquaq; re maxime ſpectandus, quodq; nihil ſine ordine fiat, liquet ex eo, quoniam ſi Agricola prius ſerere uelit, poſtea arare, uel ſub canicula ſementem facere, labor & impenſa peribit, ſiq; in diſciplinis pariter non ſeruetur, & uelit quis ſine medio ad ſublimia peruenire, omnia erunt deſperanda. multo celerius igitur quo tendunt, peruenient ij qui ſemitas nouerint compendiarias quàm quod omnem (ut ait Plautus) ducem ſequuntur. Morio enim quiſpiam, in heri culinam ligna ferebat, eaq; ex infima ſtrue reuellebat, quæ moueri ſine magno negocio non poterat, interrogatus cur id faceret, quia difficillimã laboris partem ſic (reſpondit) uideor conficere, ſummaq; illa facilius moueri, non uidens quan-*

tum referret ſingula ordine tollere . Quem *dat nobis lex, ubi conſiderat prius & poſterius, ex quo dicunt noſtri prius quoque de præiudicia libus cognoſcendum eſſe, quàm de alijs. & cum or do nil aliud ſit, quam modus entium, ſeu digeſtio, & in ſuo loco cuiusq; rei collocatio ueluti in acie, unde memorialis cellula colligitur, firma- tur, redditur, & nexu quodam fauente difficile ſoluitur, ſcire quid facias, & neſcire quo ordine, eſt imperfectæ cognitionis, ibiq; ſubſtantia nun quam eſſe poterit, ubi ordo non ſeruabitur.* Imò quod in Oeconomico *præclare dixit* Xeno- *phon nihil ordine eſſe honeſtius uel utilius nec immerito græci mundum* κόσμον *appellarunt, id eſt pulchritudinem bene dipoſitam & ordina- tam. &* Duces *exercituum coſmitoras ideſt ordi natores copiarũ. & breuiter ſicuti animalia ſine uita, conſtare haud poſſunt, minus poterit rerum cognitio tradi ſine ordine ; alioquin non cogni- tio, ſed perturbatio quædam, potius eſſe dicere- tur ; & quanto quid eſt ordinatius, tanto eſt perfectius.* Ordo *eſt temporis, ſcripturæ, & rei.* In *dignitatibus ſeruandus.* In *beneficijs: & uirtu tum omnium actionibus. quoniam ſecundum ordi nem etiam eſt finis. & natura ipſa, nos edocet, cum ordine literato.* Grues *uolent, & una aliam ſequatur. & alias duplex eſt neceſſarius, & non neceſſarius.* Plebeus, *equeſtris, ſenatorius. & in*

oratione

oratione directus, inuerſus, & permixtus. Dicimus etiam nos rurſum, quod ordo cum ſecularis tum eccleſiaſticus confunditur ſi ſua unicuiq; iuriſdictio non ſeruatur. quod ordo à iure datus ſeruandus eſt. quod indicia debent torturam ſeu quæſtionem præcedere. & in ſumma denique ſicuti ſapientis omnia ordinare ſuis locis, quod ita proprium formæ eſt, unum quodq; conſtituere in ſuo ordine. alia pleraq; conſulto mittente, quia ſcimus etiam alio loco, nonnulla dixiſſe, quibus hæc addi etiamſi tibi non diſplicebit, haud negligenda poterunt.

Quod ſenſus in oculis uicinus eſt animæ, Quid ſit oculus, unde dicatur, Quot in homine eſſe reperiantur, Quod eſt aure certior, & quid denique in Hieroglificis *Ægyptiorum ſignificaret.*

Cap II.

QVoniam in oculis ſenſus animæ uicinus eſt, dicimus quod in eis, perturbatio uel hilaritas dignoſcitur. Imò quod ſunt animæ ſedes, & quaſi nuncij cordis hominis naturam, mentiſq; imaginem repræſentantes. Si torui truculentiæ ſignum, ſi improbri impudentiæ, inſaniæ uolubiles, limi ſuſpicioſi, immodice deducti, ſtolidorum acres, iracundi, & attonitorum denique ſtupentes. Oculorum eſt nuere, annuere, ni-

ſtare,& fulgere quales Marij,uel Auguſti, qui enim ad illum occidendum miſſus fuerat, hac de cauſa re infecta(hiſtoria nota eſt) diſcesſit: cūq; ſe miles ab iſto auerteret,interrogatus cur id fe ciſſet,quia fulmen reſpondit oculorum tuorum ferre non poßum. Vis Leonis rurſum ex oculis conſtat. nec mirum ſi uelatus facile uincitur. Quod uident oculi nemo negabit facile: quæque extrinſecus patent expreſſe (dicunt noſtri) non eſt probare neceſſe. Sunt quoque malorum omnium irritamenta,& (ut inquit Seneca)ſcelerum duces,usq; adeo ut uirginem ad ſe captiuam duci uetuerit Scipio,& Alexander Darij matrem. Habentes cum genitalibus præter hæc, Sinophatiam,unde forte ſic cecinit poeta,

Mobile colluerit patranti fractus ocello.

alius uero.

Si neſcis oculi ſunt in amore Duces.

Cinthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis.

Rapuitq; Sichen oculo Diman. Et Dauid oculus ipſum ad adulterium traxit.prima uero mulier ad mortem Adam.& non ſolum oculus eſt quo uidemus, ſed etiam amicus filius,uel quiuis alius propinquus.Mundi oculus ſol,oculus dei acutus, & iuſtitiæ uidens omnia, oculoq; ſeruator ipſius deſignatus in Hieroglificis Ægyptiorum literis.oculus Domini & regis,quibus negocium rectius geri ſignificatur.quodq; adagium innuit cū

dicimus, Frons occipitio prior. *eſt oculus item carnis, rationis, & contemplationis. hoc eſt ſenſualitatis ſpiritus & mentis.* Apertus *rurſum, lippus & clauſus, apertus ad exteriora.* Lippus *ad ea quæ ſunt interius, & clauſus ad diuina.* Di*ctus inde quia ciliorum tegmine occultatur, ne incidentis iniuriæ offenſione lædatur.* Seu *quia occultum habet lumen intus poſitũ & ſecretum. & quia plerunque oculis intortis inter bibendũ aliquid alios intuentur ciconiarum exemplo, dic ut caueant quod illiberale eſt, & quod in terram deicere eos, (quod maxime faciunt catoblepæ) malæ conſcientiæ ſuſpicione hoc ipſum habet.* Mo*biles uenerei, & peti ſi leuiter cum uenuſtate declinentur.* Pro *abſoluto habentes ultimo prætermisſis his, quod certior aure ſit (ut ille ait) oculus arbiter.* Vnde Flaccus,

Segnius irritant animos, demiſſa per aurem.

Quam *quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus tonitruaq; coruſcationes præcedere dicebãt,* Tuſcu*lanorum legati, pacem, in ſenatu petentes, nihil hoſtile feciſſe, nihilq; hoſtile uidiſſe, & optilos uocabant* Lacedæmones, *ab opto quod græcis ſonat uideo.* Eſtq; *probatio uiſus (ut adhuc dictum eſt à noſtris) ſuperlatiua omnium, nullumq; potentius conſilium quàm id quod ex ordinatione cauſæ, per ſenſum uiſus confirmatur, & oculus naturæ ſpeculum, ac præclarisſimum hominis*

membrum. Vnde Chriſtus, lucerna corporis tui inquit eſt oculus. appellatq́; Pyndarus Ageſiã militiæ oculum, & Siciliæ Hieronem. & breuiter concludentes omnia cognitionẽ nobis oculi attulerunt. nec inuenta fuiſſent unquam quæ de mũdo diſputantur, ſi neq; ſydera neq; ſol cœlũ ſuſpici potuiſſet. Cognitio rursũ diei ac noctis (ut inquit Plato) ab oculis orta fecit ut dimenſione quadam menſium annorumq́; ambitus metiremur, tempus cognoſceremus, uniuerſæ naturæ ordinem ſcrutaremur, quibusq́; rebus philoſophiam adipiſceremur, quo bono nihil unquam maius mortalium generi datum eſt, deorum munere, nec dabitur.

Quod hominis ingenium non tam in uultu, relucet quàm in oratione, Quot ſunt orationis genera, Quæ eidem admiſcenda ſint, quæque in ea fugienda, & quomodo etiam in quinque diſtribuitur partes. Cap. III.

CVm diues quidam filium adoleſcentulum Socrati miſiſſet ut indolem inſpiceret, ferunt ei dixiſſe, loquere ut te uideam, ex eo plane ſignificans ingenium hominis non tam relucere in uultu quàm in oratione. Et non ab re Dionyſius *etiam animi uniuſcuiuſque imagiuem eſſe, quodq́; uir talis eſt, qualis eſt oratio, iuxta illud, loquela tua manifeſtum te facit.* Imò quod ora-

tione ſapiens à ſtulto diſcernitur. Sed ad propoſitum ſcias tria orationis genera eſſe, ut Cicero & alij teſtantur, Deliberatiuum, Iudiciale, et Demonſtratiuum. Deliberatiui *argumentum eſt, ſuaſio, diſſuaſio.* Iudicialis*, accuſatio, defenſio.* Demonſtratiui *uero laus, uituperium.* Delibera*tiuum rurſus, tempus futurum reſpicit, iudiciale præteritum,* Demonſtratiuum *præſens.* Delibe*ratiui finis utile non utile,* Iudicialis *iuſtum non iuſtum, &* Demonſtratiui *denique bonum uel malum.* Quodq́; *orationi admiſceri ſententiæ debent tanquam lumina obſcuritati, aut fulcimenta uel columnæ, rebus per ſe non ſatis firmis, & ualidis.* Et *uerbũ inſolens tanquam ſcopulum uitari.* Vnde Auguſtus*, uoces ac ſententias ineptas, fœtores appellabat, amabatq́; ſupra modum ſermonis puritatem & elegantiam. & ſi huiuſmodi fuerit, effloruerit q́; cognitione rerum ut fructus è ſtirpibus, & ſi ut fluuius è fontibus redundarit, delectabit ceu muſica quædam auditores, nec ulla erit cantilena dulcior. perfecta amplius ſi hæc quinque habuerit,* Subiectum*, prædicatum, copulam, determinationem ſubiecti, ac prædicati.* In *oratione confirmatio nunquàm omittitur, quæ ſit argumentis, quoniam ipſius neruus eſt, caro uero ceteræ partes, id ad neceſſitatem fit, iſtud ad decorem.* Verum *obſeruandum eſt præter hæc, quod uiolenta & rapida utebatur* Car-

neades, Scita & teretia Critolaus. Modeſta ue-ro & ſobria Diogenes. Quodq́; ex Academia erat Carneades, Critolaus, peripateticus. & Diogenes Stoicus. & quod Plato denique orationem, diſtribuit in partes quinque, quæ ſunt, Ciuilis in republica, oratoria in iudiciis, ſermo priuatorum, artificum, & Dialecticam. eſt etiam oratio aſcenſus mentis in deum, ſed de his alias, ſatisq́; ſit ſi in præſentia dixerimus, quod & huic quoque quatuor annexa eſſe debent, inſtantia, intentio, compunctio, & deuotio, non locus, quia Hieremias orauit in cœno, Daniel in lacu, Pueri in camino ignis, & Iob in ſterquilinio. Verum eſt, quia de oratore nihil dictum fuit quod aliqua per tranſennam quaſi, & quodammodo delibare non prætermittemus. Quod Æſchines quidam Mitylenęus flagellum oratorũ uocatus eſt. quodq́; Diogenes eos omnes qui in dicendo gloriam uenabantur, infælices appellabat. Et quod dicentis mores, non oratio perſuadere ſolet. ex quo hinc orator uir bonus, dicendiq́; peritus uocitatus eſt. Oratores etiam (ut idem Diogenes aiebat) ſunt miniſtri plebis. et (quod peius eſt, Ariſtophanes in Plutone ita garrit) Sycophantæ. Quicquid ſit tamen ornatus eſſe debet in dicendo, facilis in explicando, & potens in perſuadendo. hæcq́; etiam enarrare, an ſit quid ſit, quia ſit, & propter quid ſit, docere rurſum, mouere, & delectare.

orator militi comparatur, & architecto, Militi, ut debiliora in medio collocentur, prima oppugnent, & ultima in auribus audientium relinquantur, media utrinq; concluſa non appareant, ut inſtructa acie fieri ſolet, in prima enim fronte acres bello, in ultima ſubſidiarij milites collocantur, in media autem acie cohortes, in quibus ſpes aut nulla, aut perpauca eſt. Architecto, qui nõ omnem, ſed aptiorem ſubſtructioni materiam, legit & collocat, ut ſic agat, hocq; modo propria rerum uocabula, aut addita ad nomen, aut noua aut priſca, collocet etiam orator. Sit inſuper natura acutus oportet, uſu exercitatus, & ueritate promptus, ut Cineas, quem magnum inter ceteros extitiſſe, è Theſſalia ferunt, Demoſthenis auditorẽ, adeo ut Pyrrhus dicere ſæpe ſolitus eſſet, plures à Cinea uictorias, quàm à ſe armis partas fuiſſe. Locuteleius erat eiuſdem præceptor. Cicero inconſtans, & oratione ipſa uberes Aſiatici, preſſi Attici, & medium quoddam tenentes Rhodij, triſtior caluus, numerior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Celius, grauior Brutus, & idem Cicero uehementior. Socrates rurſum ſuauitatem habuit, ſubtilitatem Lyſias, Hyperides acumen, Æſchines ſonitum, idem Demoſthenes uim, Africanus grauitatem, lenitatem Lælius, Galba aſperitatem, Carbo proſluẽs quiddam ac canorum, & puritatem Catulus. & ſi plura

cupias, ſcias uelim etiam, quod magniloquentia delectat Hiſpanos; Græcos fucatus ac compoſitus ſermo, Romanos orationis grauitas, breuitas & horror; Lacedæmonas, Athenienſes quod multa ſit & ſtudioſa; Carthaginenſium uero callida & uafra: & hæc ſufficiant, niſi hoc ſolum addamus, quod à noſtris oratores, à Græcis uero Rhetores dicuntur, qui lites agunt ac iurgia fori, inq; omni cauſarum genere uerſantur, quodq; Græcis è labijs, Romanis uero ex corde proficiſcitur oratio.

Quod peſtilentiæ furor nemini parcit, Quod eſt Regina ægritudinum, & omnium inſolentisſima, ſeruis ſtipata ſuperbis, Quot ſint eius ſpecies, & quomodo olim ſedaretur, Quiq; ſaluti fuerint multis, ciuitatibus, peſte laborantibus. Cap. IIII.

PEſtis eſt bellum inter Deum & hominem, quod plerunque regiones inuadit, & adeo crudeliter graſſatur, ut libitina non ſufficiat, nec ullis remedijs aut arceri posſit aut reprimi, eſt & morbus acutisſimus ac contagioſus, qui omnes alios magnitudine uincit & ſuperat. Ideo regina ægritudinum appellatur, omnium inſolentisſima, nemini parcens, ſeruis ſtipata ſuperbis. & bellum dixit quia æquiparantur. & qui tem-

pore peſtis ſeruitia exhibet, is certe non uulgaris amicus eſt, ex quo omnes fugiunt mortem, licitaq́; eſt non comparendi cauſa. Conducta domus, iure dimittitur, remittuntur in teſtando ſolennitates legum, & ordo eſt breuiter hoc tempore ordinem non ſeruare. Nec *peſtilentiæ una tantum ſpecies, ſed tres,* Pandemos, Epidemos, *&* Loemodes, *& ſi quæſieris unde ortum habuerit, dicam à pecudibus inchoatam, quodq́; olim ſæuisſima fuit poſt primam perſecutionem* Neronis Romæ, *& nono* Imperij *anno* Veſpaſiani. *totamq́;* Italiam *uaſtauit aliquando ſub* M. Antonio Vero. Magna *ſub* Gallo *hoſtiliano, ab* Æſculapio *etiam ſedata, inde ludi ſcenici poſtea inſtituti, & impoſitus finis luctibus; quia aduenerat ſalutifer orbis.* Non *omittentes quoque, quod claui affixione etiam ſedabatur à dictatore facta, qui claui figendi gratia ſic eligebatur, & quia ſic etiam multa græcorum oppida, ſeruauit* Hipocrates *doctisſimus uir, &* Hercules Heleos, *&* Selenucios Empedocles, *illis tunc diuini honores decreti fuerunt; & præter hæc quod* Sardi *raro peſte laborant, & quia formidabile nomen eſt ac titulus; cum legiſſem ultimo intellexiſſemq́;, à uiris fide dignis maxime, in* Cayro Ægypti *ciuitate, aliquando peſtilentiam ita debacchatam eſſe, ut una die tãtum, homines uiginti millia deciderint; cetera ſub ſilẽtio tranſibimus.*

Quod patria eſt nobis dulciſsima, eaq́; priuari graue admodum, Quod patria parentibus & amicis, imò & ſaluti propriæ eſt anteponenda; Vnde dicta, quotuplex, & quod nanque ſymbolum ſit pugnantis pro patria. Cap. V.

QVod patria non ſit nobis dulciſsima, nemo eſt qui dubitet. Imò quod ceteris præſtantior eſſe uidetur, locus generationis & naturale, quod quis illum diligat, quo nihil habeat dulcius, ea de re priuari patria admodum eſt graue. quærebaturq́; nimirum paſtor alibi.

Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua;
Nos patriam fugimus tu Tityre lętus in umbra,
Formoſam reſonare doces Amaridilla ſyluas.

& dicebat Demoſthenes in Areopago damnatus, fugiens pariter, quo modo patriam linquo in qua tales habeo inimicos, quales amicos in alia ſum inuenturus: & poeta Lyricus noſter,

Non è queſto il mio nido,
Oue nodrito fui ſi dolcemente?
Non è queſta la patria in ch'io mi fido,
Madre benigna è pia,
Che copre l'uno è l'altro mio parente?

Vſque adeo (ita mira quadam lætitia naturale ſolum cunctos ducit, immemoresq́; nec ſinit eſſe ſui) ut Iuppiter ob hoc, (quod eſt in fabulis) non minus Creta quàm cœlo, delectetur, & Vlyſſes

tametſi totum ferè peragraſſet orbem, non mi-nus properare cuperet ad aſperam Ithacã illam ſuam, per tot diſcrimina rerum; quàm apud deas Circem & Caliſpo nectare ambroſiaq́; paſtus ui uere. Nec ſolum patria in qua quis natus eſt, appellabitur, uerum etiam in qua ſit educatus, ut Chriſti Nazareth & Bethleem, uel duas eſſe dicamus aliter, loci & ciuitatis, loci, ubi quis (ſicuti diximus) natus eſt, ciuitatis uero ſi ea donatus fuerit, ut Cicero, Marius, & Cato, & ſic non modo originis ratione, uerum etiam inco-latus: & quia magna urbs erat præ ceteris, op tabat Sertorius tunc ſe malle potius, eiuſdem ci-uem tametſi ignobiliſſimum, quàm exulem fore, aliarumq́; ciuitatum Imperatorem. Dicta inſu-per quia multa nobis parat, præſertim cibaria, educationem & reliqua, & non immerito cum eidem etiam primum naſcamur, parentibus, ami cis, & quibuſcunque rebus, imò ſaluti propriæ ipſius amor quoque anteponendus eſt. Quando-quidem nec gratiam poſſimus referre parem, etiam ſi uitam impendamus. Pro Roma enim Cur tius, pro Thebis Meneotheus, pro Athenis Co-drus, lubenti animo mortem tulerunt. Pro pa-tria ſe deuouerunt duo Decij pater & filius, & audita morte filij Lacena mulier alias, deo gra-tias egit, quod talem habuerit, qui pro patria perijſſet, & hinc Lacones ipſi, tria præcipua

diſcentes, magiſtratibus obedire, patientes eſſe laborum, & pro patria mori uel uincere, & certe nulla eſt uictoria ſpecioſior, quàm quæ quæritur patriæ. nulla optabilior mors quàm quæ cum laude contingit, etiam ſi ante ora parentum cadamus, iuxta illud,

O terq; quaterq; Beati

Quis ante ora patrum Troiæ *ſub mœnibus altis*

Contingit oppetere. Decij *enim quorum paulo ante meminimus, qui ſe pro legionibus in hoſtes, inmiſerũt medios, uitam amiſerunt non perdiderunt, re uili redemerunt magnam, uitam dederunt, patriam receperunt, & amiſerunt animam denique, potiti gloria, quæ ſumma cum laude quotidie magis eniteſcit.* Olim Solonis *lege cautum erat, ut filij eorum qui pro patria, cecidiſſent, publice alerentur, erudirenturq;.* Et *oraculo* Delphico *hac de cauſa* Phedius *declaratus felix.* Nec *aliud* Cicero, *quàm mori pro patria uelle teſtatus eſt, cum diceret, neque reip. deeſſe, neque ſupereſſe ſi oportuiſſet tamen.* Chari *igitur parentes (ut ille idem ait) ſunt nobis, chari liberi & affines, atque amici. ſed una omnes charitates cõplexa eſt patria. pro qua qui pugnat, quiq; eiuſdem amator eſt, græce* φιλοπολίτης *appellatur. felixq; rurſum ac per beatus eſt, ipſiusque ſymbolum* Cybeles Dea *curru uecta, ex quo*

habet Corymbantes gladijs cinctos non aliud ſignificantes.

Quod parlamentum de quo nunc locuturi ſumus, uerbum uulgare eſt potius quàm iuridicum. A quo fuerit inſtitutum, An ſint plura, cum quibus affinitatem conformitatemq́; habeat, ex quibus conſtet, & an à parlamento, ſeu curia ipſius uel Arreſto poſſit appellari. Cap. VI.

PArlamentum (*uerbum enim eſt uulgare potius quàm iuridicum, non tamen negligendum, ob magnam uulgi auctoritatem*) *eſt* Pariſius, *ut in* Germania. *Spiræ ſcilicet, centuria, & olim apud* Athenienſes Areopagitæ, *&* Amphictriones *ex ſeptem* Græciæ *ſapientibus.* Inſtitutumq́; *fuit* Pariſtenſe *à* Pipino, *aliaq́; ab alijs regibus* Galliæ, *in* Normandia, Mediolani, *&* Genuæ, Tholoſanum, Burdegalenſes, Grationopolenſe. Burgundiæ, Aquenſe, *&* Rothomagenſe. *& de conſuetudine omnium eſt, ut ius reddatur etiam diebus feriatis, maxime uenientibus ex longinquis regionibus.* Et *dubitatio maxima an quilibet princeps poſſit habere parlamentum, deciſa tamen quod non, ſi ſuperiorem habeat.* Et *ad propoſitum licet uulgare uerbum eſſe dixerimus, eo tamen uſus eſt* Gregorius Decimus *in generali concilio* Lugdunenſi, *his uerbis. Ceſſent in locis uni-*

uerſitatum & ſocietatum quarumlibet conciliá conciones & publica parlamenta. Conſtitutumq; *alias fuit maxime primum & præcipuum* Pariſienſe,*ex duodecim patribus* Franciæ,*ex octo* Magiſtris *requeſtarum domus regis, & ex octuaginta alijs conſiliarijs.* Quorum *quadraginta clerici ſunt, alij quadraginta laici, inter quos ſunt quatuor præſidentes, inſtar ſenatus* Romani *à* Romulo *inſtituti, qui olim patres & principes appellabantur ciuitatis.* Nec *ab re dicimus, quod inter hos dominos & ſenatores* Romanos *multæ ſunt conformitates. & ſic ſunt iudices maiores in hac curia, loco præfecti prætorio, qui ſtatuta & conſtitutiones faciunt, & à quorum ſententijs, ac* Areſto, *quas ſic uocant, non appellatur, ſicuti nec à ſententijs præfectorum prætorio, & dicunt noſtri (quamuis inter doctores maxima ſit dubitatio, uariæq; hinc inde opiniones, an ſuper eiſdem uel ſimilibus, aut contrarijs capitulis, teſtes in cauſa appellationis poſſint examinari) quod ſeruatur illa dicentium examinari non poſſe, timore ſubornationis.* Fuſius Franciſcus Lupanus.

Quod præmia optime meritis ſunt debita, & alliciēdi homines ad diſciplinarum optimarumq́; artium ſtudia, muneribus & beneficētia, & quomodo hac de re olim triumphantes honorarentur. Cap. VII.

PRæmia uirtutum tribui merentibus conuenit, & laborantibus longe magis. Vnde fit ut uulgo dicamus hinc, labor optat præmium, ut uirtus gloriam, ſic labor opes. Imò quod ſtudioſi ad optimarum artium ſtudia, & diſciplinas præmijs & munere ſunt alliciendi. & milites præclare operam nauantes reipublicæ, cohoneſtandi. quæ duabus potiſſimum rebus gubernatur, & regitur, præmio ſcilicet & pœna. Olim tanta uirorum fortium habebatur ratio, qui defendendæ patriæ gratia, uitam periculis expoſuiſſent, ut ex ſeruis liberi, ex plebeis nobiles crearentur, alijsq́; beneficijs penè innumeris augerentur; pro perſonarum conditione tamen. quia ſic etiam Perſæ feminis aurum, uiris uero ſagittas, & iacula condonabant. Maiusq́; Imperatori quam militi, Gubernatori quàm Nautæ, & Architecto denique quàm opifici mercenario. Præmio honeſtatus eſt M. Agrippa, cui belli inſigne ſuperbum (ait ille)

Tempora nauali fulgent roſtrata corona.

Et pater patriæ appellatus Cicero, qui legem

Agrariam aboleuit, quique proſcripſit M. Antonium, & qui denique Catilinam expulit. Thraſimachus quoque quia Rhetoricen Athenis profiteri cepit, à Philoſtrato inter Sophiſtas numeratus eſt, & Achilles Romanus inde Sicinius Dentatus ob ingentem ipſius fortitudinem uocitatus. Ne ue communia forent nomina Harmodij & Ariſtogitonij liberatorum patriæ, uilibus & maxime ſeruis. Solebant rurſus ueteres olim Romæ Calẽdis Aprilis natalem Mineruæ diem præceptoribus celebrare, eiſdemq́; Minerual ſoluere. Quod præmium ſic de induſtria uocabant. Seu Mineruale nomen à Minerua ipſa deductum. & certe (ut dictum eſt experientiaq́; docet) quod uirtus minus colitur, ubi nulla uirtutis præmia propoſita ſunt. inuitatur uero contra, non ſecus ac ignauia, quæ excitatur probro. Sed adhuc alios audi, qui præmijs cohoneſtati fuerunt, Q. Scæuola adeo fortiter & integre Aſiam minorem ad miniſtrauerat ſibi demandatam, ut ipſum ituris magiſtratibus poſtea (quod nanq́; maius præmium elargiri iſto ſibi potuiſſet) ſenatus pro norma & exemplari decreto, poſuerit. Vt Arſaci Parthorũ regi, ob quæſitum cõſtitutumq́; regnũ, ut deinde omnes reges Arſaces appellarentur. M. Æmilius uir conſularis, qui tricies certamine pugnauerat, ſemperq́; trucidauerat hoſtem, contra Galbam in umbra nutritum contendens, cicatrices

catrices oſtendit populo, ſtatimq́; triumphum obtinuit. Non *omitto quod omnes medicinam profeſſos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi urbem frequentarent, & ceteri appeterent ciuitate donauerit Cæſar.* Poetas & Artifices *ornauerit Veſpaſianus, annuaq́; centena* Rhetoribus *cum græcis tum latinis conſtituerit.* Alij *aliaq́; multa fecerint inſtituerintq́; huiuſmodi perpetua commendatione digna.* Quod & Armillæ *inſuper teſtantur,* Manubiæ, Statuæ, Coronæ, Bullæ, Anuli, Ouationes, Trophea, Triumphi, Congiaria, Donatiua, *ludi, & reliqua, ſi quæ alia ſunt eiuſdem generis præmia.* Erat *mos etiam ut poſt exhauſtos labores, milites (iterato dixerim) emeritis ſtipendijs ſanguine & ſudore partis, agris (quod primum fuit* Romanorum *munus) donarentur. utq́; toga, prætexta, tunica palmata, togata picta, corona triumphali, laureaq́; triumphantes honorarentur, ſimulq́;* Iouis *optimi maximi decorarentur ornatu, & curru aurato ac ſeruo coronam tenente denique per urbem uecti capitolium aſcenderent.*

Quod pertinacia in muliere eſt peculiaris, Qui pertinax dicatur, & quomodo ſeu in quo differat pertinacia à perſeuerantia. Cap. VIII.

Licet (ut memoriæ proditum eſt) Hannibal ille pœnorum Dux, ſæpe in re militari dicere ſoleret, uincit omnia pertinax uirtus, eſt tamen ſui natura pertinacia maximum malum, & pertinax qui iudici præcipienti non obedit, quique ualde ac impudenter tenet non tenendum, durus, irreuocabilis, indocilis, & obſtinatus, ut in hæreſim lapſus, quæ ad idem nihil aliud eſt, niſi error quidam pertinax, Chriſti fidem corrumpens, proximaq; hæreſis cauſa, animo pertinaci, adhærere opinioni falſæ. & ſic crimen duo ſubſtantialia habens, primum ipſius initium reſpiciens, ſecundum uerum complementum, eaq; ſunt in ratione error (ut diximus) & in uoluntate pertinacia. & licet nomen uirtutis, plerunq; ſibi aſſumat ut ſupra, in malo tamen eſt communiter, & perſeuerantia in bono. Nec ipſa rurſum uirtus abſoluta, ſed ad uirtutem diſpoſitio, potius. Imò quod in malum (dicunt noſtri) perſeuerantia etiam aliquando eſt conſiderabilis, exempli gratia, ſi quid calore iracundiæ fiat uel dicatur, ut id ratum non ſit, priuſquam perſeuerantia apparuerit, iudicium animi fuiſſe. Vel ſi exactor de crimine conuincatur, & perſeueret ut Cupiditas eius capitali periculo amoueatur. aut quis diffamatus ſit, quia ſi non probauerit quod aſſerit, ei ſilentium imponetur perpetuum, & ſi perſeuerauerit utiq; afficietur mulcta. Ne te hoc

ipſum moueat tamen,quoniam(ut dictum fuit) in bono eſt communiter,uulgatumq; illud facit. Tra*det aut frater fratrem in mortem, & pater filium,& inſurgent filij in parentes & morte eos afficient,& eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum,qui autem perſeuerauerit usq; in finẽ hic ſaluus erit.* Dicitq; *alibi* Dominus, Et *firmabo regnum eius in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia ſicut & hodie.&* Paulus, Fili *mi noli negligere diſciplinam domini,neque fatigeris dum ab eo argueris,* Quem *enim diligit* Dominus *caſtigat, flagellat autem omnem filium,quem recipit,in diſciplina perſeuerare.* Et *ad pertinaciæ propoſitũ redeuntes,ſi cui peculiaris eſt,& genuina,eſt utiq; mulieri,quæ mori mauult, quàm ex ſentẽtia decedere,hæc enim aliquando maritum, probro inceſſuit, eumq; pediculoſum uocauit,is eam demiſit in puteum,quæ cum loqui non poſſet, aqua præpediente, unguls pediculos interimebat, manibus ſupra caput ſublatis, maritoq; pertinax obijciebat ſigno,quod uerbis facere non poterat. ſanctis hominibus uero perſeuerantia nutrix ad meritum,mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ,* Conſtãtiæ *filia, amica pacis,amicitiarum modus, uinculum unanimitatis,& ſanctitatis propugnaculum.præſertim (ut cæteros ſileamus) in* Eleazaro,*qui immoriendo tormentis factus eſt, alijs*

magiſterium perſeuerantiæ, electus ad infirmitatis exemplum, & in quo breuiter non potuerunt tormenta rationem uincere.

Philoſophiæ laus, Quod philoſophi ſunt amici dei, cui aſſimiletur philoſophia, & à quibus originem traxit, Quid ſit, quibus rebus conſtet, & quot denique partes habeat; & ſint etiam eiuſdem ſpecies. Cap. IX.

PHiloſophia omnium artium præſtantisſima eſt, & (ut inquit Plato) diuinitati cognata, quæ tanquam dux & magiſtra uitam format, actiones dirigit, inſtituit mores, & quæ eloquentiæ etiam eſt fundamentum, & maximum quidem, quæq; rerum naturam atque uim rurſus contemplatur, rationes inquirit, genera, ſpecies, & partes diſpicit, disſipata ſparſaq; colligit, artem & in præcepta quædam breuia ac ordinata cogit indagatrix uirtutis, expultrix uitiorum, ſocietatum parens; & cuſtos denique uigilantisſima. Quam ſic primus Pythagoras appellauit, & à Græcis communiter originem habuiſſe aiunt, non à Barbaris. Qua de re non mirum eſt, quoque, ſi nomen ipſum Barbaram omnino appellationē abhorret. Dicunt aliqui etiam, Nili Ægyptij filium Vulcanum philoſophiæ aperuiſſe principia. Hæc ſolatium in aduerſis præ-

bet, habetq́; rationem pro lege. tametſi uulgus à peccando legibus, arceatur. Ex quo Diogenes *interrogatus quid ex ipſa didiciſſet, nil aliud inquit, quàm quod ad omnem fortunam paratus ſim.* Ariſtippus *uero poſſe omnibus fidenter loqui. quodq́; philoſophi hoc unum habent, licet leges omnes intereant, ut æquabiliter uiuere ualeant. & ſecum colloqui* Anthiſthenes. *philoſophia iuuenibus ſobrietas eſt, ſenibus ſolatium, pauperibus patrimonium, & diuitibus ornamentum.* Quæ Platonem *quoque, quo nihil maius habuit* Græcia, *nobilem non accepit ſed fecit. tota frugifera & fructuoſa, nec ulla pars eius inculta, ac deſerta, nec aliud quàm ſtudiũ ſapiẽtiæ, à* Poeſi *tamen non alio diſcrimine ſeparata, niſi quod hæc recentior eſt, illa uetuſtior. hæc apertior, illa obſcurior. hæc ſoluto ſtylo tradita, illa numeris aſtricta, & cum philoſophus à nullo uirtutis ac bene uiuendi officio declinet, non modo regis, ut* Zeno Antigoni, *cum quo ſæpe cantabat, quiq́; illo mortuo dicebat ſæpe, ſpectaculum perdidi, domeſticus erit, uerum etiam amicus dei, cuius ſunt omnia, & ſic philoſophorum omnia neceſſario.* Anaxagoras *enim interrogatus, an ne ulla ſibi patriæ eſſet cura: Summa mihi quidem eſt huius, digito cœlum oſtendens.* Nil *aliud igitur eſt philoſophia præter cetera dicta paulo ante, quàm uirtutis ac bene uiuendi diſciplina,*

ſiue diuinarum, humanarumq́; rerum cognitio cum ſtudio bene uiuendi coniuncta. Duabus re*bus conſtans, ſcientia ſcilicet & opinione. Scientia cum aliqua res ratione certa percipitur, opinione, cum adhuc res incerta latet.* Diuiſa alias *in naturalem, moralem & rationalem, ſeu* Phi*ſicam,* Ethicam, & Logicam, *quarum ſymbolum (uolunt aliqui)* Magos *eſſe, tria hinc munera Chriſto offerentes,* Aurum, Thus, & Myrrham, *in quibus ſanè partes iſtæ comprehendantur.* Veteres *uero eas agro aſſimilarũt, naturalem arboribus, moralẽ fructibus, et rationalẽ ſepi ac maceriæ.* Nã *quemadmodũ maceria fructus plantasq́; agri conſeruat, ita rationalis præſidiũ munitisſimum eſt, reliquarum duarum.* Duplices *enim & ambiguas dictiones explicat.* Sophiſmatum *ſpeciem diſſoluit, & deceptionem animæ eſcam è medio tollit, adhibitis ſermonibus diſertis, & demonſtrationibus indubitatis, tanquam ceram leuigatam intellectum parat* Phiſiologiæ *moralisq́; diſciplinæ characteres ualde probos ac integros.* In *naturali eſt rurſum, quærendi cauſa, in morali ordo uiuendi, & in rationali denique ratio etiam intelligẽdi.* Naturalẽ *adhuc primus* Thales *ſcrutatus eſt, ſed eam diuiſit* Plato *in* Arithmeticam, *Geometricam,* Muſicam, & Aſtronomiam. Moralem *uero* Socrates *inſtituit & diuiſit pariter in prudentiam, iuſtitiam, fortitu-*

dinem, & temperantiam. & rationalem idem met Plato, in Dialecticam & Rhetoricam. Qui dixit quoque primam fore de natura uniuerſi, ſecundam de hominibus, tertiam uero de oratione. eſt & ultimo, philoſophia Cetetica quæ in inquiſitione ueritatis uerſatur. Sceptica ſemper quærens, & nihil inueniens, Ephectica cui aſſentimus poſt inquiſitionem, & Aporetica eorum qui ſemper dubitant. Sed miſſa hæc faciamus, & concludentes tandem dicamus, cum ex philoſophia nunquam ſatis laudata, quæ eſt ultra prædicta tabernaculum uitæ, & mater omnium benefactorum beneq; dictorum, & à philoſophis ſimul tot bona proueniant, probro olim fuiſſe, Romanos homines, qui ex urbe philoſophos expulerunt, putantes iuuentutem reddi prorſus inutilem à gerenda reipub. munia dignos, Helienſes uero perpetua commendatione, qui publico decreto, eos immunitate donabant.

Quæ dotes deſiderentur in principe, Quæq; conſiderari debeant in ipſius electione, Quomodo appelletur, an ipſius adminiſtrationi adſit Deus, An reuocari in dubium poſsit eiuſdem poteſtas, Quæ bona habeat, & alia de principe longe plura quàm alias, ſi alicubi forte ad aliud tamen à me dictum fuiſſet. Cap. X.

SI quæſieris quæ ab egregijs principibus maxime expetantur, duo uel tria alijs ſepoſitis, & præcipua quidem eſſe dicemus. Sanctitas domi, in armis fortitudo, & utrobiq; prudentia. Nec ab re aureo ſeculo, quia huiuſmodi erãt, iure Dij etiam (ut inquit Fab. pictor) appellati habitiq; ſunt. hincq; indulgentia principum diuina, & prouidentia ſimul, legesq; diuinitus per ora principum promulgatæ. Imò quod poteſtati principis adeſt Deus, quodq; eſt cor regis in manu Dei. Adminiſtratio imperij donum & ordinatio dei, & princeps dei ſocius, (aiebat Heſiodus) Quem etiam priſci (ut iam diximus) ſic uocabant, & Athenienſes principem Dei filium. Perſæ colebant, rati omnem reipub. ſalutem in eo conſiſtere. Honeſtiori uocabulo tamen appellandus pater patriæ, optimus, maximus, prouidentisſimus, religioſisſimus, ſacratisſimus, nobilisſimus & ſanctisſimus, ita ut nec poteſtas eius in dubium posſit reuocari, ex quo eſſet hoc idem prorſus ipſius uirtutem tollere, uelleq; (ut aiũt) orbem fodere. eſt quoque in repub. princeps nobilior ceteris, quia unus, & quia alij ab eo fomentum habent, ut unus in numero, quia principium eſt pariter, & nobilius medio ac fine, ſicut in corpore caput. Eligendus rurſum non ſorte, aut aliter, quia ad id, fortunæ cogat neceſſitas eligentes, ſed multa prouidentia & conſulto,

multis etiam hinc inde penſitatis, quod ſenex ſit, uirtutibus præditus, fortis, iuſtus, ingenio, intellectu'ue potens, ſtabilis, abſque cupiditate, eloquens, frugalis, ſine bile, diues, & ſupra modum fidelis. Quoniam caput ciuitatis eſt. Quæ tribus hiſce rebus nobilisſimis firmanda uenit. Iuſtitia ſcilicet, reuerentia, & dilectione. Quarum prima principis eſt propria, ſubditorum alia, tertia uero utrique conueniens, & quanquam bona triplicis habeat generis, reipub. fiſci, & patrimonij ſingularis, ipſius tamen theſaurus non in his conſiſtit, ſed in ſubditis ſe bene habentibus. Quia & ipſe quoq; maritus reipub. (quod aiũt) populo conſulit. electus non ideo ut lædat, ſed ut iuuet. Tyrannus ſibi omnium pesſimus, qui non eſt princeps in ciuitate, ſed peſtis legum dominus, impius, & leo rugiens ſuper populum inopem. Dicebat adhuc de principe Iſocrates ad idẽ (in Euagora, quod cultus eſſe debet, & amore multitudinis popularis. Politicus gubernatione urbis, imperatorius recto in periculis conſilio, & regalis, quaſi in his omnibus, (ut ille idem Euagoras) excellat. Si maxime cogitarit nutu dei, moueri. Imaginem (iterato dixerim) diuinæ maieſtatis eſſe, & populo ut animus corpori, uel ut orbi terrarum ſol. Sic efficacius quàm magnes chaliben attrahet, mortalium omnium mentes, in ſui charitatem rapiet, nullus erit qui tunc non

dicat, hunc immortali imperio dignum, qui non ex uoto iaciant pro ipſius ſalute ſtipem, ut olim in Burtianum *lacum. Qui non calendis* Ianuarijs *ſi abſens fuerit, munus quod ſtrenam uocant, in* Capitolium *mittant, à ſuperis optantes ipſius reditum incolumem, & maturum, & cum talis nobis hodie, in hac ſanctisſima & bene inſtituta repub. diuinitus datus ſit, qualem ex omni mortalium numero, neque ſuffragijs deligere, neque uotis optare potuiſſemus, tam fortunatus ut ſuperis non posſit non eſſe charisſimus, tam potens ut nulli mortalium non ſit formidandus, tam mitis ut nulli non ſit amabilis, tam benignus ut neminem imitatione* Titi Veſpaſiani *à ſuo ſermone triſtem diſcedere patiatur, cordatus, iuſtus, pius, clemens, & tam munificus, ut omnes præmia ſperent, & breuiter omni uirtutum omnium genere abſolutisſimus, iam non poterit dicere quis, bonorum principum imagines (ut* Claudius*) uno anulo ſculpi poſſe, ſentiens nullum eſſe bonum, cum tamen (ut diximus) is non modo bonus, uerum optimus etiam ſit, & uere uera hæc eſt principis laus, ut ſe maximum neſciat, optimum uero recordetur ſemper, quem uocat* Homerus *paſtorem,* Plato *cuſtodem,* Græci Baſilæum, Latini *regem. Aſciueruntq́; ſibi cognomina alij,* Africaniq́; *dicti fuerunt,* Aſiatici, Dacici, Germanici, Getici, Britanici, *&* Dalmatæ, *nos ue-*

ro noſtrum Pacificum à pace appellabimus. & principis ſymbolum eſſe dicemus, quale olim Cretenſes ſibi ſumpſerunt. Iouis ſimulachrum ſcilicet, aures non habens, quaſi principem deceat, nullum audire, ſed facere, quod ius, ratio, ac iuſtitia dictat, ut iſte facit, nec unquam defloratа ſit eiuſdem integritas, hæcq; alijs addita ſint, ſi quo in loco me nonnihil dixiſſe de principe etiam inuenias.

Quid ſit pictura, unde originem traxerit, qui primus picturam perpolierit, & an in ea aliquid præcipuum ſit, Quod pictori maxime neceſſarium uideatur, ut laudibus efferri, & egregij artificis manu etiam facta dici posſit. Cap. XI.

PIctura quæ nihil aliud eſt quam poeſis tacens olim tanto in precio habita fuit, ut primum gradum liberalium artium obtineret, & omnes fabri præter pictorem uocarentur, edictoq; publico amplius, Græci cauerint, ne ſerui Mancipiaq; uilia huiuſmodi, eam poſſent addiſcere. Et quia non minus mentiri ſolet, quàm poëtæ, non ab re (ut ſupra) Poeſis dicta eſt. Nam quidã tabula inſpecta in qua Lacedæmones ab Athenienſibus trucidabantur acie inſtructa dixit. ò fortes Athenienſes, quod audiẽs Lacon, in tabula reſpondit, innuens de pictura gloriari ridicu-

lum, ut pote mendaci ſicuti etiam ſunt (ut diximus) poetæ. ab hominis umbra in ſole conſpecta originem trahens tamen, quæ deinde lineis circun ductis, ſimulachrum ipſius oſtendebat, unde linearis ars poſtea, quæ graphis dicta eſt, adhuc ſumpſit initium. hisq; maxime delectabantur M. Anto*nius philoſophus,* Adrianus, Seuerus, *&* P. Æmi*lius, qui filios ſuos, pictura erudiri curabant quàmmaxime.* Et *licet ante bellum* Perſicum, Ro*mæ pictores non fuerint, floruit tamen poſtea pictura, habitiq; ſunt egregij tunc* Apelles Cous, *(is enim errata ex uulgi rumoribus (hiſtoria nota eſt) corrigebat) &* Parrhaſius *præ ceteris cognomento* Abrodictus, *quaſi delicatus & elegans, &* Protbogenes Rhodius, *cuius picture ob ipſius elegantiam parcens* Demetrius Rhodum *non expugnauit.* Edictoq; *publico cauit* Alexander, *ne quis effigiem ſuam præter* Apellem *pingeret, qua poſtea à* Caſſandro *uiſa ipſius maieſtate tremuit.* Polignotus *et* Timantes *fuere.* Et *plus quod aliquando nemo inuentus eſt, qui* Veneris *partem, quam idem* Apelles *inchoatam reliquerat, abſolueret.* Sed *primus* Conon *picturam perpoliuit, ob idq; magna præmia aſſecutus eſt.* In*uenta ſunt quemadmodum columnæ & arcus, ut eſſent locupletiſſima uirorum præſtantiſſimorum & fortitudines teſtimonia.* Alij Philoclem Ægyptium *picturæ inuentorem fuiſſe tradunt,*

cui affinis etiam eſt ſculptura, imò eodem tempore nata, ſeu inuēta, in qua Policletus artifex quoque tantum excelluit ut ceteri ipſum canona uocarent, & liniementa totius artis ſumerent. Hodie *autē admirabiles & excellentes ſunt* Thuſci, *& pictorum omnium ac ſculptorum princeps* Michael Angelus Bonarotus, *&* Bartholomæus Ammanatus, *is enim eſt qui coloſſum lapideum* Herculis *pedum* X X V. *fecit in ædibus meis tanta arte ingenio & magiſterio, ut cum antiquis ſit facile conferendus. Sed (mittentes cetera quæ à* Plinio *&* Valerio *tibi ipſi mutuabis) non ſatis eſt pictorem aut ſculptorem corporum tenus tantum laborare, niſi animi quoque ſenſus exprimant, ut idem Policletus &* Apelles *faciebant, Lyſippus &* Eufranor. *& prædicti* Bonarotus *ac* Ammanatus, *& olim* Donatus *(nanq; is eſt qui ſtatuam equeſtrem* Catamelatæ *fecit, in* D. Antonij Confeſſoris *Coemeterio, prope templum exiſtentem) qui cum mirifice aliam ſculpſiſſet, quæ nunc in ſublimi* D. Mariæ *parte,* Florentiæ *(horum enim patria eſt) poſita reperitur, uocata il* Zucone *ab ipſo met; ei colaphū impegit dicens, loquere. eſtq; occulata uirtus, quam præcipuā uel in pictura uel in ſculptura dicebat idē* Apelles, *græce* ἀγλαΐα *dicta, à noſtris uero gratia, & à poëtis denique* Venus. Et *quia de Zeuſi nil ſcriptum eſt, id ſolum addas quod picturas do*

nabat, dicens precio nummario æſtimari non potuiſſe.

Virtute nihil ſplendidius eſſe oſtēditur. Quot Virtutis ſint partes, Qui uirtute præditus, & quomodo ſapiens nunquam à uirtute ſeparari poteſt. Cap. XII.

NOn ab re Thales Mileſius, præclarum eſſe dicebat, non faciem componere, ſed optimarum artium ſtudij animum excolere, quoniam uirtute omnium rerum nihil eſt ſplendidius, aut conſtantius, quæ efficit ut abſentes adſimus, mortui uiuamuus, & cuius gradibus etiam in cælum aſcendere uideamur, Diuitiæ fluxæ & tranſitoriæ, uiciorum magis quàm uirtutis miniſtræ, tum quod ad ignauiam, etiam feneſtram aperiunt, tum quod adoleſcentes ad uoluptatem ducant, forma ſenio conſumitur, aut morbo defloreſcit; ea de re exiſtimabant ſtoici rurſum, eos beatos, qui ſola uirtute niterentur, laudandiq́; non quàm marmoreis tectis ebore & auro fulgentibus; non, qui ſignis, qui tabulis, qui argento, qui denique corinthijs operibus abundat, ſed qui uirtute ſolida præditi ſunt, quiq́; dicant malo eſſe Epaminundas quàm Iſmenias diues, & qui Fabricio potius qui nihil iſtorum habuit, nec habere uoluit, ſimiles eſſe uoluerunt, quàm Craſ-

ſo,& Midæ. Virtus inſuper, huiuſmodi eſt ut euerti nunquam poſſit, Demetrius enim phaleꝛeus, ubi comperiſſet Athenienſes imagines ſuas euertiſſe, uirtutem (inquit) non euerterunt, cuius gratia illas erexerant, uirtute præditus uero à qua nunquam ſapiens ſeparatur, quia & ipſa immobilis eſt, & uir probus immutabilis, qui ad propoſitum uitijs obnoxius non eſt, cupiditatibus imperat, libidines refrenat, ſpernit uoluptates, iracundiam temperat, auaritiam coercet, & ceteras animi labes repellit. Et ob id aurea Biantis ſententia eſt, qua filio ſuo ad Ægyptios proficiſcenti, rogantiq; patrem, quid nam agendo ſibi gratum faceret, uſum fuiſſe aiunt ut uiaticum ſcilicet ad ſenectutem ſibi compararet, uirtutem nimirum pro uiatico intelligens. Vnde Cicero in Catone, aptisſima ſunt arma ſenectutis, artes, exercitationesq; uirtutum. quæ in omni ætate cultæ, cum diu uixeris mirificos afferunt fructus, non ſolũ quia nunquam deſerunt, ne extremo quidem ætatis tempore, uerum etiam quia conſcientia bene actæ uitæ multorumq; benefactorum recordatio iucundisſima eſt. Nec præter hæc aliud dici poteſt, niſi quemadmodnm aurum ſuperat, pondere & nobilitate metalla omnia, quod ita uirtutis inſignia ſplendore ſuo cuncta alia, obſcura reddat. trahens ſecum honorem & gloriam, ut corpus umbram. Cuiq; ſimplex & incultum

quoque teſtimonium ſufficit, neque ueritas fictis rerum coloribus adumbretur, quoniam uirtus ipſa ſibi plaudit, & proprio contenta præconio, alterius theatri ſtrepitum non requirit. Inter bonos & Deũ *amicitia eſt uirtutis medio, nec aliud innuere uoluerunt* Poetæ, *de* Tantali *ſupplicijs, deq;* Herculis *præmijs, niſi uirtutem deo gratam, flagitia autem inuiſa.* Et *qui primi nobilitati fuerunt, à* Virtute *non à patria, uel à maioribus meruerunt.* Quiq; *uirtute denique ſunt clari, ac magnis in rempub. meritis illuſtres, hi quamuis ignobilibus orti ſint parentibus, pro nobilibus tamen habentur.* Verum *eſt iter ad ipſam arduum fore quidem ac diffidile, quod nec aliud ſibi uult* Scylla & Charybdis, *ſed gloria ſanè (uirtutis fructus) perpetua, uſque adeo ut nulla æui diuturnitate posſit obliterari.* Idem Hercules *adhuc ſpreta uoluptate uirtutem amplexatus eſt, qua comite* Diuus *factus, diuinos etiam ſibi comparauit honores.* Omniaq; *uirtuti non autem fortunæ, quæ ipſius æmula eſt,* Timotheus Athenienſis *uir conſilio, ac rebus geſtis clarus tribuebat: quam coli amplius poeta ſic iubet,*

Vt *colitur pax atque fides, concordia uirtus.*
Dicta *inde à uiro, quod uirum maxime honeſtet.* Imò *quod coluerunt eam quoque* Romani *homines, quodq; eidem primo conſulatu ædem uouit* Marcellus, *filius uero ad* Capenam *portam dedicauit.*

cauit. Et breuiter uirtutis partes quatuor ſunt, ſi maxime perfecta cõſummataq́; fuerit (cetera undiq; eiuſdem præconia tibi ſumminiſtrabit Cicero, quæ ſcribere ad longum breuitati conſulentes noluimus) prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia. Prudentia in humanis uerſatur rebus, conſultatioq́; eſt, à ſapientia diſtans, quæ primas cauſas conſiderat, primaq; principia, iuſticia unicuiq́; tribuit quod ſuum eſt, fortitudo res expetit magnas, & humilia contemnit, Temperantia uero docet nos à libidinibus abſtinentes eſſe. Spectanda igitur uirtus eſt, & ad præclariſſimas res gerendas intendendus animus, de uita uero non magnopere curandum.

Quod Puteus reputatur ſacer, De aqua eiuſdem quadruplici, An corrumpens aquam putei teneatur, et an Collecta imponi poſſit pro puteo reparando ſeu repurgando, & quod breuiter ſcientiæ ſymbolum eſt. Cap. XIII.

QVamuis puteus ſacer ſit, quia Chriſtus D. noſter, in Samaria ſupra ipſum ſederit, & quia (ut noſtri dicunt) ſacrum eſt, quod tangitur à ſacro, huiuſmodi tamẽ erat etiã opinione ueterum iuxta illud,

Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.

Et ob id non ab re factum eſt quoq; , ut ad puteũ

fugientes ſicuti uel ad principis ſtatuam, uel ad ueſtem, uel ad focum alterius eſſent tuti, ut hodie uel ad ſacerdotem Chriſti corpus deferentem, lege chriſtiana, uel ad eccleſiam, nec fas eſſet inde aliquem abſtrahere. Vnde uidens *aliquando hinc* Diogenes, *fugitiuum ſeruum ad puteum ſedentem, dixit,* Adulefcens *uide ne excidas, ex uerbo ambiguo iocatus, quandoquidem excidat, qui in puteum cadit, & qui de loco pellitur.* Sed *quia myſterium puteus eſt, & aqua quæ ex puteo hauritur non aliud, qua purgamur diuinam rem facturi, ex a & qua compoſita, quaſi aqua uiuamus, & graue admodũ cuiquam aquã interdicere ſcias, cum* Attica *regio nõ abundaret olim fluuijs aut fontibus* Solonem *ſtatuiſſe, ubicunq; eſſet puteus, quod eo omnes uti communiter poſſent, intra* ἱππικὸν *quod ſpatium quatuor ſtadiorum erat. teneriq; eum qui aquam corrupiſſet, interdicto quod ui aut clam.* Et *fore aquam fidei alias, charitatis, miſericordiæ & pœnitentiæ.* Et *ſi de puteo reparando ſiue repurgando ageretur, quod collecta imponi poterit uicinis, quodq;* Dominus *pro portione tenebitur, non conductor.* Et *quoniam* Cleantes *in puteis ſe exercebat ad haurien das aquas, forte ſcientiæ ſymbolum ſignificare rurſum dicemus puteũ, quæ ſuapte natura in pro fundo ſita eſt non in ſuperficie nec in propatulo, ſed in abdito, quæque nec facile, ſed uix multo la*

*bore inuenitur.id quod. uideamus non ſolum in magnas obſcuraſq; contemplationes, uerum etiã in uiliſſimis.*Imò *quod foſſores aquam negãt inuentam,quoniam ſcientiarum fines, non modo in euentu ſunt difficiles,uerum etiam nunquam inueniuntur.*Eſt *etiam* Puteus *humanæ iniquitatis profunditas,in quam caue ne incidas, quia ſi in eam cecideris,non claudet ſuper te os ſuum.*Et *ſi dixeris,*De *profundis clamaui ad te* Domine, *euades.*Dictuſq; *eſt* Puteus *à potando, & à puteis* Puteolis, *quod aquæ multæ ſint eo in loco, cum frigidæ,tum calidæ,uel à putore,quod putidus ſit, ibiq; cadauera proiecta puteſcant.* Alij *alia,ſed hæc de puteo ſint ſatis.*

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi,

POLYMATHIAE

LIBER VNDECIMVS.

QVOD VOLVPTAS EST MAxime inimica uirtuti, inſatiabilis, malorum eſca, abiecta,& imbecillium animos corrumpens,& breuiter quod eidem imperandum eſt, non ſeruiendum. Cap. I.

QVONIAM Voluptas, eſt uirtuti maxime inimica, imitatrix boni, ſed eſca inſatiabilis terminum non habens, & mater malorum omnium, cuius blanditijs corrupti nõ cernunt ea quæ natura bona ſunt, ex quo honeſtæ res, hac dulcedine carent,& ſcabie, fugienda eſt, ınq; genuinam natiuamq; uirtutis pulchritudinẽ pergendum, hæcq; intuenda donec amore ipſius correpti trahamur tanquam à magnete, & ut attracti cũ ea adamata cohæreamus. Poetæ enim quorum figmentis pulcherrimis humana inſtruitur uita, Proteum deſcribẽtes, maris Deum, Phyſica rationem hanc ſubeſſe putarunt, quod homo in uoluptatibus,

ſtultitiam, ferocitatem, & dolum habeat, quodq; dum inuicem in eo uigent, efficiant ut pars diuinitati proxima, quæ eſt prudentia nō appareat, ſicuti nec Proteus, *qui ſe ſe in uarias mutare ſolitus erat formas, ut* Homerus *&* Virgilius *cecinere, & oratores inſignes maxime* Herodotus, *&* Diodorus, *& quod denique tunc ſuas tenere uideatur uires, cum illa fuerint uirtute religata, ideſt cum omnibus ſanè uitijs caruerit.* Voluptas *rurſum infructuoſis affectuum ſpinis, uberem rationis ſegetem necat, hominumq; mentes aſſuefacit morbo, nō autem liberat.* Ita *ut (quemadmodum* Cicero *dicebat) uox illius qui ſummum bonum eſſe dicebat, ex his, non hominis ſed pecudis fuerit potius.* Breuis *(Poeta teſte) quæq; mille parit luctus, milleq; doloribus extans.* Sperne *igitur uoluptates (ait idem) nocet empta dolore uoluptas.* Imò *quod ex ſe non modo malum eſt, uerum etiam quia (ut diximus) multa alia parit mala, iniurias, deſidias, obliuiones & id genus plura.* Venenum *trahit ſecum, mel primo præbens, poſtea aculeum ut apes, nec ab re Cynicus dicebat,* Malo *inſanire quàm uoluptate perfrui, contra uero alius, malo eſſe inter mulieres, quàm inter philoſophos, cui* Pythagoras *ſcite admodum & prudenter, et ſues quoque potius in cœno quàm in aqua uolutantur. ſentiens nullum hoſtem eſſe tam in quenquam contumelioſum,*

quam in quoſdam ſua propria ſit uoluptas. Quæ cum hominem arripuit ſubmergit penitus. Adijcientes *præter hæc, nec aliud ſibi uelle* Circis *fabula ueneficijs homines in feras uertẽtis, niſi eos qui nequaquam ratione ducuntur, ſed totos ſe dediderunt turpibus affectibus, iam præter hominis uerbum, nihil hominis habere, ſed (ut paulo ante dictum eſt quoque) ad pecudum degeneraſſe naturam, libidine in urſos, ignauia in ſues, ferocitate in leones, atque item de ſimilibus. unde diuini artificis prouidentia uirtus nobis propoſita eſt, quæ cum uoluptate ſemper, tanquam cum domeſtico pugnaret hoſte, & cum ea nihil ſit abiectius, imbecilliumq́; animos corrumpat facile, balatronesq́; dicantur, quaſi probro, qui uoluptatibus dediti ſunt, & ex hominibus fiant aſini eiſdem ſanè imperandum eſt non ſeruiendum.*

Quod rex ſanctus dicitur, Quodq́; uiolari non debet, Quo anno ungendus ſit & coronandus, Quam auctoritatem habeat in regno, Quæ præcepta ei neceſſaria ſint, Deq́; *regno* Franciæ *multa.* Cap. II.

QVoniã *rex ungitur ut ſacerdos, ſanctus dicitur, nec debet ullo modo uiolari.* Imò *quod foret impium hac de re nefarium*

ac irreligioſum, & unctio hæc coronatioq́; neceſſaria maxime anno ætatis XIIII. tametſi aliqui XII. & ante XIIII. uncti alias ac coronati fuerint, præſertim Salomon, beatus Lodouicus, et Carolus octauus Francorum reges, ex quo tempore ad propoſitum plenam & liberam regni adminiſtrationem conſequitur. Iurat item in coronatione iura regni tueri, coronæq́; honore illibatum ſeruare, & plus quod maiorem auctoritatem habet rex in ſuo regno, quàm imperator in imperio, ex quo fit ut id ad hæredes trãſmittatur, hac ratione, iſtud uero non, uolueritq́; Chriſtus D. noſter & Saluator rex appellari, & non imperator, iuxta illud, Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam. Rex regum, & Dominus dominantium, ſolus habens immortalitatem, & lucem inhabitans inacceſſibilem. pluraq́; huiuſmodi ſunt non referenda breuitatis gratia, & fortuna regia inter mortales ex omnibus nulla inueniatur, præſtantior, quæque Deo eſſet proximior, & ſimilior. & communiter dicatur, Cor regis in manu dei eſt. Perſæ præter hæc ſuos reges uti deos colunt. Quos priſci etiam indigetes appellabãt, quaſi inter deos agentes. Athenienſes Iouis filios, cumque dijs enumerat eos Heſiodus, non igitur rex (ut paulo ante

dximus) ſanctus erit? Demetrius Antigoni filius expugnatoris cognomen ſibi arroganter aſſumpſit, Ariſtides, uero iuſti, illum acriter Plutarchus reprehendit, iſtum laudat & extollit, quandoquidem conueniat maximo regi ut Deo iuſticia, & urbium conſeruatio, expugnatio autem & iniuſticia dæmoni, & ſi dixerim etiam numinibus curæ eſſe, regum educationem, non errabo, cum à lupa Romulus olim, à cane Cyrus, & Abidus à Cerua fuerint nutriti. & ob id agat rex neceſſe eſt rurſum quæ ſuo nomini conueniant, ſibiq́; ſit documento, quod Perſæ Darium inſtitorem appellabant, quia tributa inſtituebat, Cambiſem Dominum quia aſper, Cyrũ uero patrem, quia facilis, & in ſua ſemper uirtute perſiſtat, atque ſi mentis immotæ, & aduerſa omnia frangat, ſicuti ſaxa & ſcopuli, qui undas retundunt. Sudet præterea ſicut medicus languentis non ſibi, ſed utilitati eorum quibus imperat, prodeſſeq́; ſtudeat omnibus, ſicut ſol omnibus lucet, id unum præ oculis habens, ædificia patentiores feneſtras habentia illuſtriora reddi, & caueat ſupra modum ne aures adulatoribus præbeat, ne ue deterior fiat, ſeq́; tanquam in ſpeculo intuatur, & fabellam apologeticam conſideret, auium & cuculi, & breuiter uigilantia præſtet, ingenij uires intendat, diligentiam non prætermittat. Studijs mentem adijciat, quæ ſibi ornamen-

to & uſui futura ſint. Sententiam plurimi faciat, eorum qui prudentia excellant. uiros doctos ſibi uendicet, ſuperiorum ſe æmulum exhibeat, iniquum ducat deteriores, melioribus imperare. Ciuitatem amore & pietate complectatur. Turbam colat popularem. Beneuolentiam populi ſibi conflet, optimos ex omnibus magiſtratibus præficiat. optimas excogitet leges, easq; ciuibus ponat quæ iuſtæ ſint, quæque lites & controuerſias penitus tollant, non diſcordias nutriant. Artes & opificia quæ utilia ſint inducat. Iure & æquitate iudicet. Res ſimiles disſimilibus, iudicijs nunquam. Ciuitatem adhuc ceu paternam domum gubernet. Magnificentia declaret, maxime in amicis beneficio comparandis. religionem ſeruet, tutisſimam ſui corporis cuſtudiam, non in muro, ſed in amicorum uirtute poſitam eſſe arbitretur. Domeſticas ciuium copias, non negligat, & ueritatem colat, conſtans ſit in pactis conuentisq;, ſeruandis. Nihil in quempiam iratus ſtatuat, in publicum prodeat, hominum plectatur errata. Alienum non appetat, Mores ex omni parte componat, liberos uirtutis potius quàm diuitiarum & opum locupletes hæredes relinquat. Corporis cultu ornato utatur. Si quid ſerio dicendum eſt, id accurate penſitet, & clarorum uirorum res geſtas denique æmuletur. Et quia rex Franciæ non recognoſcit

aliquem in ſuperiorem,nec de iure nec de facto, omniumq́; regum eſt ſupremus, dicam pro complemento aliqua,& potiſſimum quod Attica lingua, Franci, feroces, duri, ac fortes dicuntur. quandoquidem ad Mæotidas paludes Valentiniani Imperatoris edicto pugnauerint contra Alanos, eosq́; ex eo loco expulerunt. Sic Franci uocati, qui tamen prius erant Sicambri. ſeu Franci (ut alij dicunt) à frangendis erroribus. Franci quoque criniti appellati fuerunt, à Crinito Clodij filio; & francorum reges, Merouinghi, à Merouingo rege. habueruntq́; originem à Troianis, & qui Theotonicis commixti fuerant proprie franci appellabantur, quiq́; per connubia à Gallis progeniti francigene, & Galli. Vel dicamus quod à Gallo fluuio quem incolunt dicantur, hi ſunt ciues Romani, habentq́; iura ciuium Romanorũ, & ita in Francia ſeruatur de facto, & præ ceteris duo ſcitu ſunt digna. Vnum quod Franci tanta ueneratione regem colunt, ut pro eius dignitate conſeruanda non opes tantum ſed uitam ipſam profundere non dubitent, alterum eſt ipſi regi licere, quod libet in magiſtratibus creandis, ſed Antigoni exemplo, id ſibi tantum licere putat, quod rectum honeſtumq́; eſt.

ſilentio laudatur Deus, Quod ornat mulieres & longe magis Pueritiam, Quando gratum ſit, Quid ſit ſecundum nos ſilentiũ imponere, Quod eſt tutum ſemper, & prudentia homini impudenti, & quale denique ſymbolum olim ipſius eſſet. Cap. III.

SCio me de Silentio multa alibi quandoq; dixiſſe, ideo nunc breuis ero, adijciens iam dictis aliqua tamen, & præſertim quod ſilentio laudatur deus, puroq; animi affectu, non ſermone uocali, qui non ſatis ei accomnmodatus uidetur, quodq; ornat mulieres, natura garrulas, & longe magis pueritiam. Gratũ ſanè nobis poſt lõgas diſputationis ambages, ut requies feſſo poſt lõgũ iter. & prudentia homini impudenti. prudẽtis adhuc ſi ſpontaneum fuerit, imprudentis uero, ſi ei imponatur. ſed hic ad propoſitum habe, (ut noſtri aiunt) quod ſilentium imponere, eſt audientiam denegare. Tutum alias ſemper, nec prius ſermo ad linguam ueniat (ut inquit Bernardus) quàm ad limam. Quies & abdicatio proprie uoluntatis. Quod etiam Monachalis regula dictat. Si maxime peritiam non habeamus eius rei quæ explicanda ueniat. Megabizus enim picturas quaſdam tenues, & minime artificioſas commendabat alias uero ſtudioſe elaboratas improbabat, & à pueris colores terentibus in officina

Zeuſis deriſus eſt. Taceat igitur quis, ſi de re ad ipſum non pertinente interrogatur, ueluti ab impio, quid ſit pietas. Sigeum ſilentij ſymbolum eſt. Et ſimulachrum (mitto Harpocratem & Augeronam) Teſtudo, id enim Gnathena meretrix loquaci non aliud eſſe docuit, moleſtiam ſibi in conuiuio afferenti, hæc uero cum cella quadam proma affatim ſuggeratur. Ob ſilentium Diuus Thomas Bos mutus olim eſt appellatus, ut nobis tacendi documentum foret, licet poſtea illius mugitu totus contremuerit orbis. Et quanquam hæc omnia uera ſint, dicunt tamen noſtri adhuc quod ſilentium non dat titulum. Quod ex ſilentio dolus arguitur. Imò quod non debet quis Lupo ueniente, ſe ſub ſilẽtio abſcondere fugiens. Canesq; muti latrare non ualentes reprehenduntur. Et dicit Dominus Eſaiæ, Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta uocem tuam. Tempus igitur tacendi eſt, tempus eſt loquendi, hæcq; præter alias dicta ſatis ſint in præſentia.

Quod teſtamentum formaliter unum eſt, materialiter plura, An ſicut coram teſtibus ſeptem fit, ita poſſit etiam reuocari, eſto quod aliud non fiat, & an ſint caſus in quibus ſine dicta ſolennitate ordinari ualeat. An indiuiduum dicatur, Quotuplex ſit, & quomodo manu teſtatoris factum appelletur. Cap. IIII.

Teſtamentum quod à teſtatione mentis di-ctum eſt, & iuſta ſententia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uoluerit cum hære-dis inſtitutione, formaliter unum eſt, materiali-ter tamen plura, eorum reſpectu quæ in eo con-tinentur. & communiter dici ſolet (ipſaq́; expe-rientia docet) quod duo ſunt genera, unum in ſcri ptis, aliud uero nuncupatiuum, à nuncupatione & ſine ſcriptis. Illud *à iure prætorio inuentum eſt, &* Holographum *appellatur, iſtud uero in-troduxit ciuile.* Quod *teſtium ſeptem ſolennita-tem requirit, quamuis tamen in multis fallat ca ſibus, ſi teſtator ſit miles, ſi teſtamentum fiat co-ram principe, rege, regina & ſimili, ſi inter li-beros, ſi à ruſtico, ſi* Venetijs *ex conſuetudine ta-men, ſi progenies ſolita ſit certo modo teſtari.* Si *ſæuiat peſtis, ſi teſtator ſit in caſtro ad quod ac-ceſſus non pateat. ſi ſit princeps, uel peregri-netur.* Et *plus ad idem quod alieno ſigillo, etiam ſignari poteſt, tametſi non dicatur quodq́; cenſe-tur indiuiduum, ciuili tamen iure, non de æquita-te iuris gentium.* Nec *ſolennitas hæc ſicuti nec ſupra dictis caſibus deſideretur apud turcas, quoniam coram duobus teſtatur tunc ibidem chri ſtianus.* Et *ſicuti coram teſtibus numero ſeptem fit, ita eadem ſolennitate reuocatur; etiam quod aliud non fiat.* Haud *omittentes quoque quod te-ſtari eſt iura ſapientum hominnm tractare, ita*

ut Pupilli, furioſi, mente capti & ſimiles, hoc ius non habeant hac de cauſa. Vel fuſius dicas ſic, quod quandoque fieri prohibetur ex defectu poteſtatis ſi ſit filiusfamilias, Monachus, ſeruus & obſes. Interdum mentis, ſi impubes, furioſus, mente captus & prodigus. Aliquando ſenſualitatis, ſi cæcus, mutus, et ſurdus. Et pœnalitatis denique ſi damnatus ad mortem, deportatus, lapſus in crimen, & ſimilis fuerit. Et ſi coram ſeptem teſtibus dixero, nolo meum primum teſtamentum ualere, quod non propterea erit reuocatum ſimpliciter, lapſu annorum decem autem ſic. niſi dixiſſem rurſus, uolo decedere inteſtatus, quoniam tunc absq; alio reuocatum eſſet. Teſtamentum adhuc res fauorabilis eſt, & uia teſtandi ceteris honorabilior & de iure naturali, licet forma à iure ciuili poſtea introducta fuerit, quæ ſeruanda eſt, quia dat eſſe rei, & ubi non ſeruatur, actus communiter eſt nullus, & ruit funditus.

Quod uulgi iudicium contemmnendum eſt, et inter malas Beſtias connumerandum, Quod fex plebis eſt, quod bonos ſemper odit, & ſui ſimiles amat, deq; uulgo ut ſuccurrerit multa. Cap. V.

QVoniam populari multitudine nihil inſipientius, inſolentiusq; eſt, ſine conſilio enim præceps, torrenti flumini ſimilli-

ma ruit iudicium eius contemni debet. Imò *quod uulgus cõnumeratur inter malas* Beſtias.*quodq́; fex plebis eſt quæ ſemper bonos odit, ſui uero ſimiles amat & diligit.ex quo* Naſica *à ſenatu optimus iudicatus ob id repulſam bis paßus eſt.*Coriolanus,*Camillus,innumerabilesq́; alij,honeſtiſſimi ciues contumelijs à populo affecti.*Ariſtides *cognomento iuſtus hoc ſolo proſcriptus.*Socrates *mulctatus morte, non modo hominum conſenſu, uerum etiam* Apollinis *oraculo ſapientisſimus exiſtimatus.* Et Alcibiades *qui tantum tamen patriæ profuit,exul & pauper extinctus.* Vulgus *rurſum fabuloſas orationes libenter audit, imò libentius,quàm ſalutaria præcepta.* Calumnijs *facile credit.* Peſſimus *rei bene gerendæ auctor.* Qui *pauca e ueritate iudicat, ex opinione uero multa.*Amicitias *utilitate probat.* Damnat *quæ neſcit.& breuiter in eo non modo non eſt ratio, non(ut diximus)concilium, non moderatio, non diſcrimen aut diligentia, uerum etiam improbi plurimi,& ut quiſque audacisſimus eſt, ita plurimum gratia,& auctoritate pollet. & qui gratum facere uulgo ſtudet non utilisſima, ſed nugacisſima quæque dicat & faciat,quia nullam excellentiam æquo animo ferre poteſt. nec mente utitur ſed abutitur,iudiciaq́; eius turbulenta,& omnino inconſiderata.* Ideo *prudentes ſtultitiæ ipſius ſeruire non debent, nec pecorum ritu ſequi*

antecedentium gregem. pergentes non quo cunctum eſt,ſed quo itur.hinc uulgarem ſubſtitutionem,& quæſtionem noſtri appellarunt. ideſt uilem,& quam quilibet ex uulgo facit. Et uulgarem uxorem ex uulgo.Et uulgarem actionis formulam ad exceptionem.Et uulgare pactum.& filium uulgo quæſitum qui non naſcitur ex iuſtis nuptijs. & uulgarem clauſulam.quodq; uulgaris actus à iure improbatus eſt,ſi non producat effectum legitimum.& uulgare quid,ideſt illiberale, ſi pater unum,filium fecerit, alium uero priuignum,quandoquidem ſit inter eos ſeruanda æqualitas.& licet prædicta omnia uera ſint, audi tamen unum quod tibi pro complemento non diſplicebit.Quod olim ſacro ſanctum quid minime fieri poterat,niſi eſſet à populo plebeq; uili ſacratum. Dicũtq; rurſum noſtri,Damnum ſterilitaem inducens,ſecundum uulgi opinionem æſtimari debere.Nec exempla repetentes longius in legibus condendis quod olim ratæ non habebantur, niſi ad populum latæ,per præconem prolatæ,iuratæ, receptæ,in foro propoſitæ, ac in ærarium etiam conditæ fuiſſent.

Licet

Licet (ut uulgo dicitur) Vinum lætificet cor hominis, ab eo tamen eſt abſtinendum, Quod audaces facit bibentes, A quo inuentum ſit, Qui mos olim euntium cubitum, deq; uino multa. Cap. VI.

Eſt uerum quod uinũ cor hominis lætificat, quodq; ad ſacerdotium promoueri non poteſt, qui uinum non bibit, quod amicitiam & fœdera firmat, & quod maioris nutrimẽti eſt, quàm caro, attamen à uino abſtinendum reor immoderate ſumpto, quoniam uinculum eſt quoddam; ſeruitus dura, & luctator doloſus, eoq; ſapientia obruitur, ingenium obumbratur, uigor animi impeditur. & breuiter ipſius comites ſunt, non aliud quàm riſus & inſania. Qua de re non mirum eſt ſi Claudius Tiberius Nero etiam ob uinolentiam Biberius diceretur. ſiq; uinoſi non ſunt ad conſulendũ idonei ſed ſobrij tantum. Et quod uinculum ſit luctatorq; doloſus ex eo conſtat, quod (ut experientia docet magiſtra rerum efficax) pedes captat primum, eosq; ſemper in lubrico figit ebrius. & quamuis rurſum in conuiuio liberius loqui liceat, nec Vinum (ut eſt in prouerbio) clauũ habeat, audaces præter hæc tamen facit homines & iracundos, uſque adeo ut Baccho cornua tribuantur, reſponderitq; aliquando, iactanti cuidam Ariſtippus, quod multum biberet, nec in-

ebriaretur, nil magnum ſane dicere, cum idem etiam quotidie faceret Aſinus. Vinum cicuta eſt, homini uenenum. Sanguis terræ, et huiuſmodi tandem, ut Arcades eo ueluti rabie quadam acti rapiantur. In Achaia aboriãtur mulieres, Troezenæ ſterileſcant, & ſomno denique Thaſij capiantur. Ea de re caueamus non quemadmodum ille in Comœdia bene potus exclamauit, Vicit uinum quod bibi, ſic dicamus, ſed temperantiam potius & ſobrietatem prædicemus. & Turcas immaniſsimos admiremur, quibus Mahometes uinum interdixit prorſus, putans eius uſum, illis perniciem allaturum. Vino quoque Cathaginenſes abſtinebant. & Romanæ mulieres pariter. Quod tamẽ Lucanæ maxime diligũt. Nec uino Cereri aut Bone Deæ ſacrificabant ueteres. Probro obijcientes potius his qui uino ſuffocabantur, quod Anginas uinarias eos appellabant. & ni fallor dum uinum habemus in ſcypho in noſtra eſt poteſtate, dum in corpore, nos in illius. inuentumq; à Noe inſuper qui græce etiã Enos dicitur, et Ænotria Italia tellus uini feraciſsima. Quid, ad propoſitum, quod inter dona lactis ſæpius, non uini, ſextaria data legimus. Quodq; L. Papirius Imperator aduerſus Samnites dimicaturus, uini pocillum tantum uouit ſi uiciſſet. Vinum iuſtitiæ ſymbolum eſt, ſicuti oleum Miſericordiæ. Et olim inoleuit mos ut cubitum euntes uinum libarent Mer-

curio, eiq; ſacrificarent uictimarum linguas. & quia uini quæſtio, ſæpe eſt apud nos, ſcias adhæc etiam uelim quod eiuſdem uenditor Oenopola uocatur, quod perditur infuſa aqua, & quod Gallicum nec aquam fert pariter nec ætatem. & ſi ad menſuram uendatur; (ut noſtri aiunt) quod periculũ eſt uẽditoris, ſi in ſpecie emptoris, præterquam in caſu, ſi in ſe periculum ſuſcepiſſet uenditor, ſi per eum ſtetiſſet ne deguſtaretur, ſi aſſeruiſſet bonitatem duraturam, & ſi deniq; ſciuiſſet non duraturam, nec denunciaſſet. & primos in Alpibus ruſticos, cados ligneos circulis cinctos, (ueteres enim teſtis dolijs fictilibus uina ſeruabant) excogitaſſe.

Veſtis indumentum eſt utile, quod excogitauit neceſsitas, Quod talis quis præſumitur, qualem indicat Veſtis, Quot ueſtiũ genera ſint, Deq; toga & prætexta nonnihil. Cap. VII.

VTile indumentum ueſtis excogitauit neceſsitas; preciosum, luxus; elegans uanitas, & propterea talis quis præſumetur qualem ueſtis indicabit, unde uulgo ſic etiam dici ſolet;

Vir bene ueſtitus, pro ueſtibus eſſe peritus
Creditur à mille, quamuis Idiota ſit ille.
Si careat ueſte, nec ſit ueſtitus honeſte,
Nullius eſt laudis, quã ſciat omne quod audit.

Veſtiũ genera plurã(de pulla,militari,Dibapha, lato clauo, Diptheria, & apoſtolica, nihil dicemus, ex quo alibi ſatis diximus) nanque equitaturo conuenit breuis, quieſcenti longa; æſtate tenuis, hyeme denſa, & hæ duæ à Calen. Aprilis uſque ad Calen. Septembris, è contrario durant,& ſicuti pallium erat Sabinorum,Caſtacca Græcorum,Maſtruga Sardorum,Aulæa Brittanorum, & Strigium Hiſpanorum, ſic erat toga, prætexta, & Bulla Romanorum. Toga tamen cõmunis omnium,prætexta nobilium. erat etiam penula, qua qui ciuitate donabantur, ut Pauli apoſtoli pater, cohoneſtari ſolebant. Palmata quæ in pace & uictoria parta triumphantis erat ornamentum, purpureaq; & auro intexta Iouis tunicæ perquam ſimilis. tametſi alij inter triumphales ſcutulatam, phrygiatam, ſurculatam,undulatam, & clauatam quoque annotauerint. Non omittentes rurſum, quod Punicea in bello lacones utebantur. ſiue quod ſanguineus coloris rubor plus terroris incutiat bellorum imperitis, uel ne protinus conſpicuum eſſet hoſtibus, ſi quis uulnus accepiſſet ſed utiliter lateret, ob ueſtem ſanguini ſimilem. quodq; religioſi alba indui deberent, quaſi uitæ ſanctitate ſplendeſcant, apoſtolorum exemplo, qui dealbati appellantur. Sunt etiam ueſtes uiduales(ut noſtri dicunt)quæ fiunt ab hæredibus uiri uxori. quæq; luctu depoſito

reſtituuntur. & ad idem ſciendum eſt, ſi marita tum nolit lugere, quod non erit propterea infamis, & hoc ſi ita ſe habeat conſuetudo loci. Vel ſic diſponat teſtator, alias non eſt onus haeredum; & minus ſi uxor relicta ſit uſufructuaria omniũ bonorum, quia ipſa ſibi facit, ſeque etiam alere tenetur. aliæ ueſtes & anuli, quæ ſeu qui, ſunt in quotidiano uſu, mortuo uiro non repetuntur, ſi uiles tamen fuerint, precioſæ autẽ ſic. & ſi mandet teſtator filijs, ut matrem honorifice tractent, modo & forma ut ipſe uiuens faciebat, non propterea alia quam uidualia ueſtimenta, et congruentia quidem ei debebuntur. & quia religioſorum mentionem fecimus adde nunc, quod qui tangit ueſtem ipſorum, tangit utiq; etiam perſonarum. quodq; ornatior debet eſſe Abbas quàm Monachus, quàm Conuerſus; & ſacræ paginæ magiſter, quàm alius ſacerdos inter fratres. & diſtingui denique Iudæi à Chriſtianis, ueſtibus, licet de iure non ſeruetur, ſed aliquo ſigno tantum ut hic & Romæ, & ut intellexi etiam Galliæ, & (quod in materia præcipuum eſt) ueſtibus quem non eſſe probandum, ſed à uirtute & animi dotibus. & licet (pro complemento) dixerit Petrus, quod dimittebat omnia, non tamen dimiſit ueſtem. Qua nihilominus priuari debet bonis cedens, & excuti uſque ad baculum & peram. eoq; magis qui ultimo ſupplicio afficitur,

quia reatus honorem excludit, & uulgo dicitur. Hunc decorant homines, quem ornamenta decorant.

Græci facete dicta σκώμματα *uocant, & eſt dicacitas ſiue ſermo, qui cum riſu aliquos prouocat & laceſſit, Quiq; plerunque auaritiam, nonnunquam luxuriam, ſæpe adulationem & ſimilia, ioco potius quàm ſerio taxat.* Cap. VIII.

ET *ſi dixerimus aliquando nonnulla, ſupra, quæ ad iſtud ſcommatum genus conueniant, ſuperſunt nihilominus aliqua etiam dicenda, paucula tamen, quæ quaſi ſuo in loco ſita ſint nullo modo nunc à nobis prætermittenda, & præſertim quod* σκῶμμα *eſt dicacitas ſiue ſermo, qui cum riſu aliquos prouocat & laceſſit. aut (ut* Macrobius *ait) dictum figuratum urbanitate tectum, quod mulcet extrinſecus, intus uero plagã quandoque inijcit, quale illud bubulci* Veſpaſiani*; qui iam ſenex, cũ poſt adeptum imperiũ ab eo libertatẽ nõ impetraſſet, exclamauit ipſius auaritiam taxans, uulpis pilum mutat & non mores.* Is *etiam cum ex urinis & lotio uectigal commentus eſſet, & à* Tito *filio reprehenderetur, pecuniam ex prima penſione ad eius naſum admouit, ſciſcitatus num odore offenderetur, illo negante, atqui (ait) è lotio eſt, odorq; lucri bo-*

nus ex re qualibet. Cui probro tamen datum fuit non modo hoc, uerum etiam quod reis abſolutiones (adeo perditæ erat auaritiæ) uenditauerit. Malum longe ceteris deteſtabilius, à quo alia omnia pendent ut fuſius ſuo loco dictum eſt pariter. Demoſthenes *quoque à* Mileſii *legatis corruptus,* Anginam *ſe pati dicebat collo lana obuoluto,* Athenienſibusq; *oſtenſo quaſi loqui non ualeret, cui unus è populo reſpondit, non* Anginam *pati, ſed argentanginam ex uerbi* Etymologia *iocatus. & ſi quid eſt, quod annotatu dignum referri posſit, poteſt & illud egregium* Ciceronis. *Nam ipſi teſtem roganti, in iudicio* Verris *dixit* Hortenſius *defenſor. hæc ænigmata non intelligo. cui ſtatim* Cicero, *intelligere debes tamẽ, cum* Sphingẽ *domi habeas (ænigmata enim* Sphinx, *apud* Thebas *interpretabatur) ad* Sphingem *æneam mane pecuniæ alludens, quam à* Verre *habuerat.* Vrbane *adhuc in* Cœlium *melius deferentem quàm defendentem crimina dixit aliquando, bonam dextram habere, ſiniſtram uero malam, quandoquidem hac clypeum quo etiam defendimus illa uero gladium teneamus, quo uulneramus.* Nec *minus pulchrum illud,* Pyratæ *ad* Alexandrum *fuit iudicio quidem meo, qui cum perductus eſſet ad eum, et interrogatus cuius rei gratia mare haberet infeſtum, reſpondit cur tu* Alexander, *orbem terrarum? maioris latrocinij*

ipſum inſimulando, quàm poſſet ſuggillari is qui unico tantum nauigio res alienas inuadebat. Pulchrius aliud Bionis ad eum qui fundos ingluuiæ uorauerat cum dixit: Terra Amphiaraum abſorbuit (hiſtoria nota eſt) tu uero terram. Pulcherrimum autẽ omnium cuiuſdam cauſam agentis, cui cum gibboſus eſſet & diceret iudici, corrige me ſi quid eſt quod reprehendas, iudex dicaculus dixit, Ego te monere poſſum non corrigere, idq; ſi oportuerit quàm libenter faciam. Ariſtippus Cyrenaicus rurſum, cum Dionyſium pro amico exoraſſet fuiſſetq; repulſus, ad eius pedes corruit dicens, cum hoc ipſum ſibi uicio daretur, non ego ſum in culpa, ſed Dionyſius qui habet aures in pedibus. Mitto quod quis nonnunquam, dicenti ſibi, quid latras? reſponderit, quia furem uideo. & libellũ timidius offerenti, putas ne te aſſem elephanto dare? & Auguſtus à tenuiſſima cuiuſdam cœna rediens, iocoſo murmure, tam familiarem me tibi non putaram. Pluraq; huiuſmodi eſſe non aliter ſcribenda, quia pleni ſunt libri; & adeo quidem, ut uela cõtrahere, & finem facere cogar, iam iam multitudine rerũ, in hiſce contentarum ita fatigati, ut ſi quid addendum ſupereſt, id lector (æqui boniq; conſulat prius) à ſe ipſo ſibi ſumat, oſtenſa huc uſque uia ex his quo eundum ſit.

Quod Statuæ nullæ antiquitus erant in templis, quòd uiris clariſſimis, deq́; rep. optime meritis in roſtris collocari ſolebant, ad quas confugientes quoque erant tuti, An fuerint aliqui qui ſibi erigi uetuerint, & quod inania denique ſimulachra ſunt ſcriptorum comparatione. Cap. IX.

NOn ab re antiquitas (ut memoriæ proditum eſt) in templis nihil pictum uidebatur, nullæ ibi erant ſtatuæ, quia nulla ſpecie aut forma etiam Deum effingi poſſe credebãt. Quod Turcæ maxime ſeruant, qui templa ipſorum lingua Meſchit appellata, omnia dealbata habent, nec in eis pariter aliud, quàm uerba hæc lingua Arabica inſcripta leguntur, La Illah Hellah, quæ ſonant, non eſt Deus niſi unus. Nos uero contra, quia quod legentibus ſcriptura, hoc & idiotis præſtat pictura cernentibus, & dicit hinc Gregorius Pontifex Seruio epiſcopo Maſſilienſi ſcribẽs. quod in ipſa ignorãtes uident quid ſequi debeant, quodq́; in ipſa legũt qui literas neſciũt, & quod denique gentibus, præcipue pro lectione pictura eſt. & Origenes quod qui uiderit imaginem alicuius, uidet eum cuius imago eſt. & certe mos laudatiſſimus uidetur, & inſtitutio omni commendatione digna, & quos perennes & uiuos habere uidereq́; non poſſumus, ſaltim

recordatione, & imaginibus contemplemur, ac fruamur, quoniam (ut idem Gregorius *ex ſexta Synodo ait) imagines deos non appellamus neque ſeruimus eis ut dijs, neque ſpem ſalutis in eis ponimus, neq; ab eis futurum expectamus iudicium, ſed ad memoriam et recordationem, primitiuorũ ueneramur eas & adoramus, non latriæ cultu, ac diuino eis ſeruientes, ſicuti nec alicui creaturæ, tria exigentis, charitatem dilectionis, multitudinem ſacrificiorum, & uenerationem, ſed* Duliæ, *ob idq; ſolum ueneratio conſiderabilis eſt, qua rem ſacram adorare, hoc eſt ei reuerentiam exhibere poſſumus. & maxime quia ſi olim clariſſimis uiris deq; republica optime meritis, ſic ſtatuæ pro roſtris collocari ſolebant, ad quas confugientes etiam eſſent ueluti in* Aſylo *tuti.* Qualis illa Ceſaris in Tẽplo Quirini, *qui triumpho* Pontico *tantopere gloriatus, dixerat,* Veni, Vidi, Vici, *hac inſcriptione,* Imperatori inuicto. Vel Platonis *à* Mithridate *dicata, his literis pariter in baſi poſitis.* Mithridates Rhodobati, filius, Muſis Platonis Imaginem dicauit. *Quod etiam fecit* Ariſtoteles, & M. Antonius Frontoni. & Athenienſes Demoſtheni. *Imò quod in muſarum ædibus, poetis poni conſueuerant, tametſi uetuerit* Cato, *dicens.* Malo de me *homines quærant, cur ſtatua Catonis poſita non ſit, quàm aliter cur poni eam curauerit.* Idemq;

moriens Ageſilaus, ratus præclara facinora, monumentum eſſe uirorum fortium, hæcq; omnia pulchra, ſed multo pulchriora, ſimulachra mentis, ceteraq; inania inſuper ſcriptorum comparatione. Siq; fructus ex his (eo redeuntes unde diſceſsimus) proueniunt maximi, arbitrati adhuc Græci, hunc honorem hominibus deorum religione conſecrari, cur non ad propoſitum ex ſacris maiores prouenire dicemus? Sed ad id quod ad eas confugientes erant tuti (ut dictum eſt paulo ſupra) Syrophanis Ægyptij exemplum audi, ſanè præclarum. is enim erat ſatis locuples qui deſiderio filij ſuperſtitis ſimulachrum domi conſtituerat, ad quod pariter familiares confugerent, Domini iracundiam uitantes, & ut ueniam aſſecuti poſtea floribus, corollis, alijsq; rebus, eiuſdem filij ſtatuam indeſinenter ornarent, argumentum ni fallor plerunque patrem ita filios diligere tantumq; illis tribuere, ut nonnunquam ipſius etiam obliuiſci uideatur penitus.

Quod ſuperbia de cœlo eiectus fuit Lucifer, Quod ambitionis eſt comes, Quo modo cum ſit uitium in primis exoſum Deo, elui poſſit, Quod ſecundas res quoque, aliquando comitatur, & breuiter quod omne malum à malo naſcitur, & ſuperbia etiam à bonis operationibus. Cap. X.

LVcifer, quoniam ſuperbè & arroganter dicebat, Aſcendam ſuper altitudinem nubium ſimilis uero altisſimo, de cælo eiectus eſt, nec ab re quia ſuperbis reſiſtit Deus, humilibus uero dat gratiam. Imò quod expedit ut cadant, & in eo, in quo ſe extollunt humilientur. Quid enim prodeſſet ei cui eſt continentia (inquit Auguſtinus) ſi dominaretur ſuperbia, cordis alias, oris, operis, & habitus? Deuitanda omnino, quoniam ex ea, naſci poteſt irreuerentia Dei, complacentia ſui, contemptus proximi, iactantia, & perditio denique omnium bonorum. Vel & fuſius ſic dicas quod ſuperbiæ paries triplici ordine diſtinctus ſit, tumore ſui, contemptu proximi, & irreuerentia dei. Quodq́; ex tumore ſint ædificia quatuor, uanagloria, accidia, diſſolutio in proſperis, et impatientia in aduerſis. Vanæ gloriæ uero manſiones, hypocriſis, oſtentatio, ſuperſtitio & arrogantia. Accidiæ tedium uirtutis, ſtupiditas mentis, & impœnitentia. Diſſolutionis in proſperis, luxuria, gula, uanitas, & auaritia. Impacientiæq́; in aduerſis, indignatio aduerſus dominum, abnegatio eius, blaſphemia, & deſperatio. Ex contemptu proximi ſequendo quod cepimus, immiſericordia, inuidia, ira. Inuidiæq́; manſiones, detractio, calumnia, irriſio. Iræ autem diſcordia, ſcandalum, ſchiſma, odium, & homicidium, & ex irreuerentia dei ultimo ingratitu-

do perceptorum, præſumptio percipiendorum, ſacrilegium, diuinatio, magica, hæreſis, ſimonia, & ſimilia, & præter hæc quod ſuperbiæ comes eſt ambitio, quodq; ambitioſus amat primos accubitus in cœnis & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & uocari ab omnibus Rabbi, & quod adeo rapiuntur homines, ad honores, ut penſi quidquam non habeant, quà ſit eundum ſed quò. Hac *elatus erat* Manlius *(ſecundas enim res quandoque etiam comitatur) ob defenſum à* Gallis *Capitolium; qui poſt cladem editam apud* Alliam *fluuiũ* Romam *properauerant.* Vitioq; *datum* Camillo, *quod* Albis *equis triumphator urbem ingreſſus fuerit, quaſi* Ioui *& ſoli, ſimilis eſſe uoluerit, qui (ut fabulãtur poetæ) albis equis uehi pariter ſolebant, ſed inauditum ſentias ſuperbiæ, ſi uis exemplum,* Marulli Tribuni *plebis, olim* Romæ, *qui in carcerem detrudi iubebat eos, qui ipſum ſalutaſſent.* Et Domitiani *uoce præconia ſilentium deprecãtibus imponentis.* Malum *ſane naſcens etiam, ex rebus præclare geſtis, operibusq; bonis, tametſi omne malum cõmuniter naſcatur ex malo, & cum manifeſta quædam ſit, quædam occulta ſicuti in hypocrita, hæc illa longe erit deterior. fugienda omnimodo (iterato dixerim) qualiſcunque ſit ex quo nouiſſime principiũ inuiſibilis ſapiẽtiæ eſt, non obliuiſci ſui ipſius, & habere ſemper præ-*

oculis ſuas origines, et cogitare, eam uitium cum primis exoſum deo, ſic elui poſſe. Quod ſi faciat rurſum homo, aqua & cinis, iam inde à creationis ſuæ exordijs non inflabitur, nec criſtas ullo modo tollet. Nobilitate enim illuſtres olim calceos geſtabant nigros, lunæ ſymbolo inſignes, non quia ab Euandro profecti (ut Arcades) uiderentur, ſed ut cognoſcentes inſtabilitatem humanarum rerum admonerentur potius lunæ exemplo, quæ ab obſcuro primum prodit, tum progrediens luce ac ſplendore, os ſuum complet, & cum clariſſima facta ſit poſtea defloreſcit, & ad nihilum redit. & cum ad idem interrogatus eſſet Chilon, quid faceret Iuppiter excelſa (reſpondit) humiliat & humilia extollit. Poſtremo non omittentes, licet omnium affectuum principium Philautia ſit, quod finis tamen eſt ſuperbia.

Quis ſit ſtultus, unde dicatur, & quale ſymbolum eius, An ſententia lata à ſtulto ualeat aliquo caſu, quod plerunq; ſtultitia ſimuletur ut ſit ſapientia, Quod lex ſtulta nonnunquam ſtultam ſequitur rationem, Deq; ſtultis & ſtultitia multa. Cap. XI.

QVamuis dicant noſtri, quod ſtultus ille proprie eſt, qui per ſtuporem non mouetur iniuria, quiq; eligit malũ cum poſ-

ſit eligere bonum, quaſi ſeorſum ab ultu, hoc eſt (ex quo ſænitiã fert) ab ultione alienus, attamen ſententia ab eo lata ualeret, dum modo iuſta. Imò *commune dictum eſt, ſi faciat actum, quem ita quilibet ſapiens feciſſet, quod adhuc ualet & tenet.* Et *aliter quod lex fatua etiam eſt, ſi fatuam ſequatur rationem, ut illa, quod poſthumus poſſit exhæredari, antiqua & ante legem nouam* Iu*ſtiniani, ipſam poſtea corrigentis, ac exiſtimantis, crudele ſatis, eum qui non ſentit ingratum dici poſſe. Sed ad propoſitum nota, quod plerunque ſimulatur ſtultitia ut ſit ſapientia, ſic* Me*ton* Tarentinus, *ne* (Hiſtoria *nota eſt*) *ſuſciperetur* Pyrrhus. *Sic ſolon contra legem,* Salaminam *recuperat.* Qui Piſiſtrati *inſidias, conatuſq; aperit pariter, dicẽs,* Alijs *ſapientior ſum, alijs fortior. Sic denique* Dauid Achis *regis potentiam fugiens.* Quodq; *ſtulti plerunqne uaticinantur iuxta illud,*

Sæpe etiã eſt Holitor, *ualde opportuna locutus.*

Maxime quia eorum portio ſuperior minus ligata cum ratione diſcurrente, facilius à ſupernis haurit, ſeu quia non defatigati in diſcurrendo, quæ ſunt in cauſis præſentiunt, non dum explicata in effectus. quod in beſtijs & auibus etiã comprobatur. quæ non impeditæ à diſcurſu, pariter imbres & uentos aeris præſentiunt. hinc Fauni *ſoror, quæ etiam* Fauna *Vaticinatrix appellata*

eſt, & Vates fatuarij. & quod interdum quoque plus utilitatis afferunt prudentibus, quàm prudentes ſtultis. ex quo hi dum facile uident, illorum errata, ea deuitant, ſtudentq; fieri cautiores, illi non quæ à prudentibus, quia non uident imitari poſſe. Stultorum inſuper ſymbolum eſt luna, quia ut luna etiam mutantur. & ſtulti adhuc, qui iuris ignari ſunt, Manichæi, Abderitæ, et ſimiles. Eosq; fungos Bliteos & Moriones appellamus. Et plus quod olim Rãnuſia his fauebat quàm maxime, optabatq; Cicero, Triumuiris Tyrannidem occupantibus, errorem mentis, quo tantorum malorum ſenſu uacaret. Et apud Euripidem dolebat Aiax quod ab inſania reſipuiſſet, ſicuti apud Senecam Phædra. Strichum herba rurſus, quam medici ſolatrum uocant inſaniam gignit. & Ocymum. & ſi quis ex Gallo Phrygiæ fluuio aquam guſtaſſet, ſtatim alienabat à mente. Sed proh dolor, quod ſtultorũ infinitus eſt numerus, ſtultus factus omnis homo à ſapientia ſua & uita humana denique ſtultitiæ ludicrum, uſque adeo ut nemo ſit, quem ille alias, πολυγράφος Germanus, intra ſepta Moriæ ſuæ non incluſerit.

Quid ſit ueritas, Quotuplex, cuius filia & comes, quod odium parit, & quod denique tametſi difficulter inueniatur, et eſt Dux cum dijs, tum hominibus omnium bonorum. Cap. XII.

VEritas nihil aliud eſt niſi adæquatio rei ad intellectum; qua immutata, manent omnia præterita, præſentia, et futura, in lucem deducta uiuit ſemper, & examinata ſplendeſcit magis ac magis. Vel dicamus quod ſit firma et incõmutabilis propoſitio in re, uel de re, in qua eſt uel prædicatur. Vel rerum conſtantia & firmitudo, baſis ac fundamẽtum iuſtitiæ, qua uirtute nulla eſt pulcrior, nec præclarior. Seu res uiſu percepta, et memoriæ retenta. Triplex (ut breuitati ſtudeamus) diſciplinæ, uitæ, et iuſtitiæ; diſciplinæ in prælato, uitæ in omnibus qui ratione utuntur, et iuſtitiæ denique in iudice & conſultore, hæcq́; ultima nunquam eſt deſerenda, fugienda, uel maculanda. Vel alia conſideratione defectus rei diffinientis, & rerum naturalium. Defectus quia uerum eſt hominem non eſſe aſinum, rei diffinientis mala fieri, & rerum naturalium, quod homo ſit animal. eſt & ueritas filia temporis, & memoriæ, quia diu occultari non poteſt, oporteté; mendacem (quod eſt in prouerbio) memorẽ eſſe. Diſciplinæ comes, & uirtutis ac iuſticiæ mater. & communiter odiũ parit, obſequium amicos. Et plerunque exitium dicenti, ut Papiniano, cum parricidium non excuſaſſet. qui militum gladijs, Antonini iuſſu occiſus eſt. Et Philoxenus in lapidicinas detruſus, quia Dionyſio noluit adulari. Caliſthenes ob id crucifixus ab Alexandro. Demo-

ſtheni & Ciceroni, quod ille Philippum, iſte uero M. Antonium eſſet acriter inſectatus, ueneno enim unus, alter uero gladio perijt. Et non ab re (Hieronimo teſte) rugoſæ frontis eſt, ac triſtis, offenditq; correctos (ut diximus) et qui eam prædicant replentur amaritudine. Quod ſenſerunt nouisſime Eſaias & Balaam, (Hiſtoria nota eſt) ueritatem dicentes. indignatiq; ſunt ementes & uendentes, cum de templo eos eieciſſet Chriſtus, dicens: Domus mea domus orationis uocabitur, uos aũt &c. et certe (ut noſtri dicunt) melius eſt, pati pro ueritate ſupplicium, quam pro adulatione beneficiũ. Vnde Poeta tragicus, Accedat ignis, accedat gladius, Combure carnem hanc concrema, repleto te meo cruore. Nam prius uel ſydera,

Terram ſubibunt, terra uel ſcandet polum,

Quam mollis à me extorqueatur uox tibi.

Siq; oculum diuinum haberemus, & ſciremus quid ſit ueritas, ſpeculari non oporteret, uerum quoniam eſt ſicuti illi Nycticoracis, ſine lumine, argumenta, ſigna, indicia, & coniecturas quærimus, & ueritatem eſſe dicimus ut ſupra. Non omittentes (hoc enim ſcitu dignum eſt) quod Græci ſcientiam quærũt, ut ueritatem inueniant, Hebræi uero ſigna, quodq; ſemper (tameiſi difficulter inueniatur, ex quo non immerito aliqui dixerunt, præſertim Democritus in puteo demerſam

latitare,nonnulli in horendis antris deliteſcere, alius in ea quærenda hominum ſtudia ridet, diſputatq́; ſecum ſolitarius, ſepulchrorum etiam habitator factus,alius uero hæc eadem lachrimis proſequitur)inquiri debet. & quod denique dubitationis ſolutio eſt ueritatis inuentio. Et *ad materiam dicimus etiam nos,quod non debet opprimi & anguſtari uarijs ſubtilitatibus. quod eſt ſubſtantia legis.* Rerum geſtarum *erroribus adhuc non uitianda. & in dicendo maxime probanda.quodq́; is optime dicit, cuius oratio congruit rebus.*Quod *eſt quid affirmatiuum, cui inhærere debemus,ita ut quibuſdam prætermisſis, id uerum eſſe non poſſit;nec ſubſtantiare diſpoſitionem aliquam,imò nullum quod prætermiſſum eſt.*Veritas *ſimplex exiſtit,non quærens fucum, nec pigmenta,et ſermo uiuus penetrans tanquàm gladius,omnia artificioſa* Rhetorum Enthymema*ta,eaq́; facile diſſecans.*Vna *tantum,conſiſtens in paucis.quæ altercatione nimia,(iuxta* Varronis *prouerbium)amittitur facile.inuenta uero ei cedunt omnia,eiq́; conſonant,ut in fidibus & cantu omnia.* Legis *mens eſt rurſum & intentio,ut eluceſcat,alia ſuperficialia non curantur.*Vnde *luci comparatur.& homo ſuapte natura animal ueritatis amicum eſt. ex quo* Pythagoras *etiam appellatur,quia uera (ut* Pythius *) loquebatur. & errorum* Magiſtri *qui ueritatis diſcipuli eſſe no*

lunt. Veritas perpetua eſt & immortalis, quæ hac de re non poteſt à rerum natura auelli. Et quia dixit Chriſtus, Ego ſum ueritas, non mirum eſt ſi iudex, ad eam ſemper oculos habere debet. Et ſi ſententia ac res iudicata pro ueritate habea tur. Adde quod nec facile culpam incurrit ſi ueritatem examinet. quodq́; ſanctũ eſt habere ueritatẽ in ore. Eãq; præhonorare, quia amicus etiã (ut dici ſolet) Plato eſt, amicus Socrates, magnus Cæſar, ſed maior magisq́; amica eſt ratio & ueritas. Et plus quod à ſpiritu ſancto prouenit. eſtq́; ſpiritus ſanctus, ſpiritus omnis ueritatis, & breuiter tanta, tamq́; magna uis eius, ut omnium ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq́; fictas hominum inſidias, ſe ipſam facile tueatur, ac uindicet. Cedamus igitur ueritati eiuſdem φιλαλήτεις, *& moniti (iuxta illud Anchiſæ Maroniani) ſemper meliora ſequamur.*

M. MANTVÆ, BENAVIDII, Patauini, Iurecon. Comitis Palatini, & Leg. interpretis minimi, POLYMATHIAE

LIBER DVODECIMVS.

AQVA EST ELEMENTVM DE *ſubſtantia* Baptiſmi, *quod exiuit de ſanctiſſimo latere* Chriſti, *quod ea mundamur*, Quod *ceteris elementis imperat, & quod quandoq; pro pœnitentia ponitur, licet etiam copiæ ſymbolum ſit.* Cap. I.

AQVA, *elementum adeo neceſſarium eſt, & de* Baptiſmi *ſubſtantia ut uino alio'ue liquore quis baptizari non poſſit, quod mandauit* Chriſtus, *hoc ipſumq; nobis ex eo oſtendit, quia ex ſanctiſſimo ſuo latere die qua crucifixus eſt, non modo exiuit prceioſiſſimus ſanguis eius, uerum & aqua ſimul, qua peccata noſtra ac crimina omnia quantumuis grauia lauit. et quia nullum myſterium inde absq; hoc elemento, confici poteſt, nocentes manus ſacerdotes lauant, lauitq;* Pilatus *à ſanguine innocentis.* Et *non ab re dixit hinc* Virgilianus *uates,*

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq; penates,
Me, bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine uiuo
Abluero. Et *celeſtia corpora deos eſſe putantes* Ægyptij Aquam *religione quadam uenerabantur.* Nec *minus* Perſæ *flumen. uſque adeò ut ſi quis urinam profudiſſet aut expuiſſet in eo uel manus abluiſſet, piaculum opinarentur, & patrem* Oceanum *appellarit* Homerus *poetarum maximus. Aqua rurſum ceteris elementis imperat, nam terras uorat, flammas necat, ſcandit in ſublime, & ipſum quoque ſibi cœlum uendicat: ex* A, *& qua, dicta, quaſi aqua uiuamus, ſitq́; nobis ad omnem uſum neceſſaria.* Vnde *ueteres aquam & ignem interdicebant damnatis, quod omnium principia eſſent.* In *cuius pœnæ locum poſtea (ut noſtri dicunt) deportatio ſucceſſit.* Sic Cicero *à* Clodio, *quod ciues necaſſet nobiliſſimos, indicta cauſa punitus eſt.* Adam & Eua, *aqua pœnitentiam egerunt.* Mundus *aqua obrutus.* Quæ *tamen fuit* Salutaris: *ideo quandoque pro pœnitentia ponitur.* Interdum *copiæ ſymbolum eſt, iuxta illud,* Scientia Domini *opplebit terram ſicut aquæ, & clementiæ, factaq́; expiatione redemptoris in ſanguine, ut ſupra, danda erat nobis aqua, clementiæ, & ad idem petijt* Eliezer *ſignum in aqua danda in potum, quia miſericordiã, pietatem, & clementiam* Dei *ſigni-*

ficat, & obtulit hinc eã Chriſtus dicens. Si quis ſitit ueniat ad me & bibat. Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui loquitur tecum, tu forſitam petiſſes ab eo aquam uiuam, & Eſaias his uerbis. Omnes ſitientes uenite ad aquas. Mare, fontes, & flumina eccleſiam deſignant. Aquæ multæ populi multi. Aquarum uox uocem prælati, ſi optimus ſit. Aqua (dicunt rurſus noſtri) uenit in legato alimentorum. quodq́; portio agri eſt, & quod corrumpens aquam putei, tenetur interdicto quod ui aut clam. Scituq́; dignũ mihi etiam uidetur, quod ab ea abſtineant canes rabie acti. quod fluxum ſanguinis ſiſtat, & quod ſalſa denique Nephalia olim celebrarentur ſacra.

Quod epiſcopus qui neſciat canones repellendus eſt, Quod duos epiſcopatus tenere communiter non poteſt, An epiſcopatus ſit ordo uel dignitas, Qualis eſſe debeat epiſcopus, Quid hoc uerbum ſignificet, & quo ad iuriſdictionem, quid olim & hodie dicendum ſit. Cap. II.

MAgna certe eſt illa Pauli apoſtoli auctoritas, & maiori conſideratione digna, cum dicit, oportere epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris uirum, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non uinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non

litigioſum,non cupidum,ſed ſuæ domui bene præ poſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate, quandoquidem hæc omnia nomina, abſolutisſimæ uirtutis eſſe uideantur. & nimirum doctor, quia non oportet eum doctrina indigere, qui aliorum doctor eſſe debet. Imò *(ut dicunt noſtri) ſi neſciat canones repelli debet.* Quodq; *duos epiſcopatus habere non poteſt, & iam dictum fuit, ipſum unius uxoris uirum eſſe præter alia oportere, niſi ad id tamen põtificis ex cauſa acceſſerit diſpenſatio,quia tunc poterit.* Verum *ad prædicta adde, quod* Papa *ſe epiſcopum appellat, ex quo ordo eſt omnibus alijs maior.* Quodq; *data poteſtate inquirendi contra omnes, non comprehendentur epiſcopi, propter prærogatiuam eorum, & quod epiſcopus denique non compellitur teſtimonium dicere, nec uolens poteſt ut ab alijs differat clericis.* Ad epi*ſcopum rurſus iuſiurandum mittitur, tanquam ad egregiam perſonam.* Nec *à ſententia ipſius ex iuriſdictione prorogata, lata poteſt appellari, epiſcopus illuſtris eſt, & ſimilis præfecto prætorio, & plus quod appellatur etiam ſereniſſimus & dux, & quod epiſcopatus eſt dignitatis culmen, & epiſcopus rurſum æqualis papæ in ordine non in adminiſtratione, græco uocabulo explorator ſiue ſpeculator uocatus unde* Pana *etiam* ἐπισκοπὸν *ideſt ſpeculatorẽ pecudum*

& armentorum dixere ueteres. Item terminum quaſi ἐπισκοπὸν, ideſt inſpectorem amicitiæ & pacis cuſtodem. Habens ſe in eccleſia ut in naui gubernator, ut rector in curru, ut Dux in exercitu, uel in domo pater familias, Pater & tutor pauperum, ſacerdos principalis in Diœceſi, quẽ ita etiam prius uocabant in lege, & ſupremus inter miniſtros dei. Vocabatur item ab Athenienſibus miſſus, ad ciuitates ſubditas, ut illorum res inſpiceret, quaſi inſpector & obſeruator, & à Laconibus Armoſta, Syro nomine uero Abbas. & pro ueritate rei licet ordinis, & dignitatis mentio ſimul facta ſit, dicendum arbitror tamen, quod non ſimpliciter dignitas, ſed ordo potius ſit, quanquam theologi contrarium ſentiant, & quoad iuriſdictionem, quod olim & hodie eam habebat, poſſeq; rationem à clericis exigere, deq; redditibus eccleſiarum & diligenti inquiſitione quidem uidere, quo modo Chriſti ſubſtantiam expendant, & pro complemento quamuis à iureſconſultis noſtris alicubi epiſcopi mentio fiat, quod alio modo tamen quàm hic capitur pro eo ſcilicet qui præeſt pani & ceteris rebus uenalibus quæ quotidiano uſui ſunt neceſſariæ, quiq; earum ſummum habet, pro ſui arbitrio ius & imperium.

Quod in diſciplinis exertitatio eſt maxime neceſſaria, Quod Milonem Crotoniatem imitari debemus, Quod militum etiam laudabilis eſt, imò quod exercitus ab exercitatione dicitur, quod denique hoc modo conſeruatur ſanitas. Cap. III

VIta humana eſt ut ferrum, quod ſi exerceas conteritur, ſin minus rubigine conſicitur, exercitatio igitur maxime in diſciplinis, omnino neceſſaria eſt, & cum omnes artes omniaq́; opera, quotidiano uſu, iugiq́; exercitatione proficiant, & id quidem uerum ſit in paucis, multo magis in maximis cuſtodiri debet. Imitariq́; debemus, Milonem Crotoniatem *ut in principio bis, deinde ter, deinceps ſæpius ac ſæpius, id quod à nobis eſt agendum agamus.* Et *periclitandi, oſtentandiq́; ingenij gratia, aliquando ex* Muſca, *(quod aiunt) elephantum facere.* Ro*ſcius enim nullum unquam ſpectandi populo geſtum, ponere auſus eſt, niſi quem domi exercuiſſet prius, meditatusq́; fuiſſet.* Nec Demoſthenes *acerbam auditu uocem ſuam, ad maturum & gratum auribus ſonum niſi asſidua continuaq́; exercitatione perduxiſſet, nec lateris firmitate defectus, quas corporis habitus uires negauerat, à labore mutuatus eſſet.* Vnde *fit (ut philoſopus inquit) ex frequentatis actibus habitus, alteraq́;*

natura (dicimus nos) eſt conſuetudo. hæc ſæpe, illa ſemper, quodq́; duo iſta conuertuntur. & ſi nobiti ac liberali ingenio adijciatur, neque deſit præceptoris copia, mature ad perfectam uirtutis frugem euadet. Valetq́; plurimũ ad dicendi facultatem, ex quo uſus dicendi magiſter optimus eſt, lausq́; omnis uirtutis in actione conſiſtit, uena uero eloquentiæ inareſcit facile ni quotidiana legendi, dicendiq́; exercitatione confirmetur. et breuiter cum duplex ſit animi & corporis, unaq́; ſine altera imperfecta, nihil in uita omnino absq; ea perfici poteſt, ea aũt omnia exuperari. Inq; prouerbio eſt, exercitium omnia poſſe. Quid, quod Gymnaſium etiam exercitium dicitur, & Gymnaſtica, diſciplina exercitationis. & prægymnaſmata, præexercitamenta. Iacob latine exercens & athleta. & (ut dictum fuit) quod ſit maxime neceſſaria, nouisſime frugum exemplo confirmatur. in quibus opus eſt pingui ſolo, bonis ſeminibus, & Agricolæ diligentia. Quoniam ei non eſt ſatis nouiſſe agri colendi rationem, niſi munus & opera artis exerceat, ſumma (ut rurſum diximus) cum diligentia, ſi fructus ex agro percipere uelit. ſicuti nec Imperatori tenere modos & rationes, belli gerendi, niſi curam & diligentiam pariter adhibeat, ut omnia recte & ordine fiant. exercitatio militum etiam laudabilis eſt, ignauiam odio habent hoc

modo, ſuis gratificantur Ducibus, & ad munia perferenda ſe etiam reddunt promptiores. Vnde exercitus inde quoque dictus eſt. Imò quod in Auentino corruptis adoleſcentibus, per flagitia Bacchanalibus inuentis, mos erat Romanis homi nibus, iuuentutem in campo Martio exercere, ut diſciplina imbuerentur militari, eiſdemq; poſtea Reſpub. uteretur. & ſi decem ſeptemq; annos nati, ſe ſe non obtuliſſent, damnabantur. Et quando aliud in cauſa non eſſet, appeti non ex alio deberet, quàm ex eo quod ſic corporis, robur, ſanitas, et ualetudo conſeruatur. Et quia ferè ad idem multa alibi dicta fuere, cetera quæ adduci poſſent, ſub ſilentio tranſibimus.

Exilium tolerandũ eſſe, tametſi magna ſit pœna, ratione probatur, Quod longe miſerius eſt ſeni quàm iuueni, Quod pleriq; uoluntarium elegerunt, Qua de cauſa, Qui exilio ſint mulctandi, & quare Græci Bouem ſeruare dicerent, qui in exilium mittebantur. Cap. IIII.

Exilij pœna magna eſt, ſi non ex eo ſaltim, quia patria priuamur, qua nihil eſt dulcius, iuxta illud, Dulcis amor Patriæ: quod ſic etiam Poeta cecinit,

Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua,
Nos patriã fugimus tu Tityre lẽtus in umbra,

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.
Sic Adam de paradiſo qui ſibi erat patria, eiectus, ut eo exemplo quoque ſcelerum auctores patria (ſicut diximus) priuarentur. Sed tamẽ æquo animo exilium tolerari debet, ex quo ubiq; patria eſt; terribileq; illis ſolum, quibus quaſi circunſcriptus eſt habitandi locus non his qui omnem terrarum orbem, unam urbem eſſe dicunt. Theucer enim ex Troiana expeditione rediens, cum ob Aiacis fratris mortem, Telamoni patri eſſet inuiſus, & ab eo exilio mulctatus, ad ſocios conuerſus ait, Patria eſt ubicunq; bene eſt. Imò quod charior Coriolanus exul Volſcis fuit, quàm Romanis Ciuis, & Illyrijs Cadmus, quàm Thebanis ab urbe eiectus quam extruxerat. Nec minus Corinthijs Dionyſius quàm Siculis, quorum tamen fuerat Dominus. Sicq; uariat fortuna uices, modo tollit in altum, et modo complexos imperioſa premit, non igitur exilium tolerandum erit? Seni tamen ſi magnum eſt (ut ſupra) ſi miſerum & graue, longe maius miſerius & grauius (ut idem Coriolanus cum exacta iam ætate, inq; exilio conſenuißet, ſæpiſſime dicere ſolebat) quàm iuueni. Quæ pœna ſolis Romanis pro maleficio fuit. Et cuius legem primus tulit Athenienſibus Cliſtenes. Græcis uero mos Argiuam exulare, ubi Æneus Bos, magnitudine conſpicuus, quem ſeruare prouerbio

dicebantur exules, quiq; illuc mittebantur, & ſi rurſum quæſieris, quotuplex exilium ſit, triplex eſſe dicemus, certorum locorum interdictio, lata fuga ideſt omnium, præter certum aliquem, & in inſulam relegatio, cui aliquando etiam coniunctum illud interdictionis aquæ & ignis fuiſſe aiunt, quodq; eius loci fiebant ciues, qui certo damnabantur exilio. Vel & aliter uirtutis amore, & ob delictum. quorum unum uoluntarium eſt, alterum uero neceſſarium, illud ſtudioſorũ iſtud ſontium. ſed adde quod uoluntarium adhuc eligitur, quandoq; inuidiæ declinandæ gratia, uixiſſeq; multos hac de re, patria relicta in regionibus alienis, ut Iphicrates in Thracia, Conon in Cypro, Timotheus in Leſbo, Chabrias in Ægypto, & Chares in Sygeo. Neceſſario uero eſſe mulctandos, qui errarint, quique aliquid contra ius & leges fecerint, ut receptatores abigeorum, effractores & ſimiles. Noſtri exilium Bannum uocant. hoc idemq; conſiderant quattuor modis, pro ut eſt uox præconis, Mulcta, Annotatio bonorum, & Exilium. Hiſpani Encartados. Quodq; exules teſtes eſſe nõ poſſunt. Et quod denique (quod ſcitu dignum eſt) una cum ſeruis fugitiuis Duce Herdonio, uiro Sabino aliquando Capitolium incenderunt.

Fama an probet, ſi concurrat bona & mala quæ præualeat, An poſſit probari per teſtes ſingulares, Quid ſit, & à quibus denique originem habere debeat. Cap. V.

EST uerum quod fama ex aliquibus præſumptionibus orta, probationem inducit aliqualem tamen, non plenam niſi ſimul iungantur, quia tunc ſecus: & quaſi prouerbialiter (dicunt noſtri) quæ non proſunt ſingula multa iuuant. uel memoriam hominum excedat id quod probandum eſt. Vel arguentes de ciuilibus ad criminalia, licet hoc caſu ſimpliciter non ſufficit tamen ſi ſit lege adminiculata, & diffamata ualde. Eſt uerum quod fame quis dignus præſumitur. Et innocens niſi ſuo conatu, originem ſumpſerit contra exiſtentiam ueritatis, quodq; omnes ſciunt quæ fama noſcuntur, & quod publica dummodo procurata non ſit excuſat à dolo. Auxiliatur ueritati, & iuſtiſſimam inducit credulitatem. Et ſi bona ac mala concurrant, præualet quæ melius eſt circunſtantiata per cauſas uериſimiliores. Et in dubio pro bona potius præſumitur, quàm pro mala, quia illa naturalis eſt, iſta accidentalis, bona continuata ex origine naturæ, mala non. Et breuiter ſicut indicium tollit indicium, ita fama famam excludit. & ad bonæ propoſitum generaliter ſciendum eſt, ea nihil ex

cellentius omni lucro eſſe præferendam, quodq́; non bene pro toto alias, fama uenditur auro. ex quo ſic etiam loquebatur Apoſtolis, *Expedit mihi magis mori, quàm quod quis gloriam meam euacuet. eaq́; nihil auribus applauſibilius, mala nihil odioſius.* Ideo *cuncta faciant homines ut in futuris ſæculis de ſe bene loquentes audiant omnes.* Eoq́; *fit, ut lõge pulchrius ſit in* Euripidis *epitaphio uerba hæc legere:* Nulla ætate, tua Euripides monumenta peribunt, *Quàm quod* Roma *turpisſimos habuerit Sardanapallos. & ad propoſitum dicitur,* Theſaurus *inæſtimabilis ac iucundus, dans ſuauitatem odoris ut lilium conuallium, ex belli ſtudijs maior, ex pacis artibus melior, uirtutemq́; comitatur ultro, & generoſis animis amor laudis ueluti ſtimulus quidam, ad præclara facinora nobis innatus eſt.* Nec *aliud à dijs petebant* Lacones, *quàm pro uirtutis præmio famam, honeſtius putantes hac diteſcere quàm pecunia, & ni fallor æquiore animo etiam decedunt è uita, qui recte factorum poſt ſe memoriam relinquunt, quæ immortalis eſt, & tamen uiuit cum mortuam eſſe credis.* Satq́; *diues eſt, qui eam ſeruat, iuxta illud,* Bonum nomen, *diuitiæ multæ. eſt etiam fama duplex hominis, & inter homines. hominis bona, inter homines unius, uel quod bonus ſit aut malus, aut quid factum dictum'ue, aut non factum uel dictum. oportetq́;*

oportetq́; eam eſſe ſolidam, inconcuſſam; creſcentem, non leuem, aut uagam, ſeu contrariam, & quod ultima ſemper (ut diximus) primam lædat, & plus quod poterit probari etiam per teſtes ſingulares. Nil *aliud denique quàm illæſæ dignitatis ſtatus, legibus & moribus comprobatus. ſeu donum gentium ex imaginaria opinione uulgi, procedens.* Vel *laus bonorum hominum, uoxq́; recte iudicantium.* Verum *oportet eſtq́; maxime neceſſarium, quod originem habeat ab honeſtis ſanè uiris & prouidis, non à maleuolis, neque ab eo cui cõmodum ſpectat, alias nullum haberet effectum. & ſi circa mortem fuerit, cum ſit naturæ conſona, loco perfectæ probationis habebitur.* Confirmat *fidem rei de qua agitur, & à notorio plurimum differt, quoniam hoc idem de eo quod uerum eſt, dicitur, fama uero eſſe poteſt, etiam de eo quod uerum non eſt. & hæc præter ea, quæ à nobis alibi dicta fuerunt, iudicio meo illis pulchriora, nouisſime ſint ſatis.*

Quod *caduca & fragilis eſt fælicitas, ex quibus conſtet bonis,* Quæ *ipſius diuiſio,* Quis *fælix, in quibus conſiſtat fælicitas,* Quod *ſumma omnino timenda eſt, & quale ſit adhuc fælicitatis ſymbolum.* Cap. VI.

ALexander Macedonicus Poro rege uicto, cum illi dixiſſet; quæ nam te amentia cõ egit, rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri? reſpondit, quia neminem me fortiorem eſſe cenſebam, meas enim uires noueram, non dum expertus tuas: interrogatus rurſum, quid ipſe cenſeret, uictorẽ ſtatuere debere, quod hic (inquit) dies tibi ſuadet, quo expertus es quàm caduca & fragilis ſit fælicitas. Reſponſum ſane regium & prudentisſimum quidem, omnium, ex quo perpetua eſſe non poteſt, hoc idem quæ ſolis dijs (ut dicebat Euripides) cõceſſum eſt. Et cuius ſucceſsum hebræi mutabilitatem hanc timentes, tribus precantur uerbis quæ ſunt Selah Schalom Amen. Felicitatis comes eſt etiam inuidia, nullaq; tam modeſta, quæ malignitatis dentes uitare ualeat, & raro in homine perfecta; quæ non mœroris aliquo felle mixta ſit. ex bonis animi alias, corporis & fortunæ conſtans. Vel & fuſius dici poteſt; quod ſit bene conſulere, bene ualere, fortunatum eſſe, gloria excellere, pecunijs & opibus ad omnes uitæ uſus affluere. Quodq; interrogatus ad idem Thales Mileſius, quis eſſet fælix, qui corpore ſanus eſt, reſpondit, fortuna diues, optima patria, animo non ignarus, neq; imperitus. Alij (ea lingua præciſe referam, qua ſcriptum iſtud ipſum reperi, ne ſua laude et gloria fraudetur auctor) aliter; che la felicità

è uiuer ſenza penſiero, non eſſere moleſtato dalla moglie, non affannato dalla inobedienza de figliuoli, non attriſtato dalla contumacia de ſeruitori perfidi, non da Tirannia *de principi, nõ tribolato da pontigli d'honore ò controuerſie de* Duelli*. eſt etiam ſymbolum ipſius,* Femina *in ſolio ſedens, dextra* Caduceum*, ſiniſtra cornucopiæ ſignum tenens, hac inſcriptione,* Felicitas publica. *Vel aliter, ſtans mitrata palliataq́;, læua pallium,* Caduceum *dextra tenens.* Aut *læua ſpicam, dextra* Caduceum*. aut dextra* Caduceum*, læua nixa columnæ, aut triremis ad portum accedens.* Et *quia fælicia quoque alba ueteres uocabant,* Fælicitatemq́; *deam inter numina colebant, uulgus non ab re* Iunium Baſſum*, quod fæliciter eſſet ſtupidus, ac ridiculus,* Aſinum *appellabat album.* Quæ *tamen ſic eueniunt, fortuna ſcilicet aut fælicitate, minore gloria ſunt digna, quàm quæ uirtute & conſilio fiunt.* Imò *quod nec in uirtute nec in opibus, & diuitijs quicquid dicatur, conſiſtit, non in delicijs & uoluptatibus, non in honoribus, corporis robore, ornatu, longitudine uitæ eiuſdemq́; generis pluribus, quandoquidem omnia imperfecta ſint, & finita, modica & ferè (ut ita dicam) nihil.* Et *ſi felicitas eſt, falſa eſt, ac ficta & ſimulata, quam balbam aliqui effigiant, obliquis oculis, carentem manibus, lori*

pedem, & colore liuido, omnium imperfectionem ex hoc ſignificantes, ſed eò redeuntes unde diſceſſimus, in deo diuinisq; rebus contemplandis ipſum timentes, mandataq; eius obſeruantes ſolum. Summa igitur ſit, quantum quiſque cupit, & qualis uel in Craſſo olim fuit, qui nobiliſſimus, ditisſimus, iuriſconſultisſimus, eloquentisſimus, & pontifex maximus erat, uel in Timotheo Cononis filio, qui in caſtris dormiens urbes capiebat: Vel in Cæſare & Pompeio Triumphis exultantibus, ille Gallico, Alexandrino, Pontico, Africano & Hiſpalenſi, iſte ex tribus orbis terræ partibus, omnino (quod anulus Gigis nobis exemplo eſt, in mari enim iactus, ipſum deglutiuit piſcis, captusq; à piſcatoribus, inq; ipſius uentre inuentus ei donatus eſt, qui poſtea laqueo uitam finiuit) timenda eſt, & finis ſpectandus ſemper. Diciq; beatus ante obitum nemo, (ut ille ait) ſupremaq; funera debet: Alexander enim qui Perſarum nobile ac ſuperbum deſtruxit imperium & ad Macedones tranſtulit, quem totus terrarum orbis etiam non uiſum, tremens expectare non eſt auſus, unius potus poculo, uniusq; miniſtri inſidijs extinctus eſt, imò unius morte totus mundus concuſſus, & Monarchia Macedonum, quæ ab ipſo cepit, ipſo mortuo, cum ipſo finita, cuius etiam paulo ante meminimus. Sic Africanus maior à ſuis eie-

ctus in exilio perijt. Minori uero in ædibus quieſcenti uis illata eſt. ijdem Cæſar & Pompeius trucidati, ille in ſenatu, iſte cum ad Ptolemeum Ponti regem confugiſſet, ueneno uero Hannibal profugus ſibi mortem conſciuit. Timenda igitur (iterato dixerim) eſt, ne quanto altius elati ſumus, eo fœdius corruamus. cumq; uanitas uanitatum ſint omnia, in eo (ut dictum fuit pariter) in quo lux uera, ſatietas plena, iucunditas conſummata, & fælicitas perfecta eſt, non in uanitatibus collocanda.

Quando finis debeat attendi, Qualis ultimus hominis, quod mouet agentem, Demonſtrat principium, & quod breuiter cauſarum cauſa eſt. Cap. VII.

REgulare eſt, quando principium non habet relationem ad finem, quod finis attendatur, ex quo ſequitur neceſſario, quod moueat agentem, principium ipſum demonſtret, & cauſa cauſarum dicatur. Si uero habeat neceſſariam conſequentiam, ad principium hoc ipſum attenditur & non finis, ita ut commode præteriri non posſit. Imò quod finis regulat factum, quodq; denominatur à fine una quæque res, et ad ſuam ordinatur operationem, non ſecus ac nauis ad nauigandum, uel ad ſanandum Medicina, ad

perſuadendum orator & ad uictoriam princeps. Impulſor etiam actionis propoſito primus, et executione poſtremus, in quo tandem ſiſtitur, iuxta illud,

Trahit ſua quenque Voluptas.

Pythagorici tamen, non ſolum in fine, ſed principio quoque & medio rerum perfectionem poſuerunt. ad finem agit homo, mediumq; conſiderat ut ad finem perueniat, & ex fine ratio ſumitur eorum quæ ſunt ad finem. In homine ultimus non rei finite, cum in ea non quieſcat appetitus ex toto, ſed infinite, in qua ut lapis in centro maneat totaliter. Idemq; erit deus, ad quem tanquam ad ſcopum ſi dirigerentur homines omnia bene agerent, ex quo natura ordinate, etiam procedit debito modo uſque ad finem. Dicunt quoque noſtri quod finis potior eſt his quæ ſunt ad finem. & ſic ſcriptura ac uerbis mens, ex quo illa inuenta ſunt, ut mentem declarent non è contra. quodq; finis ſemper ſpectandus eſt. id uulgatum adijcientes, exitus acta proba. dteclarãdo tamẽ ut ſupra. & quod ubi initium bonũ eſt, & licitum, euentus poſtea & finis nocere non debet quanquam malus. & quod ordinata ad finem, regulantur ſecundum naturam finis. & quod à fine iuſtum eſt omnia denominari, & quod finis non ſolum eſt ultimum rei, ſed & optimum, & quod præordinatio præſumitur doloſa, cuius finis ſit malus.

In demonſtratiuo loquendi genere, honeſtas; In deliberatiuo utilitas; & in iudiciali æquitas: & (quod ſcitu dignum uidetur) tunc finis eſt præter hæc etiam quando uerbum dixi, in peroratione profertur: & tunc iudicem in conſilium mittimus, ideſt ut ſuam ferat ſententiam, ex quo in cauſa concluſum eſt, nec aliud reſtat.

Fame nihil eſt inſolentius, Quod non minus quàm enſis uulnerat, Moriq; fame miſerrimum, & quomodo hac neceſſitate multa licent, quæ nõ permitterentur alias de iure. Cap. VIII.

Ex eo quod Lycurgus dicere ſolebat, in reipub. longe magis pauperes metuendos eſſe, quàm diuites, planè elici poteſt, fame nihil fore inſolentius. imò quod non minus uulnerat (ut Magnus Baſilius inquit) quàm enſis, quodq; neſcit plebs ieiuna timere. Tanta ſub Auguſto Cæſare ut laniſtæ, peregrini, & ſerui exceptis medicis, & præceptoribus urbe, expulſi fuerint, & ſub Claudio decimo ſui imperij anno, ut medio foro inſectatus uix excitatæ plebis furorem euaſerit, & quamuis ad idem, unicuiq; datum ſit, mori ſemel, idq; naturaliter contingat, & ſi in bello ac pro patria glorioſum, fame tabeſcere tamen atque confici (ut aiunt) miſerrimum eſt, tenetq; principatum hæc inter miſerias, et cunctos

exuperat uitæ labores, nam enſis cuſpide, ignis impetu, aqua, fulmine, terremotu, peſtilantia ferarumq́; dentibus, cito uita extinguitur, nec morienti dolor protrahitur, at famis malum diu turnius, ocioſe torquet, lente tabefacit, ſenſim occidit, naturalem humorem abſumit, calorem re frigerat, uegetam corporis habitudinem deterit, uires paulatim debilitat, osſibus caro uelut arena cohæret: color ex ore ſanguine deficiente refugit, pallor ac liuor inſurgit. Genua conſpiciuntur infirma, uox tenuis & confuſa, oculi in receſſu cauo, uelut in uaſibus conditi languent, oſſa pelle tantum operta, uenter uacuus, ac collapſus tumore, uiſcerumq́; ſolita productione caret, ac dorſi ſolum osſibus ſuſtentatur & hæret. & cum dira necesſitas ſit, etiam ab humanis carnibus aliquando non abſtinuiſſe multos legimus, præſertim Mithridatem, cuius exercitum Lucullus commeatibus præcluſis ad inediam compulit. Cui ut pote urbis, liberatori Cyziceni (Cyzicum enim ille obſidebat) feſtum diem inſtituerunt, quæ poſtea Lucullea appellata fuerunt. Imò nec à proprijs filiis, & Syllæ temporibus, tanta rur ſum ne dum Auguſti & Claudij, (ut paulo ante diximus) quanta alias, cum Drachmis mille Medimnus ueniret. & naſcentia homines letalia com manducarent. Quæ omnia cum ita ſint, & uerisſima quidem, efficiunt etiam ut multa tunc homi

ni liceant, quæ iure tamen non permitterentur. ecce (ut noſtri dicunt) quod hoc caſu, pater filium uendat. quod quis iuramentum non ſeruet. quod rem ſurripiat impune alienam, non modo pro ſe, uerum etiam pro alijs, quos alere teneatur. & quod diues denique rem uili precio diſtrahat. & cum pauper es (ut eo modo finiamus de his loquentes, quo cepimus) huiuſmodi ſint, & fame pereant eis ſubuenire, eleemoſynamq́; elargiri neceſſe eſt, iuxta illud, Paſce *fame morientem, ſi non paueris, fame occidiſti.* Diogenem *enim ab auaro neſcio quid petentem, cum ille dare tardaret, dixiſſe ferunt, ad cibum homo te poſtulo, non ad ſepulturam.* Imò *quod pauper agit in foro eccleſiæ contra diuitem ut ei eleemoſynam faciat, teneturq́; epiſcopus his prouidere, qui laboribus ſibi uictum quærere non poſſunt.* Quod *ſi nõ faciat nec dei iudicium effugit. nam ut memoriæ proditum eſt,* Quidam *olim* Hatto *nomine, non modo pauperes non pauit, in magna Annonæ caritate, uerum cum diceret etiam à muribus non differre comedentes tantum, & ad nihilum utiles, inq́;* Horreo *congregatos incendiſſet, diuino iudicio à muribus necatus eſt. eaq́; turris in quam confugerat, ratus ſe tutum, murium uſque modo uocata, & à tali euentu uocabulum ſortita eſt. & ad propoſitum* Lydij *eam pellebant, cibo alternis diebus abſtinentes. Scythæ*

faſcijs uentrem ſtrictisſime circumligabant. ſed non adeo magna tunc erat, qualis olim præter hæc Romæ, qua multi ex plebe maxime amiſſa ſpe, qui capitibus obuolutis ſe in Tyberim præcipites dabant.

Fletus prima naſcentium uox, olim matronis tantum permiſſus, Quod exemplo multorum peccatores flere debent peccata, & ad idem de fletu Chriſti, deq́; luctu aliqua. Cap. IX.

PRima naſcentium uox eſt, uagitus, riſus uero quadrageſima differtur die, communiter tamen quia Zoroaſtrem natum riſiſſe aiunt, ex quo non mirum eſt, ſi ex hac uita diſcedentes, flemus tunc pariter, quia (ut dicebat Heraclitus) miſerijs naſcimur, nunc uero quia parentes, liberos, & ceteros tum conſanguineos, tum amicos omnes nobis charisſimos; tametſi ad deum accedamus Saluatorem noſtrum orbatos dimittimus. Scituq́; dignũ ad propoſitum eſt, quod Albani Caucaſum incolentes, tactu aranearum quandoq; adhuc migrant ex uita ridentes, quandoque flentes. Quodq́; Matronis olim tantum, fletus permiſsus erat, Anniuerſarium ſacrum Cereri celebrantibus, ob Cannenſem cladem poſtea intermiſsus, cum nulla eo tempore luctus eſſet expers, lugentibus idipſum facere non licuiſſe. Verum

miſſa hæc faciamus, & dicamus peccatoribus maxime conuenire, non modo eleemoſynis peccata redimere, uerum etiam luctu, & lachrimis, quoniam his modis flectitur & placatur ira dei. Sic Ozias rex, Mardocheus, Magdalena, & Petrus. quodq́; etiam ſunt arma clericorum. Et quod ex nomine Abel denique ſignificatur luctus, ſi ſic ſcribatur, quoniam ſi cum aſpiratione alias, uanitas dicetur. & à lachrimis rurſum, quod uallis in qua Adam primus ille parens noſter annis centum filij Abel à Cain fratre occiſi mortem plorauit, lachrimarum ſcilicet nomen ſortita eſt. Flet amicus inſuper ſi (ut eſt in prouerbio) lachrimas conſpexit amici, & iterum cũ dixerit æſtuo ſudat. & ſi noſtris malis (ut Menander ait) mederi poſſent lachrimæ, ſemperq́; tolli fletibus quiret dolor, lachrimas emeremus auro. Id unum haud prætermittentes tandem, quod Chriſtus nunquam riſit, fleuit aũt ſæpe, uidens ciuitatem & dicens. Venient dies in te, circundabunt te inimici tui uallo, coanguſtabunt te undiq;, ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, nec lapidem ſuper lapidem relinquent. In morte Lazari, & in paſſione. Quodq́; hominum lachrimæ nõ quales Crocodili eſſe debent. Symbolum ſanè eorum quiſe ſe ſimulant aliorum incõmodo angi. Quibus tamẽ perniciem afferunt & lætantur, ut Baſſianus impera-

tor & Cæſar, ille cum uidiſſet imaginem fratris iſte Pompeij caput, (Hiſtoria utriuſque nota ſatis) ſed ut Chriſti fuerunt Petri, & Magdalenæ, à dilectione cordiſq; compunctione procedentes.

Quod magna erat ueterum frugalitas, unde dicta, quas uirtutes complectatur, Amica Socratis olim, & quod ciuem perniciosum putabant, ſi à frugalitate fuiſſet alienus. Cap. X.

ADeo magna erat ueterum frugalitas, ut L. Papirius pocillum uini Ioui uouerit ſi Samnites uiciſſet. Nec de podagra ſcripſerit Hippocrates, ratus ob frugalitatem, morbum illum hominibus nocumento eſſe non poſſe. Imò (ut noſtri dicunt) quod hac de re, Talionis pœnam inuenerant. quodq; equos carius emebant quam cocos. & ſi quis ad conuiuia denique ſe ſe applicuiſſet, eum graſſatorem uocabant. & certe præter illa duo, quæ ſunt Cereris munus, & aquæ poculum, quæq; nos alere queant, nihil mortalibus uſui eſſe poteſt, quod (ut dicebat Euripides) luxui aſcribendum non ſit. Nec minor fuit apud Perſas. ex quo infame eſt ſpuere, nares abſtergere, & publice mingere, quod facere haud poſſent niſi abſtinentes eſſent. Magiq; eorum doctiſſimi ac eloquentiſſimi nil aliud quã olera et farinam

ſumentes. Quibus(ut Philoſtratus narrat)etiam Appollonius Thianeus ueſcebatur. Porus rurſum Indiæ rex, donec uixit pane & aqua tantum alitus eſt.eoq; in loco Pythagoreis ſimiles Brachmanes ab animalium eſu abſtinent,et uinũ neſciunt, præterquam diuinæ rei cauſa,& tam uili precio habent aurum ut catenas noxiorum auro conficiant, inq; profundis terrarum abditas ſolitudines ſuffodiant Carmani & Babitaci, animi ingenijq; indolem pecuniæ cupitate eneruari putantes. Frugalitas grata eſt, læta & ocioſa,diuitiæ uero triſtes & occupatæ,tuta ab omni fortuna. & maxime in urbibus neceſſaria, quandoquidem luxus & delitiæ ſeditionem pariant,à fruge appellata, qua nihil melius è terra oritur. Fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam, & prudentiam complexa,& huiuſmodi breuiter,ut hoc nomine ceteræ omnes uirtutes uenire, & contineri uideantur,& homo frugi amplius (quod eſt in prouerbio)recte omnia faciat. Amica quoque tantum Socratis.ut dicere olim ſolitus eſſet, Diuitum delitias tragœdis potius fore neceſſarias, quàm ad uitæ uſum. Qui etiam cum aduocaſſet interdum diuites aliquot ad cœnam, ſubmurmurante Xantippe,quod perquam exiguus eſſet apparatus, bono ſis animo inquit, nam ſi frugi temperanteſq; ſunt, boni conſulent pariter, ſin minus nulla nobis horum cura eſſe debebit. Præ

